

FLORES
SCRIPTURARUM ET PATRUM

IN SACERDOTALEM SYLVAM REDACTI

ET PIIS AC THEOLOGICIS COMMENTATIONIBUS

EXPLANATI

ANTONIO SABINO

PRESBYTERO NEAPOLITANO

AUCTORE

IN MEDITATIONIS ET PRAEDICATIONIS MATERIAM

AD SINGULOS TOTIUS ANNI DIES CONGESTI

IN DUOS TOMOS DISTRIBUTI

VOLUMEN PRIMUM

NEAPOLI

EX PRELIS VINCENTII MANFREDI

MDCCCLIX

AD LECTOREM


Vocati sumus in societatem Jesu Christi Domini nostri, induamur eum, clarificetur nomen ejus in nobis, et nos in illo. Sacerdotes enim cum sint vitae lumina, fidei columnae, Angelici homines, Ecclesiae corona, adjutores, mediatores inter Deum, et populum, homines Dei, documenta virtutum, et forma; et non immerito Christi figura, expressaque forma, et epitome omnium virtutum, debent ea via qua Christus ambulavit, et ipsi ambulare, et sicut conversatus est in nobis, nos Vicarii eius debemus conversari. Si enim omnis qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare: multo magis nos qui legatione pro Christo fungimur, debemus lucere in operibus nostris in verbis, factis, ut si fieri potest, tota ejus species exprimatur in nobis. Tali procul dubio spiritu informari debet homo Deo dicatus, ut possit dicere Christum esse sapientiam in praedicatione, justitiam in absolutionem peccatorum, sanctificationem in conversationem. Haec omnia certo certius in Apostolicis viris requiruntur, quia salus gregis est integritas pastoris, capite sano omnes sensus vigent; totius autem familiae ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite. Quis enim negare audebit, si sacerdotium integrum esset, tota Ecclesia floreret, si vero corruptum, omnium fides marcesceret? Hinc firma in me voluntas, ac verae sanctitatis et doctrinae sanae fundamenta iacere cupiens, ut adimpleretur in Sacerdotibus quod est tantopere requisi-

tum, ut ne indiscretum quid, vel inutile cogitent; ne in inanibus studiis horas terant, quin imo, ut sermo eorum semper sit sale conditus, ideo ad elaborandum librum, ex solis Sacrae Scripturae, et Patribus textibus me adpulerim. Cognoscens enim quanti intersit Sacerdotum animos optimis sanctorum fontium aquis irrigari, quo illustrior, et sanctior ipsorum vita, et sermo efflueret: cum ipsis pecunia non semper suppetat ad comparandos necessarios libros, hanc ob rem pluribus annis hoc exiguum opus *Flores Scripturarum et Patrum* elucubravi. Hoc est quod tantopere Patres ab Ecclesiae ministris exoptabant; quia omne quod loquitur Sacerdos, docebant Patres, totum in eo est, ut firmetur in nobis fundamentum Divinae auctoritatis aedificium meditationis atque praedicationis. Haec sunt Sacerdotis officia, ut a Deo discat legendo Scripturas divinas, et saepius meditando, populum doceat, et illa doceat, quae a Deo didicerit, ne ex proprio corde vel humano sensu, sed quae Spiritus Sanctus doceat, inspiretque. Hoc dicat Sacerdos quod divina lectione didicerit, non quod praesumptione humani sensus invenerit. *Omnis scriptura, divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, et ad omne opus bonum instructus* (*II Tim.* III, 16, 17). Igitur si cor tuum induratum est, memento Scripturae dicentis: *Emittet verbum suum, et liquefaciet ea, flabit spiritus ejus, et fluent aquae* (*Psal.* CXLVII, 7). Si tepidus, et evomi jam formidas, non discedas ab eloquio Domini, et inflammabit te; *Ignitum eloquium tuum vehementer* (*Psal.* CXVIII, 140). Si tenebras ignorantiae plangis, diligenter audi, quid loquatur in te Dominus Deus, et erit *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis* (*Psal.* CXVIII, 105). Si tamen in corde humili, puro, fideli, sancto hi *Scripturarum flores et Patrum* inciderint, fructum afferent ingenti cum foenore. Uti enim terra, quae semen admisit, interdum pro uno grano triginta reddit; alia sexaginta; quaedam centum, pro alia atque alia soli bonitate atque cultura; ita in uno corde seminati *Flores Scripturarum et Patrum* afferent trigesimum; in alio sexagesimum; alibi centesimum; et sicut semen degenerat pro conditione coeli, aeris, solis, pro ratione operis, et curae; ita

hi *Flores* pallescunt, degenerant, aut proficiunt, vel incrementum dant pro conditione cordis in quo proiiciuntur, pro varietate curae et sollicitudinis quae adhibentur. Haec igitur meditare, in his esto, ut profectus tuus sit manifestus et certus : vivus enim et efficax sermo Domini, et penetrabilior omni gladio ancipiti: hic vomer ille aratorius, quo Samsar sexcentos Philistaeos occidit; mandibula asini, qua Samson mille de suis hostibus interfecit; Clavus Johel, pugil Phinees, gladius Gedeonis.

Haec sunt, benevole Lector, quae ad hanc Sylvam Sacerdotalem, ex Sacrae Scripturae et Patrum testimoniis congerendam , me in Domino impulerunt. In hoc opere id maximopere studui, ut prae manibus habere queas , quae pertinent ad Christianam doctrinam et praedicationem, ac quotidie praesto tibi sit quod mediteris die, ac nocte in lege Domini , et populo proferre et praedicare possis. Illud etiam curavi, ut certo quodam ordine, quae gerenda erant, disponerem; ita ut singulis uniuscujusque mensis diebus generis ejusdem occurrentia sibi invicem argumenta responderent , quae possent tum meditationi, tum instructioni prodesse. Nec tamen praetermisi celebritates omnes tum Domini nostri Jesu Christi, tum et Beatae Mariae Virginis in annis occurrentes, et praecipuas festivitates Sanctorum quos Ecclesia nostra uti Patronos veneratur. Denique non secus ac pictor, levibus quibusdam peniculi ductibus, vividiores tabulae colores induxi, majoremque picturae spiritum, seu moralitatem , ponderationem, et ut ita dicam , vel dedi , vel explicavi ; ut lector cum voluptate et fervore in legendo fructus uberiores consequatur. Consilii mei, breviter dico , in hoc libro ea ratio fuit, ut apum studium, solertiamque imitatus mella e sanctorum locorum Bibliis , et gravissimorum Doctorum ac Patrum scriptis, quasi e floribus libarem. Sic quibus otium haud suppetit, per ampliores aliorum Scripturarum et laborum hortos evagandi, et succum e sparsis inter ipsos libros Scripturarum et Patrum floribus colligendi, collectum jam , libatumque in his meis collectionibus gustare et meditari eo suavius, quo facilius possint praedicare. Caeterum non quaesivi hic novitates vocum; Scripturarum tantum et Patrum proposui sententias, ac verba, et non mea, praeter illa quae in finem uniuscujusque argumenti adnotavi, quae ,

uti superius dixi, ad moralitatem et ad aedificationem in Domino putavi necessaria esse. Et in his quod ad stylum attinet, pedestrem quoad potui, et familiarem sectatus sum, fucata orationis lenocinia, ornatumque verborum, profanis oratoribus eloquentiam ventilantibus ultro concedens. An vero compos voti sim factus, aliorum esto judicium. Quod si dum suavissimas dapes, et mella lectissima tibi praeparare intendo, forte in cura et fragilitate humana, quod Giezi Elisei discipulo contigisse aliquando legimus, amaras alicubi colocynthidas, me admiscuisse compereris, divini tantummodo eloquii esse considera, nullam amaritudinem retinere, et libens, ut dulcescere valeant, farinam cum Eliseo appone, corrige, ignosce. Faxit nunc Deus, ut quae ad solam ipsius gloriam, atque animarum salutem, longo labore congessi, trajiciantur in viscera, transeant in affectiones, et in mores, ut eos bene componas. Cum ergo legis verbum Dei, verbum justitiae et veritatis; et laudas, multo laudibilius est, si facias; et me iis, qui ea legerint, in caritate conjungam, meique non obliviscantur maxime cum orant. Amen.



JANUARIUS

1. Circumcisio Domini N. J. C.

Ex Sacris Scripturis

Circumcidetis carnem praeputii vestri, ut sit in signum foederis inter me, et vos. *Gen.* XVII, 11.

Et circumcidit (*Abraham*) eum (*Isaac*) octavo die, sicut praeceperat ei Deus. *Gen.* XXI, 4.

Et die octavo circumcidetur infantulus. *Lev.* XII, 3.

Circumcidite igitur praeputium cordis vestri, et cervicem vestram, ne induretis amplius. *Deut.* X, 16.

Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, et cor seminis tui: ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua, ut vivere possis. *Deut.* XXX, 6.

Haec dicit Dominus Deus: Omnis alienigena incircumcisus corde, et incircumcisus carne, non ingredietur sanctuarium meum: omnis filius alienus, qui est in medio filiorum Israel. *Ezech.* XLIV, 9.

Cui loquar? et quem contestabor, ut audiat? Ecce incircumcisae aures eorum, et audire non possunt: ecce verbum Domini factum est eis in opprobrium, et non suscipient illud. *Jerem.* IV, 4.

Et postquam consummati sunt dies octo, ut circumcidetur puer, vocatum est nomen ejus JESUS, quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur. *Luc.* II, 21.

Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex patribus: et in sabbato circumciditis hominem. *Joan.* VII, 22.

Nisi circumcidemini secundum morem Moysi, non potestis salvari. *Actor.* XV, 1.

Sed qui in abscondito Judaeus est: et circumcisio cordis in spiritu, non littera: cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est. *Rom.* II, 29.

Circumcisio nihil est, et praeputium nihil est: sed observatio mandatorum Dei. *I Cor.* VII, 19.

Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu servimus Deo, et gloriamur in Christo Jesu, et non in carne fiduciam habentes. *Philipp.* III, 3.

In quo et circumcisi estis, circumcisione non manufacta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Jesu Christi: consepulti ei in baptismo etc. *Coloss.* II, 11, 12.

Ex Ss. Patribus

Inter omnia Testamenti veteris sacramenta, nihil circumcisione solemnius antiqua celebravit Religio. *Aug. in Psal. VIII.*

Circumcisio fuit illius temporis sacramentum quod figurabat nostri temporis baptismum. *Aug. lib. II de anim.*

Dum circumciditur Puer Salvator vocatur, eo quod ex hoc jam coeperit operari salutem nostram , pro nobis sanguinem fundens. *Ber. serm. I de Circum.*

Circumcidi voluit Christus, ut obediendi virtutem suo commendaret exemplo. *Epiph. cont. haeres.*

Habes humilitatis exemplum: in die nativitatis habitu est inventus, ut homo; hodie, qui peccatum non fecit, non dedignatus est se peccatorem reputari: Nos et esse volumus, et nolumus aestimari. *Ber. ser. I de Circum.*

Ideo Christus nascitur in Judaea, et non in gentibus; quia gentilitas carebat circumcisione, et ideo in Judaea ut ostendat gloriam, in primordio nativitatis suae, in effusione sanguinis. *Iren.* lib. III, cap. VII.

Circumcisio spiritualis est reformatio passionum, compositio morum, resecatio superfluitatum, propriae quoque voluntatis repressio. *Carth. ser. I de Circum.*

Circumcidite praeputia cordis vestri, idest postuquam luxuriam a carne extinguitis, etiam superflua cogitationum resecate. *Greg. in XXVIII Job.* cap. IV.

Non ob aliud credendum est antiquis patribus hoc divinitus fuisse praeceptum, ut octavo die circumciderent parvulum, nisi ad significandam regenerationem, quae fit in Christo. *Aug.* lib. III *cont. Jul.* III.

In isto opere duo sunt , modus et fructus ; modus quidem Dei exinanitio; fructus vero, nostri de illo repletio. *Ber. ser. II in Cant.*

Et nos, fratres, circumcidi necesse est, et sic nomen salutis accipere: circumcidi sane non litera, sed spiritu, et veritate: circumcidi non uno membro , sed toto corpore simul. *Ber. ser. I de Circum.*

In lege Moysis ordinata masculis fuerat circumcisio , quasi in salutis momentum ; in remedium scilicet peccati originalis. Chri-

stus non erat legi circumcisionis obnoxius. Tum quia circumcisio instituta dumtaxat fuerat pro parvulis, qui via communi ab hominibus generantur. Christus autem non de viro sed de Spiritu Sancto conceptus fuerat; tum quia nullius peccati labe erat maculatus; tum quia erat unctione divinitatis consecratus, et de sacro Verbi charactere sigillatus; ideoque circumcisio illi necessaria non erat, neque necessitate medii, nec necessitate praecepti. Circumcisio autem non erat imposita Christo, sed ab illo voluntarie, et libere acceptata, ut legi obsequeretur: quo ejus obedientia mirum in modum splendeat. Quamvis Christus libere sit mortuus, *oblatus est quia ipse voluit*; tamen acceperat a Patre praeceptum moriendi: et theologia multum laborat in componenda libera Christi voluntate cum necessitate moriendi, sibi a mandato paterno imposita; at nullum acceperat de circumcisione praeceptum. Magna fuit profecto obedientia Christi morientis in cruce, ut Patris adimpleret praeceptum sed longe major libere suscipientis circumcisionem a qua erat exemptus, et cujus nullum ei impositum fuerat praeceptum. Hinc amor ejus eo liberalior, quo liberior. In circumcisione amor Christi est liberior; nam in Cruce ex praecepto fudit sanguinem Christus, in circumcisiione vero gratuito absque ullius mandati obligatione. Vult tamen subesse legi, quamvis dure. At tu qui legis, leges quamvis faciles, facile transgrederis! Est hoc Christum imitari? Perpende dolorem quem senserit Christus tenellus infans! Quantum et tu distas a Jesu! ubi modicum confusionis, aut doloris praevides, quantum fugis! Christus non peccavit nec peccare potuit, accepit tamen peccati stigmata. O humilitas Dei! sed o superbia tua! Re ipsa peccator es, et videri non vis. Tantum formam habet peccatoris in circumcisione, et sanguinem fundit, ut vacuam animam tuam repleat gratia, eique largiatur vitam, et immortalitatem. Amen.

2. Mors

Ex Sacris Scripturis

En ego hodie ingredior viam universae terrae, et toto animo cognoscetis, quod de omnibus verbis, quae se Dominus praestiturum vobis esse pollicitus est, unum non praeterierit incassum. *Josue*, XXIII, 14.

Omnes morimur, et quasi aquae dilabimur in terram, quae non revertuntur. *II Reg.* XIV, 14.

Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est: constituisti terminos ejus, qui praeteriri non poterunt. *Job* XIV, 5.

Quis est homo, qui vivet et non videbit mortem: eruet animam suam de manu inferi? *Psal.* LXXXVIII, 47.

Generatio praeterit, et generatio advenit. *Eccles.* I, 4.

Non est in hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis. *Eccles.* VIII, 8.

Viventes enim sciunt se esse morituros, mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem: quia oblivioni tradita est memoria eorum. *Eccles.* IX, 5.

Nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur homo, et sicut aves laqueo comprehenduntur; sic capiuntur homines in tempore malo, nam eis extemplo venerit. *Eccles.* IX, 12.

Memor esto, quoniam mors non tardat, et testamentum inferorum, quia demonstratum est tibi: testamentum enim hujus mundi morte morietur. *Eccli.* XIV, 12.

O mors quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis. *Eccli.* XLI, 1.

Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te, quae autem parasti cujus erunt? *Luc.* XII, 20.

Et vos estote parati quia qua hora non putatis, filius hominis veniet. *Luc.* XII, 40.

Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. *Thess.* V, 2.

Adveniet autem dies Domini ut fur. *II Petr.* III, 10.

Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tamquam fur, et nescies, qua hora veniam ad te. *Apoc.* III, 3.

Ex Ss. Patribus

Quid hic certum est, nisi mors? Quid sis hodie, hodie scis; quid futurus sis in crastino, nescis. *Aug. in Psalm. XXXVIII.*

Certum est quia morieris, sed incertum quomodo, vel ubi, vel quando, quoniam mors ubique te expectat, et tu si sapiens fueris, ubique eam expectabis. *Aug. de spir. et an.* cap. LI.

Nihil sic revocat a peccato quam frequens mortis meditatio. *Aug. lib. exhort.*

Memento mortis tuae, et non peccabis. Qui se quotidie recordatur esse moriturum, contemnit praesentia, et ad futura festinat. *Hier. in ep. ad Heliod.*

Nulla doctrina sic superat superbiam, sic vincit malitiam, sic extinguit libidinem, sic mundi calcat vanitatem, sicut hominis horrenda mortis recordatio. *Aug. spec. pec.* cap. V.

Nescis qua hora veniat: semper vigila, ut quod nescis, quando veniat, paratum te inveniat, cum venerit: et ad hoc forte ne-

scis quando veniat, ut semper paratus sis. *Aug. de vit. Christ.*

Ne pereas, vide in hoc speculo quid es, et quid eris, et quid fuisti; cujus conceptio tabes menstrua, origo lutum, putredo finis. *Aug. Spec.* cap. I.

Congitandum valde est quantum erit terribilis resolutionis hora, quis pavor mentis, quanta tunc omnium malorum memoria, quae oblivio transactae felicitatis, quae formido, et consideratio Judicis. *Greg. hom. XXXIX in Evang.*

Mala mors putanda non est, quam bona vita praecessit: neque enim facit malam mortem, nisi quod sequitur ipsam mortem. *Aug. de Civ. Dei.*

Mortis diem omnes affuturum sciunt: cum tamen omnes, aut pene omnes differre conantur, etiam qui post mortem se beatius credunt esse victuros; tantam habet vim carnis et animae dulce consortium. *Aug. de grat. nov. testam.*

Habes quod agas, ut nunquam moriaris; si times mortem, ama vitam, vita tua Deus est; vita tua Christus est, vita tua Spiritus Sanctus est. *Aug. serm. XVIII de Verb. Dom.*

Si quodvis peccati genus vitare desideras in sepulcrum mentis coniice oculos, ad instar Prophetae Job, qui postquam dixit: *Dies mei breviabuntur, et solum mihi superest sepulchrum* (*Job*, cap. XVII), confestim subiungit; *Non peccavi*; quia mortis cogitatio, et sepulchri meditatio illum retinuit, ne in peccatum incideret. Igitur optimo jure illam mortis memoriam Theodorus Stylita nuncupat arcanum, seu mysterium, quo nihil potentius ad scelus fugiendum existimat. Suscipe mortis imaginem, ne poenam mortis incurras. Mors hominem enecat, animam a corpore separat, hominem ab esse ad non esse immutat. Si mortem, omnibus horis impendentem timemus, quis tranquillo animo potest consistere? Sic itaque formes animum, tanquam ad extrema ventum sit. Venientem nemo hilaris mortem recipit, nisi qui se ad illam diu composuerit. Procul dubio enim quod plures moriuntur juvenes, quam senes; sed saepe imparati, quia spes vitae, quae luctat, decipit. Quid si haec esset hora migrandi? Hoc age, quod ageres, si certo id scires. Mors, cogita, porta aeternitatis est. Hic judicaberis! . . . O mi Jesu, hic adsis.

3. Deus

Ex Sacris Scripturis

Dixit Deus ad Moysen: Ego sum, qui sum. Ait: sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos. *Exod.* III, 14.

Dominus ipse est Deus, et non est alius praeter eum. *Deut.* IV, 35.

Audi Israel: Dominus Deus noster, Dominus unus est. *Deut.* VI, 4.

Idcirco magnificatus es, Domine Deus, quia non est similis tui, neque est Deus extra te in omnibus quae audivimus auribus nostris. *II Reg.* VII, 22.

Apud ipsum est sapientia et fortitudo, ipse habet consilium, et intelligentiam. *Job.* XII, 13.

Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram: numerus annorum eius inaestimabilis. *Job.* XXXVI, 26.

Non enim est alius Deus, quam tu cui cura est de omnibus, ut ostendas, quoniam non injuste judicas judicium? *Sap.* XII, 13.

Ante me non est formatus Deus, et post me non erit. *Isa.* XLIII, 10.

Ego primus et ego novissimus, et absque me non est Deus. *Isa.* XLIV, 6.

Audi me, Jacob, et Israel, quem ego voco; ego ipse, ego primus, et ego novissimus. *Isa.* XLVIII, 12.

Ego autem Dominus Deus tuus ex terra Ægypti: et Deum absque me nescias et Salvator non est praeter me. *Oseae* XIII, 4.

Haec est autem vita aeterna: ut cognoscant te, solum Deum verum, etc. *Joan.* XVII, 3.

Ego sum alpha, et omega, principium et finis, dicit Dominus Deus, qui est, et qui erat, et qui venturus est Omnipotens. *Apoc.* I, 8.

Ex Ss. Patribus

Deus in seipso sicut *alpha* et *omega*. In mundo sicut rector et auctor; in Angelis sicut sapor et decor; in Ecclesia sicut pater familias in domo; in anima sicut sponsus in thalamo; in justis sicut adjutor et protector; in reprobis sicut pavor et horror. *Aug. sup. illud Pat. Nost.*

Quid est Deus? Non sane melius occurrit, quam qui est: merito quidem nihil competentius aeternitati, quae Deus est, si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale de eo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est, est nempe, hoc est ei esse, quod haec omnia esse. *Ber. lib. V de Consid.*

Deus omnia potenter creat, sapienter gubernat, benigne dispensat. Quidquid boni quaeris, summum bonum, et omne bonum ipse Deus est. Si gaudere vis, ipse gaudium : si te pugnare delectat, ipse palma est : si coronari vis, ipse corona est : si vincere cupis, ipse victoria est. Si potentiam desideras, ipse potentia est: si fortitudinem quaeris, ipse fortitudo est. Si justitiam vis habere, ipse justitia est: si amas sapientiam, ipse fons sapientiae est. Si caritatem vis, Deus caritas est: si divitias appulis, ipse dives est. Si pulchritudinem cupis, summa pulchritudo ipse est. Si plenitudinem omnis boni quaeris , ipse plenitudo est. Si gloriam et honorem desideras, vera gloria, et summus honor Deus est ; si pacem vis, pax aeterna ipse est. *Ber. Medit.* cap. VI.

Deus tibi totum est; si esurieris, panis tibi est: si sitieris, aqua tibi est: omnia possunt dici de Deo, et nihil digne dicitur de Deo, et nihil latius hac inopia. *Aug. in cap. VI Joan.*

Bonorum summa Deus est , summum bonum Deus est : neque infra remanendum est, neque ultra quaerendum. *Aug. de morib. Eccles.* cap. VIII.

Quidquid mihi praeter Deum est, dulce non est: quidquid mihi vult dare Dominus Deus, auferat totum, et se mihi det. *Aug. in Psal. XXVI.*

Certe hoc est Deus, quod cum dicitur non potest dici: cum aestimatur non potest aestimari, cum definitur, ipsa definitione crescit. *Greg. Naz. Orat. XLIX.*

Deus bonus est, Deus justus est, Omnipotens est: hoc dubitare omnino dementis est. *Aug. Ep. XXVIII ad Hier.*

Nemo possidet Deum, nisi qui possidetur a Deo: simus nos ipsi facti Deus possessio et efficietur nobis possessio Deus. *Aug. de Sal. docum.* cap. X.

Deus a cunctis simul beatis , et Angelis et hominibus neque comprehendi , neque tota eius perfectio potest aestimari ; quia ut digne possit aestimari, et omnimode comprehendi, debet tanta esse perfectio in existimante quanta in Deo; nulla autem creatura est infinite perfecta; ideoque nequit aestimare, et comprehendere quantum est comprehensibilis ,' et aestimabilis. Et quamvis Deum humana mens aesistimet, nunquam tantum existimabit, quantum aestimabilis est. Hinc quantumvis homo Deum laudet, nunquam tamen tantum laudabit, quantum laudabilis est ; nam, *et quis magnificabit eum ?* (*Eccles.* XLI). Lectio Tigurina habet: Quis Deum extollet pro dignitate ? Quis laudem Deo dignam pronunciabit ? Et cum lingua sit mentis interpres quomodo poterit digne Deum lau-

dibus praedicare, quem nequit mens perfecte cognoscere? Adeo sublimissima augusta Dei excellentia, ut omnem visum, auditum, et scientiam longe superet, hymnusque omnis ore humano prolatus, quantumvis fecunde loquax, putetur divinae laudis silentium: et ubi David in *Psal.* LXIV dicit: *Te decet hymnus Deus in Sion.* D. Hieronymus legit: Tibi silentium laus, Deus in Sion. Et sicut nullo loco clauditur Deus, ita neque eloquentia quantumvis amplissima, ejus potest praeconia terminare: virtus inexplicabilis, sapientia ineffabilis, cujus vera definitio, finem in laudibus non habere. Quae cum ita sint, custodiam pono ori meo, et tantum dico: Et tu etiam ad imaginem Dei creatus es, quam nobilis! At nunc quam dissimilis! Confer te cum prototypo, et adverte quantum tibi desit, ut ei quodammodo, ut ita dicam, similis evadas. Confundere, de restaurada imagine cogita. Et sicut nullum est momentum, quo tu non utaris, vel fruaris Dei bonitate et amore: sic nullum debet esse momentum, quo eum praesentem non habeas in memoria, et in omnibus tuis operibus. Omne tempus, in quo de Deo non cogitas, hoc te computa perdidisse.

4. Orationis necessitas

Ex Sacris Scripturis

Et audivit gemitum eorum (*scilicet filiorum Israel post mortem regis Ægipti*), ac recordatus est foederis, quod pepigit cum Abraham, Isaac, et Jacob. Et respexit Dominus filios Israel, et cognovit eos. *Exod.* II, 24, 25.

Et clamavit Samuel ad Dominum: et dedit Dominus voces, et pluvias in illa die. *I Reg.* XII, 18.

Et ait rex (*Jeroboam*) ad virum Dei: Deprecare faciem Domini Dei tui, et ora pro me, ut restituat manus mea (*arida*) mihi. Oravitque vir Dei faciem Domini, et reversa est manus regis ad eum, et facta est sicut prius fuerat. *III Reg.* XIII, 6.

Et exaudivit Dominum vocem Eliae: et reversa est anima pueri intra eum et revixit. *III Reg.* XVII, 22.

Tunc Eliachim, Sacerdos Domini magnus, circuivit omnem Israel, allocutusque est eos, dicens. Scitote, quoniam exaudivit Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in jejuniis, et orationibus in conspectu Domini. *Judith* IV, 11, 12.

Oratio humiliantis se, nubes penetrabit. . . Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluviae in tempore siccitatis. *Eccli.* XXXV, 21, 26.

Ego autem ad Deum clamavi: et Dominus salvabit me. *Psal.* LIV, 7.

Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet: et salvos faciet eos. *Psal.* CXLIV, 19.

Eritque antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam. *Isa.* LXV, 24.

Exaudivit autem Dominus vocem eius (*Susannae*). Cumque duceretur ad mortem, suscitavit Dominus spiritum sanctum pueri junioris, cuius nomen Daniel. *Dan.* XIII, 44, 45.

Petite, et dabitur vobis: quaerite, et invenietis: pulsate et aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit: et qui quaerit invenit: et pulsanti aperietur. *Matth.* VII, 7, 8.

Et omnis quaecumque petieritis in oratione credentes, accipitis. *Matth.* XXI, 22.

Propterea dico vobis: Omnia quaecumque orantes petitis, credite, quia accipietis, et eveniet vobis. *Marc.* XI, 24.

Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester de coelo dabit Spiritum bonum petentibus se? *Luc.* XI, 13.

Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. *Joan.* XIV, 13.

Ex Ss. Patribus

Deus dare vult, sed non dat, nisi petenti nullum credimus, nisi orantem auxilium a Deo promereri. *Aug. in Psal.* C.

Utilis est eruditio pastoribus, sed multo magis oratio, quae sola docet scire de omnibus. *Ber. lib. IV de Cons.*

Oratio tua locutio est ad Deum; quando legis Deus tibi loquitur; quando oras cum Deo loqueris. *Aug. sup. Psal.* LVIII.

Orationis purae magna est virtus, et velut fidelis nuntius mandatum peragit, et penetrat, quo caro non pervenit. *Aug. in Enchirid.*

Sceleratissimi spiritus continenter obambulant observantes nos, ut si quem deprehenderint nudatum deprecationis praesidio, protinus abripiant. *Gris. lib. de orand. Deo.*

Cesset oratio, quoties deest necessitas, quoties tibi nullum imminet periculum. Sed si nescis militia est vita hominis super terram, et continua colluctatio adversus nequitias spirituales. Neque aliud forte discrimen gravius potest, aut periculosius inveniri, quam dissimulatio ipsa periculi. Nunquam deest igitur orandi necessitas, ubi nunquam est vera securitas. *Hier. ad Pam.*

Oratio oranti est subsidium, Deo sacrificium, daemonibus autem est flagellum. *Aug. Ser. IV de Temp.*

Qui sumus nos, aut quae fortitudo nostra, ut tam multis tentationibus resistere valeamus? Hoc erat certe quod quaerebat Dominus, hoc erat, ad quod nos perducere satagebat, ut videntes defectum nostrum, et quod non est nobis auxilium aliud, ad eius misericordiam tota humilitate curramus; propterea rogo vos fratres, ut semper ad manum habeatis certissimum orationis praesidium. *Ber. Ser. V quadr.*

Multi languescunt in orando et in novitate conversionis suae ferventes orant; postea languide, postea frigide, postea negligenter, quasi securi sunt: vigilat hostis, dormis tu? *Aug. sup. Psal. LXV.*

Nemo est qui ignorat corpus sine anima vivere non posse, sic anima sine oratione. Quod si temetipsum destitueris deprecatione, perinde feceris ac si piscem ex aquis extraxeris: ut enim pisci vita est aqua , ita tibi deprecatio. Hac omnes homines non minus opus habemus, quam arbores aquarum humore; neque enim valent illae fructus producere, nisi bibant humorem radicibus; neque nos pretiosis pietatis fructibus poterimus esse gravidi, nisi precibus irrigemur. *Tristatur aliquis vestrum* (*Jacob* V). *Oret*, et accipiet a Deo auxilium, et consolationem. *In die tribulationis meae*, Deum exquisivit David, *et non est deceptus* (*Psal.* LXXVI). In adversitatibus tuis Deum exquire , misericordiam deprecando, et omnia quaecumque indiges, habebis. Renuit consolari anima tua, nullum accipis solatium, neque ab honore, neque a multitudine amicorum, neque ab affluentia tot divitiarum, neque ab ullis fortunae bonis. Memor esto Dei tui orando, et delectaberis in eo. Deus consolationes disponit in corde suo, sed nostris expectat precibus compelli. Confundere quod tam facile orationem relinquis, adeo taedet te divinorum, ut etiam horulae spatium cum Deo agendi tibi sit molestum. Confide in Deo in omnia. Noli Deo praescribere tempus auxilii. Sed confide: aderit cum venerit hora ejus. Et si gustum non habes sensibilem, habebis solidum si permaneas cum eo. Qui cito satiatur, tepide cum Deo versatur.

5. Fides

Ex Sacris Scripturis

Credit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam. *Gen.* XV, 6.

Sentite de Domino in bonitate, et in semplicitate cordis quaerite illum: quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum: apparet autem eis, qui fidem habent in illum. *Sap.* I, 1, 2.

Qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitavit adversus Deum nequissima: dabitur enim illi fidei donum electum, et sors in templo Dei acceptissima. *Sap.* III, 14.

Circuite vias Jerusalem, et aspicite, et considerate, et quaerite in plateis eius, an inveniatis virum facientem judicium, et quaerentem fidem: et propitius ero ei. Quod si etiam, Vivit Dominus, dixerint: et hoc falso jurabunt. Domine, oculi tui respiciunt fidem. *Jerem.* VI, 2, 3.

Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso: justus autem in fide sua vivet. *Habac.* II, 4.

Et dixit Jesus Centurioni: Vade, et sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora. *Matth.* VIII, 13.

Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit condemnabitur. *Marc.* XVI, 16.

Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam, et in judicium non venit, se transiit a morte in vitam. *Joan.* V, 24.

Crede in Dominum Jesum: et salvus eris tu et domus tua. *Actor.* XVI, 31.

Justus autem meus ex fide vivit. *Hebr.* X, 38.

Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit. *Hebr.* XI, 6.

Habens fidem, et bonam conscientiam, quam quidem repellentes, circa fidem naufragaverunt. *I Tim.* I, 19.

Ex Ss. Patribus

Quae Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda: quae autem manifesta fecit, non sunt neganda: ne et in illis illicite curiosi, et in istis damnabiliter inveniamur ingrati. *Ambr. lib. I de Vocat. Gent.* XVII.

Qui credit in Deum, Deum discutere non praesumat: Deus quod sit, sufficit scire: qui requirit unde sit, quantus sit Deus, Deus quid sit, his nescit: solum importunum tenebrat aspectum, ad Deum inconcussus caecatur aspectus. *Chrysol. Ser.* LXI.

Nullae sunt divitiae, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi hujus major substantia, quam est fidei catholica. *August. de verb. Ap.*

Continua operatione virtutum, et assidua meditatione scriptura-

rum sanctarum fides eruditur, et erudiendo illuminatur, et illuminando augetur, et augendo perficitur, et perficiendo stabilitur. *Ber. de ord. vitae.*

Cito fides inexercitata languescit, et crebris otiosa tentatur incomodis. Remissa excubias callidus insidiator irrumpit: assuetum autem bello virum hesterna fraus instruit, et gloriosae provenit palma victoriae. *Aug. Hom. XXVI in Joan.*

Quid est fides nisi credere quod non vides? Ideo bene creditur (*SS. Trinitas*), quia cito non capitur, nam si cito caperetur, non esset opus, ut crederetur, quia videretur . . . Noli intelligere, ut credas, sed crede, ut intelligas, intellectus merces fidei est. *Aug. in cap. XV in Joan.*

Concupiscentia divitiarum, honorum, deliciorum carnalium, indurat conscientiam, et extinquit fidem. *S. Vinc. Ferr. Ser.* III.

Fides nostra caecos illuminat, justos perficit, martyres coronat, sacerdotes consecrat, et quae per se sunt vilia reddit pretiosa. *Laur. Justin. Ser.* V.

Impossibile est, qui vitam impuram ducit, in fide non vacillare. *Gris. Hom. IV in Joan.*

Cum dilectione fides Christiani, sine dilectione, fides Demonis. *Aug. Ser.* CLXXXI.

Credat homo firmiter, credat indubitanter, confideatur fidenter. Si videtur impossibile iuxta humanam rationem, si incredibile juxta humanam sapientiam, verum semper et certum maneat in conscientia fidei, propter divini sermonis reverentiam. *Bern. apud Tiliman.*

Credite ex toto corde: credite non claudicantes, non haesitantes, non contra ipsa fidem humanis suspicionibus argumentantes. *Aug. Serm. CCXXXIX de Temp.*

Qui fidem quaerit, rationem non quaerit. *Chrysol. Serm.* LIV.

Aufer argumenta, ubi fides quaeritur. *Aug.* lib. I *de Trin.*

Magna est virtus fidei, sed nihil prodest, si non habeat caritatem. Confitentur et Daemones Christum credendo sed non diligendo, fidem habent, caritatem non habent: ideo daemones sunt. Noli de fide gloriari, adhuc daemonibus comparandus es, sed stude caritati ornari, qua a daemonibus discriminari possis. Non enim omnis, qui credit Christo credit in Christum, nam daemones credebant ei, et non credebant in eum. Quid est credere in eum? credendo amare, credendo diligere, credendo in eum membris ejus incorporari. Ipsa est fides, quam de nobis exigit Deus, quae per dilectionem operatur; non fictam, non mortuam, non otiosam, sed

veram, sed vivam, sed operantem. Postula a Deo, ut tibi largiatur hanc fidem: et ut fatur Marcus, *habeto fidem Dei* (*Marc.* cap. XII) nimirum fidem obsequentem, ardentem, et operantem. Qui hanc fidem Dei sanam, vivam, et integram habent, ejus expostulent incrementum dicentes cum Discipulis: *Domine adauge nobis fidem* (*Luc.* XVII). Quanto major erit fides tua, tanto perfectior vita: quanto dignior vita, tanto spes beatitudinis securior. Post *spem autem crescentis fidei vestrae* (*II Cor.* XX) gloriae obtinebis possessionem. Amen.

6. Epiphania

Ex Sacris Scripturis

Egredere de terra, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstrabo tibi. *Gen.* XII, 1.

Videbo eum, sed non modo; intuebor illum, sed non prope. Orietur stella ex Jacob. *Num.* XXIV, 17.

Coram ipso procident Aethiopes, et inimici ejus terram lingent. Reges Tharsis, et Insulae munera offerent: reges Arabum et Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes servient ei. *Psal.* LXXI, 9, 10, 11.

Vovete, et reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu ejus affertis munera; terribili et ei qui aufert Spiritum principum, terribili apud reges terrae. *Psal.* LXXV, 12, 13.

Venite, adoremus et procidamus, et ploremus ante Dominum, qui fecit nos. *Psal.* XCIV, 6.

In omnibus operibus tuis esto velox, et omnis infirmitas non occurret tibi. *Eccli.* XXXIV, 27.

Populus, qui ambulat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbrae mortis, lux orta est eis. *Isa.* IX, 2.

Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos, et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filii tui de longe venient, et filiae tuae de latere surgent. Tunc videbis et afflues, et mirabitur, et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te, dromadarii Madian, et Epha: omnes de Saba venient, aurum, et thus deferentes, et landem Domino annuntiantes. *Isa.* LX, 3 et seq.

Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab oriente venerunt Hierosolymam, dicentes: ubi est, qui natus est Rex Judaeorum? vidimus enim stellam eius in oriente, et venimus adorare eum. . . Qui cum audissent (*Magi*)

regem (*Herodem*), abierunt: et ecce stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret supra, ubi erat puer. Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valde. Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre eius: et procidentes adoraverunt eum : et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham. Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam. *Matth.* II, 1 et seq.

Ex Ss. Patribus

Magi aurum, thus et myrrham deferunt. Aurum quippe Regi congruit, thus vero in Dei sacrificium ponitur, myrrha autem mortuorum corpora condiuntur. Eum ergo Magi quem adorant, etiam mysticis muneribus praedicant: auro Regem, thure Deum, myrrha mortalem. *Greg. Hom. X in Evang.*

Nos itaque nato Domino offeramus aurum, et hunc ubique regnare fateamur: offeramus thus, et credamus quod is, qui in tempore apparuit, Deus ante tempora extitit: offeramus myrrham, ut eum quem credimus in sua divinitate impassibilem, credamus etiam in nostra fuisse carne mortalem. *Idem* ibid.

Aurum offerimus si sapientiae lumine splendemus; thus, si orationis studio redolemus; myrrham, si carnis vitia mortificamus. *Idem* ibid.

Per aliam viam reversi sunt in regionem suam. Regio nostra Paradisus est, ad quam, Jesu cognito, redire per viam, quam venimus prohibemur. A regione etenim nostra superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum vetitum gustando discessimus; sed ad eam necesse est; ut flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atque appetitum carnis refrenando redeamus. Per aliam ergo viam ad regionem nostram regredimur, quoniam qui a Paradisi gaudiis per delectamenta discessimus, ad haec per lamenta revocamur. *Idem* ibid.

Christus in sidere fulgebat, Chaldei munera offerebant, Herodes gladium praeparabat. *S. Maxim. Hom. IV de Epiph.*

Non enim retardavit eos (*Magos*) longitudo viarum, non difficultas temporum, non delicata teneritudo complexionum, non periculum personarum, quia ita inflammavit eos fidei fervor, et extrinsecus luminis splendor, ac interna irradiatio et illustratio, ut nec uno temporis momento potuerit retardari. *Bern. Serm. de Epiph.*

Quaenam Magos ratio commovit? quaenam etiam spes impulit praemiorum, ut ad Regem adorandum venirent, tam vasto praesertim a se terrarum spatio separatum? Magos trahit per gratiam,

quae invitat, per lucem quae informat. *Laur. Justin. lib. de lig. vitae* p. II.

Nam et thus illud, et myrrham et aurum ideo infanti tum Domino obtulerunt, quasi clausulam sacrificationis, et gloriae saecularis, quam Christus erat adepturus. *Tertull. de idol.* IX.

Magi non interrogant, sed insultant: quando scientes interrogant, nescientes non ignorant, sed negligentes arguunt, increpant desides, malos produnt, contumaces verberant, servum Domino non occurrisse causantur. *Chrysol. Ser.* CCLVI.

Quaerunt Magi ubi natus sit rex Judeorum, non ut instruantur a Judaeis, sed ut judaeos arguant, increpant, confundant. Hinc quem Judaei non agnoverunt, Magi adoraverunt, et sua pietate Judaeorum condemnarunt impietatem. At neque solos Judaeos arguunt Magi, sed plures etiam christianos, qui Christum regem non agnoscunt; eumque recipere recusant. Scelerosus tamen Christianus rejecto Christo, diabolum in regem agnoscit, Judaeo longe scelerosior; tum quia majore luce illustratus: tum quia plurimis et maximis beneficiis obligatus. Quam horrendum sit geminatum illud crimen, ostendat Magus, qui deposito errore, sequitur, currit, pervenit, invenit, gaudet, procidit, adorat, munera offert. Considera: hos principes non horruisse sordes stabuli, non despexisse paupertatem, aut infirmitatem infantis; sed interne illustratos agnovisse hunc puerum esse Deum!... Lauda Deum, gratulare Magis. Neque et tu horre paupertatem, aut contemptum!... Procidentes Magi adoraverunt Jesum, perfecto cultu latriae, quia eum ut verum Deum cognoverunt: Ecce quam sui aestimationem excitat Deus cognitus! quam reverentiam! Excelleres his, si Deum bene nosceres! Excita in te eosdem affectus, et offer te ad quaevis ardua. Apertis thesauris munera ei obtulerunt, aurum, thus, et myrrham. Hinc dubium non est etiam obtulisse quod iisdem muneribus designantur; cum auro caritatem, cum thure devotionem, cum myrrha mortificationem. In his etiam operibus et teipsum proba. Offer ei eadem tria, haec mystica dona, sed oblata semel, non amplius recipe. Nihil frustra Deo dabis; dabis vilia, accipies praetiosa.

7. Bacchanalia

Ex Sacris Scripturis

Omnis quippe coro corruperat viam suam super terram. *Gen.* VI, 12.

Surgentesque mane (*populus circa vitulum aureum manducantes et ludentes*), obtulerunt holocausta, et hostias pacificas, et sedit populus manducare et bibere , et surrexerunt ludere. *Exod.* XXXII, 6.

Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat hujusmodi cibus; et ecce furor Domini congitatus est in populum, et percussit eum plaga magna nimis. *Num.* XI, 33.

Est via quae videtur homini justa , novissima autem ejus ducunt ad mortem. *Prov.* XIV, 12.

In medio laquearum ingredieris, et super dolentium arma ambulabis. *Eccl.* IX, 20.

Vae qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem . . . Propterea infernus dilatavit animam suam, et aperuit os suum absque ullo termine. *Isa.* V, 14, 22.

Non omnis caro , eadem caro : sed alia quidem hominum alia vero pecorum etc. *I Cor.* XV, 39.

Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quae enim participatio justitiae cum iniquitate ? Aut quae societas luci ad tenebras ? Quae autem conventio Christi ad Belial ? Aut quae pars fideli cum infideli ? Qui autem consensus templo Dei cum idolis ? *II Cor.* VI, 14, 15, 16.

Ex Ss. Patribus

Sunt pleraque negotia quae sine peccatis exhiberi, aut vix, aut nullatenus possunt. Quae ergo ad peccatum implicant, ad haec necesse est, ut post conversionem animus non recurrat. *Greg. hom. XXIV in Matth.*

Laqueos Diabolus tetendit in cibo, in potu, in voluptate. *Aug. Solil.* cap. XVI.

Idoli portio est inebriari vino mentem, ventrem cibo distendere, saltationibus membra torquere. *Mans. Bibl. moral.* tract. IX, dis. VIII, n. 1.

Ubi cytharae et chori, ac plausus manuum, ibi virorum tenebrae, malorum perditio, angelorum tristitia, diaboli festum. *Chrys. hom. XLIX in Matth.*

Ubi tympana sonant, labia clamitat, lyra carrit, cympalum concrepat, quis ibi timor Dei ? *Hier. cont. Heliod.*

Est tempus hoc, tempus descendendi de peccato in peccatum, et persequens ad infernum , et ideo dicitur : Tenent tympanum , et cytharam, et ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. *S. Vinc. Fer. Serm. III in Quinq.*

Spectacula etiam juxta nostram professionem opera sunt Diabo-

boli. Quomodo, o Christiane, spectacula post baptismum sequeris qui opus diaboli esse confiteris? Renunciasti semel diabolo, semel et spectaculis eius; ac proinde necesse est, prudens et sciens, dum ad spectaculum remeas, ad diabolum te redire agnoscas. *Sal.*lib.VI.

Erras homo, non sunt, haec ludibria, sed crimina. Quis de empietate ludit? de sacrilegio quis jocatur? piaculum quis dicit risum? satis se decipit qui sic sensit. Qui jocari voluerit cum diabolo non potest gaudere cum Christo. Nemo cum diabolo jocatur impune. *Gris. Serm. XLV.*

Ut in baptismate ingrediar, aquam adituri ibidem, sed aliquando prius in Ecclesia, sub antistis manu contestamur renuntiare nos diabolo, et pompis eius. *Tert. lib. de idol.* cap. X.

Beatus qui suae vitae custos est, et provisor est salutis alienae. *Chrysol. Serm. CLV.*

Christianus in baptismate renuntiavit diabolo, et pompis ejus, et tamen bacchanalia gravitatem christianam in insaniam vertunt, ita ut plures reperiantur viri, et mulieres, qui bacchanalium tempore habitum desumunt nec usui, nec honori, nec dignitati convenientem. Christiani gentiles imitantur his diebus, tripudiant, luxuriantur, et male se gerunt: at multo magis Sacerdotes qui cum sint ministri Dei, nullo praecipue obscenae voluptatis genere cum gentilibus, et idolatris communicare debeant. Abscedant lasciviae, abscedant choreae, abscedant virorum, ac mulierum conventus, abscedant abusus epularum, ebrietatumque, abscedant cuncta gentilium voluptatum lenocinia, quibus praesidet diabolus; nam qui jocari voluerit cum diabolo, non poterit gaudere cum Christo. Status sane et gravitas ministerii nostri haec omnia vetat. Quid ergo tu spectacula vel saltem jocosa tantopere amas? Commissa, et omissa praeterita non potius te obligant ut mortificationes pro jocosis amplectas? Noli sequi sensus. . . Corrige ergo amorem hujus saeculi. . . Implorare debes divinam misericordiam, et postulare venias pro tot, et tantis sceleribus in hoc tempore commissis; rogare divinam sapientiam, ut aperiat mentis oculos ad cognoscendum quam periculosum, criminosum, et damnosum sit bacchanalia sequi.

S. Passio D. N. J. C.

Ex Sacris Scripturis

Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac, et vade in terram visionis: atque ibi offers eum in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi. *Gen.* XXII, 2.

Oravitque Moyses pro populo, et locutus est Dominus ad eum: Fac serpentem aeneum, et pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, vivet. *Num.* XXI, 7.

Foderunt manus meas, et pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea. *Psal.* XXI, 18.

Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit: et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus.... Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, ut non aperiet os suum. *Isa.* LIII, 4, 5, 7.

Et post hebdomades sexaginta occidetur Christus: et non erit ejus populus, qui eum negaturus est, etc. *Dan.* IX, 26.

Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum et Scribis, et condemnabunt eum morte, etc. *Matth.* XX, 18.

Exinde caepit Jesus ostendere discipulis suis, quia opertet eum ire Jerosolymam, et multa pati a Senioribus et Scribis, et principibus Sacerdotum, et occidi, et tertia die resurgere. *Matth.*XVI,21.

Recogitate enim, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes. *Hebr.* XII, 3.

Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. *Hebr.* XIII, 12.

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus. *I Petr.* II, 21.

Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini, etc. *I Petr.* IV, 1.

Ex Ss. Patribus

Filius Dei ad crucem ducitur, expalmatur, qui est vera palma victoriae: spinis coronatur, qui peccatorum spinas venit confringere: ligatur, qui solvit compeditos: ligno suspenditur, qui erigit elisos: aceto potatur fons vitae: disciplina caeditur, salus vulneratur, vita moritur. Occidit ad tempus vitam mors, ut in perpetuum a vita occideretur mors. *Aug. in lib. de oct. vir. charit.*

Si passio Redemptoris ad memoriam reducitur, nihil tam durum est, quod non aequo animo toleretur. Parva enim toleramus, si recordemur, quid biberit ad patibulum, qui nos invitat ad coelum. Illa enim opprobria, irrisiones, contumelias, alapas, sputa, flagel-

la, spineam coronam, crucemque sustinuit, et nos miseri ad nostram confusionem uno sermone fatigamur, uno verbo deiicimur. *Isid. de sum. bono*, lib. III.

O homo, vide, quae pro te patior: non est dolor, sicut quo crucior, ad te clamo, qui pro te morior; vide poenas, quibus afficior, vide clavos, quibus confodior, et cum sit dolor tantus exterior, interior est planctus gravior, cum te tantum ingratum experior. *Ber. Ser. XII sup. Cant.*

O bone Jesu, quid tibi est? mori nos debuimus, et tu solvis? nos peccavimus, et tu luis? Opus sine exemplo, gratia sine merito, caritas sine modo. *Ber. Ser. de Pass.*

Fusus est sanguis medici, et factum est medicamentum phrenetici. *Aug. Haeres.* lib. V.

Crux Christi non tantum est lectulus morientis, sed etiam Cathedra docentis. *Aug. Tract. CXIX in Joan.*

Passio Christi nostra redemptio est; mors Christi vita nostra est. *Ambr. in Luc. XXII.*

Causa passionis Christi duplex fuit; sanctitas vitae, et veritas doctrinae. Sanctitas quidem vitae Christi, Judaeos incitabat ad invidiam, cujus sanctitas notatur cum dicitur: *Quis ex vobis arguet me de peccato* (*Joan.* VIII). Veritas vero doctrinae Judaeos incitabat ad inimicitiam, quia veritas odium parit, quod notatur cum dicitur: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* (*Idem ibi*). Horreamus Judaeorum perversitatem caecitatemque, sed magis Christianorum ingratitudinem; admiremur Christi patientiam, meditemur improperium, quod pro nobis tulit Salvator. Voluit enim in sua passione tot supplicia sustinere, pertulit tot genera tormentorum, qui voluit contumeliis affici, verberibus laniari, spinis coronari, in cruce suspendi, emittere spiritum. Haec tamen tu non recogitas, Christum tristitia afficiens, qui de ejus passione nullum fructum percipis!... Expende quanti te fecerit Jesus; quantum te amaverit; quanto flagrabat amore erga te, pro quo nunc vult pati! Animam suam posuit pro ovibus suis. Poterit ergo ille damnare quem redemit a morte? Agnosce pretium oblatum!... Quid retribuas Domino pro omnibus quae pro te sustinuit? Reddere potes imitationem, pati pro Christo.

9. Sacramenti Ordinis requsita

Ex Sacris Scripturis

Loquere ad Aaron: Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam non offert panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus: si caecus fuerit, si claudus, si parvo vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel herniosus. Omnis, qui habuerit maculam de semine Aaron Sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo. *Lev.* XXI, 17 et seq.

Quis ascendit in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam nec juravit in dolo proximo suo. *Psal.* XXIII, 3, 4.

Pes meus stetit in directo: in ecclesiis benedicam te, Domine. *Psal.* XXV, 12.

At ille respondens (*discipulis*) ait: Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus coelestis, eradicabitur. *Matth.* XV, 13.

Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit, et dixit: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt. *Joan.* XX, 21.

Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyteri. *I Tim.* IV, 11.

Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quos assumpsi eos. *Act.* XIII, 2.

Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei. *Act.* XX, 28.

Manus cito nemini imposueris. *I Tim.* V, 22.

Propter quam causam admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum. *II Tim.* I, 6.

Hujus rei gratia reliqui te Cretae ut ea quae desunt, corrigas, ut constituas per civitatem presbyteros, sicut et ego disposui tibi. *Tit.* I, 5.

Ex Ss. Patribus

Qui non fideliter intravit, neque per Christum quidni infideliter agat, et contra Christum faciet? ad quod veniet, ut mactet utique, et disperdat. *Bern. Declam.* VII.

Ego obstupesco, fratres mei dilecti, ad ea, quae soliti sunt qui-

dam insipientium audere, qui impudenter, ac temere se se conantur ingerere ad munus Sacerdotii assumendum, licet non adsciti a gratia Christi, ignorantes miseri, quod ignem, et mortem sibi accumulent; si quis indigne hanc Sacerdotii dignitatem sibi usurpare sit ausus, tenebras sibi exteriores, et judicium absque misericordia consciscit. *Ephrem. de Sacerd.*

Vae, vae, vae Domine Deus, quanti hodie infelices ad sacros accedunt ordines, non vocati a Deo. *Bonav. Prep. Miss.*

Non eo tantum tempore, quo ordinandus est, sine ullo crimine sit, et praeteritas culpas nova conversatione diluerit, sed ex eo tempore, quo in Christo renatus est, nulla peccati conscientia remordeatur; quomodo enim potest Praeses Ecclesiae auferre malum de medio ejus, qui in delicto simili corruerit? aut qua libertate corripere peccantem, cum tacitus ipse respondeat, eadem admisisse, quae corripit. *Hier. in Ep. ad Tit.* cap. 1.

Quicumque ex lapsis ordinati, cum compertum fuerit, deponatur. *Conc. Nic. I* Can. X.

Ex penitentibus quamvis sit bonus Clericus non ordinetur. *Conc. Cart. IV* cap. LXVIII.

Ubi poenitentiae remedium necessarium est, illic ordinationis honorem habere non posse decernimus. *Innoc. I Ep.* XXII.

Nullus debet ordinari, qui judicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis. *Trid.* sess. XXIII, cap. XVI *de Reform.*

Curritur in Clero passim ab omni aetate, et ordine, a doctis pariter, et indoctis ad Ecclesiasticas curas tamquam sine curis jam quisque victurus sit, cum ad curas pervenerit. *Ber. Ep. XLII ad Hen.*

Ne hi qui ordinati sunt, pereant, provideri debet, quales ordinentur: ut aspiciatur, si vita eorum continens in annis plurimis fuit, si studium lectionis, si eleemosynae amorem habuerunt. *Greg. in regis.*

Pensandum valde est ad culmen quisque regiminis qualiter veniat: atque ad hoc rite perveniens qualiter vivat: et bene vivens, qualiter doceat: et recte docens, infirmitatem suam quotidie quanta valeat consideratione cognoscat. *Greg. post prolog.*

Si gradus Ecclesiasticus eo quaerit animo, eoque intuitu, ut hujus vitae habeat necessaria, evangelizat ut manducet, et perverso nimis ordine coelestibus terrena mereatur. *Bern. decl.* V.

Agnoscat unusquisque ordinem suum, et quod dignum sit eo ordine, quem suscipit, intelligat: et ita libret actus suos, ita etiam sermonem, incessum quoque et habitum moderetur, ut cum ordinis sui professione conveniat, ne audeat dici se a Deo.

Quia propter vos blasphematur nomen meum inter gentes. *Orig. sup. Levit.*

Jam ascendisti ad altiorem ordinem sacerdotalem nempe dignitatem, ita etiam in virtute, probitate, sanctitate progredi fas est satagere. In sacrario Domini strenuos nos solicitosque caelestis militiae excubitores necesse est nos probare. Sacerdos iam factus es! Idem est ac dicere jam te esse successorem septuaginta duorum discipulorum, qui praecedebant Dominum in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus. Presbyter dicitur, tu non ignoras, Senior, non tam aetate quam morum gravitate, sanctitateque. Sacerdos es Dei! ergo familiaris ejus, minister Christi, oraculum Spiritus Sancti; nuntius et interpres divinorum judiciorum, vicem gerens Summi Sacerdotis, Ecclesiae magister, basis in templo, caput populi, doctor pietatis, pro mundo legatus, colonus colens populum quasi vineam, antesignanus exercitus Domini. Fungeris officio mediatoris; dum pro populo Deum interpellas, atque dum poenitentes absolvendo Deo reconcilias. Quam insignis et veneranda haec dignitas! quam sublime ministerium! . . . Cum ad Sacerdotalem dignitatem ascendisti, considerasti ne haec an non? et qualis est nunc tuus fervor? qualis est tua corrispondentia! quomodo adimpleas ea quae sunt Sacerdotis? Perpende, et examina haec serio. Ita age in posterum, ita vive, ut Sacerdos esse merearis, et dignitatem tuam nulla sorde commacules, ut ad altare Christi quasi de thalamo virgo procedas, ut qui te vident possint vere dicere: hic est homo Dei.

10. Sanctissimum Nomen Jesu

Ex Sacris Scripturis

Turris fortissima Nomen Domini: ad ipsum currit justus, et exaltabitur. *Prov.* XVIII, 10.

Omni vita tua dilige Deum, et invoca illum in salute tua. *Eccli.* XIII, 18.

Affer filios meos de longinquo, et filias meas ab extremis terrae. Et omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum, et feci eum. *Isa.* XLIII, 6, 7.

Tu autem in nobis es, Domine, et nomen tuum invocatum est super nos, ne derelinquas nos. *Jerem.* XIV, 9.

Et erit: omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. *Joel* II, 32.

Ab ortu enim Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, etc. *Malach.* I, 11.

Et vocabis nomen ejus JESUM, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. *Matth.* I, 21.

Nec enim aliud nomen est sub Caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. *Actor.* IV, 12.

Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine JESU omne genuflectatur, caelestium, terrestrium et infernorum. *Philip.* II, 9, 10.

Ex Ss. Patribus

JESUS sit tibi cibus, et potus, dulcedo et consolatio tua, mel tuum, et desiderium tuum, lectio tua, et meditatio tua, oratio et contemplatio tua, vita, mors, et resurrectio tua. *Bern. Hor. vitae.*

Tristatur aliquis vestrum? veniat in cor JESUS, et inde saliat in os, et ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen, currit insuper ad loqueum mortis desperando, nonne si invocat nomen vitae, confestim respirabit ad vitam? *Bern. Ser. V in Cant.*

Nomen JESU lucet praedicatum, lenit, et ungit invocatum. Qui ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat bonos mores, atque honestos, castas fovet affectiones. *Bern. Serm. V in Cant.*

Tanto nomen est altius, quanto res significata per illud est altior. *Th. in cap. II Epist. ad Philip.*

Vocatum plane non impositum, nempe hoc ei nomen est ab aeterno. A natura propria habet ut sit Salvator. Innatum et nomen est, in inditum ab humana, vel angelica creatura. *Bern. Ser. II de Chr. conc.*

Currite gentes, ad manum est salus, effusum est nomen, quod quicumque invocaverit, salvus erit. O nomen benedictum! O oleum usquequaque effusum! quousque de Caelo in Judaeam, et inde in omnem terram excurrit? *Bern. Ser. XV in Cant.*

Sumsisti nomen ex meritis, custodi, ut semper laeteris veritate vocabuli. *Cass.* lib. VIII, *Var. Ep.*

Nihil ita sicut hoc nomen JESUS irae impetum cohibet, superbiae tumorem sedat, livoris vulnus sanat, luxuriae fluxum restringit, libidinis flammam extinquit, sitim avaritiae temperat, ac totius indecoris pruriginem sanat. *Idem* ibid.

JESUM, si disputas, aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi JESUS; JESUS mel in ore, melos in aure, in corde jubilus. *Bern. Ser. V in Cant.*

O JESU, JESU! utinam merear te videre, mihi JESUM: nihil aliud volo, nihil aliud quaero, nihil aliud desidero, nihil aliud cupio, nisi te videre JESUM. *Bern. Serm. VII in Coena Dom.*

Semper tibi in sinu sit, semper in manu, quo tui omnes in JESUM sensum dirigantur, et actus. *Ber. Ser. XV in Cant.*

Adeo honorabile est Jesu nomen, ut ab eius honore, et reverentia nullus excludatur locus, nullum praescribatur tempus, nullus excipiatur status. Nullus excluditur locus: nam *a solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini* (*Psal.* XLVII). Nullum praescribitur tempus. *Sit nomen ejus benedictum, ex hoc nuc et usque in saeculum* (*Psal.* XLII). Nullus exceptus status: *Reges terrae, et omnes populi, Principes, et judices terrae, juvenes, et virgines, senes cum junioribus, laudent nomen Domini* (*Psal.* CXLVIII). Ut autem quis digne Salvatoris (hoc enim denotat JESUS) valeat laudare nomen, debet gratia et sanctitate nitere. Sanctissimum est JESU nomen, idcirco qui illud profert, sit a peccato semotus et virtutibus fulgeat. Multi enim sunt qui JESUS nomen in ore duntaxat habent, nunquam manu, seu opere referunt. Si ergo meritis ditari desideras, hoc ordine age. Opus tuum ab invocatione nominis JESU sumat exordium, et ad ejus honorem consummetur. JESUS sit initium, finis, et medium cunctarum rerum: si cubitum is, si strato assurgis, si cibum vel potum sumis, si iter facis, si legis, si scribis, vel aliquid aliud agis, sanctissimum JESU interpone nomen, quod actiones tuas dirigat, et regulet. JESUM corde cogita, profer ore, repraesenta moribus, in brachio impressum, et sigillatum habe: *Pone ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum* (*Cant.* II). Vult Salvator noster, ut suum nomen pro signaculo in actibus habeamus, et notam ipsius in omnibus tam dictis, quam factis imprimamus. Est ne rectum cor tuum cum JESU? Si est, da illi cor tuum, et imprime sanctissimum nomen JESU. Habuisti ne hactenus? Habebis in posterum? Quomodo, quid respondes? Examina, reflecte, statue.

11. Sanctitas Cleri

Ex Sacris Scripturis

Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos. *Exod.* XIX, 22.

Ego enim sum Dominus Deus vester: sancti estote, quia ego sanctus sum. *Levit.* XI, 14.

Sanctificamini et estote sancti, quia ego sum Dominus Deus vester. . . Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, et separavi vos a caeteris populis, ut essetis mei. *Levit.* XX, 7, 26.

Sancti erunt Deo suo (*Sacerdotes*), et non polluent nomen ejus: incensum enim Domini, et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt. . . Sint ergo sancti, quia et ego sanctus sum, Dominus, qui sanctifico eos. *Levit.* XXI, 6, 8.

Memores praeceptorum Domini, facient ea, sintque sancti Deo suo. *Num.* XV, 40.

Et Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi et custodias omnia praecepta illius: et faciat te excelsiorem cunctis gentibus, quas creavit, in laudem, et nomen et gloriam suam: ut sis populus sanctus Domini Dei tui, sicut locutus est. *Deut.* XXVI, 18, 19.

Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi, in sanctitate et iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris. *Luc.* I, 94.

Deus eligit nos in ipso (*Christo*), ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in caritate. *Ephes.* I, 4.

Ut quomodo Christus surrexit a mortuis . . . ita et nos in novitate vitae ambulemus. *Rom.* VI, 4.

Et ipsi in omni conversatione sancti sitis: quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. *I Pet.* I, 15, 16.

Et qui justus est sanctificetur adhuc: et sanctus, sanctificetur adhuc. *Apoc.* XXII, 11.

Ex Ss. Patribus

Quanta illum virtute non sua tantum unius, sed et caelesti praeditum esse convenit, cui sorte obtigit, ut Christi sponsam colat, ornetque! *Chrys. lib. III de Sacerd.* cap. V.

Considera, quales manus haec administrantes esse oporteat? qualem linguam, quae verba illa effundat? qua denique re non puriorem, sanctioremque esse conveniat animam, quae, tantum illum, tamque dignum spiritum receperit? *Chrys. lib. VI de Sacerd.* cap. III.

Tantum inter Sacerdotem, et quemlibet probum interesse debet, quantum inter Coelum, et terram discriminis est. *Isid. Pel.* lib. II, epist. CCV.

Per sacrum ordinem Clericus deputatur ad dignissima mysteria, quibus ipsi Christo servitur in Sacramento altaris, ad quod requiritur major sanctitas interior, quam requirat etiam Religionis status. *Thom.* 2ª 2ªᵉ, quaest. CLXXXIV, a. 8.

O Sacerdotes! si anima cujuslibet justi sedes est Dei, multo magis sedes, et templum Dei esse debetis mundum, et immaculatum: si sepulchrum ejus jacuit exanime, gloriosiora, et digniora esse debent corpora vestra, quae, qui a mortuis suscitatus est, quotidie inhabitare dignetur; si beatus est venter, qui novem mensibus Christum portavit, et beata debent esse corda vestra, in quibus sibi hospitium quotidie elegit Filius Dei: si beata sunt ubera, quae parvulus suxit, ita debet esse os beatum, quod carnem ejus sumit, et sanguinem sugit: carnes ergo vestras cum timore ejus configite, et vobis diligenter providete, ne lingua loquendo, quae vocat de caelo Filium Dei, contra Dominum loquatur; et ne manus quae intinguntur sanguine Christi polluantur sanguine peccati. *Aug. citatus a Molina lib. de dign. Sacerd.* tract. I, cap. V.

Monstruosa res est gradus summus et animus infimus: sedes prima, et vita ima; lingua magniloqua, et manus otiosa: sermo multus, et fructus nullus; vultus gravis, et actus levis: ingens auctoritas, et nutans stabilitas. *Bern. lib. II de consid.* cap. VII.

Quod sumus professione, actione potius, quam nomine demonstremus, ut nomen congruat actioni, actio respondeat nomini, ne sit nomen inane, crimen immane; ne sit honor sublimis, et vita deformis; ne sit deifica professio et illicita actio. *Ambr. de dign. Sacerd.* cap. II.

Absit ut de his quicquam sinistrum loquar, qui apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos etiam nos christiani sumus, qui claves regni caelorum habentes, quodammodo ante diem judicii judicant. *Hier. sup. Ezech.* lib. II.

Si Ecclesia est pratum pulchris floribus decoratum; sacerdos ex pulcherrimo hoc ecclesiae prato, velut augustior quidam flos videtur electus. Si ecclesia est ovile, sacerdos est illustrior portio gregis Christi. Si Ecclesia est pretiosus thesaurus, Sacerdos est opulentia indeficiens, margarita speciosa. Si ecclesia est corpus mysticum ex variis sanctorum ordinibus conflatum, Sacerdos est sanctorum corona. Si ecclesia est regina virtutibus ornata, sacerdos est virtutum princeps. Hinc sequitur quod ab omni nequitia mundum necesse est te esse, et dolo, ab omni peccato et Dei offensa, si cupis, regnare cum Christo. Sed et non in hoc solum veras Cleri sanctitas sita est. Quia plantatus es in domo Domini, et stas in atriis Dei tui, oportet, ut floreas et germines sicut lilium, ac multiplices sicut cedrus Libani. Potesne hoc a te fieri, nisi justitiam sitias', nisi contendas de virtute in virtutem, nisi crescas de die in diem per omnia in illo, qui est caput Christus?

Perpende, et certo scito; si vis habere partem cum Christo, Christi exemplo et vita tibi vivendum est: discipulus enim proficiens est gloria magistri. Si ergo sanctorum cupis habere consortium, ab omni labe pectus emunda: quia nonnisi sanctos et justos, simplices, innocentes, et puros caelestis aula suscipiet.

12. Dilectio Dei

Ex Sacris Scripturis

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua. *Deut*. VI, 5.

Ama itaque Dominum tuum et observa praecepta ejus, et caeremonias, judicia atque mandata omni tempore. *Deut*. XI, 1.

In omni virtute tua dilige eum qui te fecit: et ministros eius ne derelinquas. *Eccli*. III, 32.

Ut diligatis Dominum Deum vestrum, et ambuletis in omnibus viis ejus, et observetis mandata illius, adhaereatisque ei, ac serviatis in omni corde, et in omni anima vestra. *Josue* XXII, 5.

Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus. *Matth*. X, 37.

Ait illi Jesus: Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, etc. *Matth*. XXII, 37.

Respondit Jesus, et dixit ei: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. *Joan*. XIV, 23.

Si praecepta mea servaveritis manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei praecepta servavi, et maneo in eius dilectione. *Joan*. XV, 10.

Scimus autem, quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. *Rom*. VIII, 28.

Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema, Maran Atha. *I Cor*. XVI, 22.

Nos ergo diligamús Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. *I Joan*. IV, 19.

Ex Ss. Patribus

Coeli et terra clamant, Domine, ut amemus te, et fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te. *Aug*. *Confes*. lib. I.

Cor repletum amore Christi facile ad omnem de eo sermonem



compungitur. Nihil audit libentius, nihil legit studiosius, nihil frequentius recolit, nihil suavius meditatur. *Bern. ser. XX in Cant.*

Domine Deus omni momento me tibi obligas, dum omni momento mihi tua magna beneficia praestas; nullum ergo debet esse momentum, quo te non diligam. *Aug. cap. XVIII Solil.*

Ratio diligendi Deum, Deus est; diligendi modus, sine modo diligere. *Ber. de dilig. Deo*, cap. I.

Potest aliquis dicere: non possum jejunare, numquid potest dicere non possum amare? *Aug. ser. VI post Dom. quin.*

Duas civitates duo faciunt amores, Jerusalem facit amor Dei, Babyloniam facit amor seculi. Interroget igitur se unusquisque quid amet, et inveniet unde sit civis. *Aug. sup. Psal.* LIV.

Non potest capere ignitum eloquium frigidum pectus. Quomodo enim Graece loquentem intelliget, qui graecam linquam non novit? nec Latine loquentem, qui latinus non est: et ita de caeteris. Sic lingua amoris ei, qui non amat: barbara erit inquam, sicut aes sonans, aut cymbalum tinniens. *Ber. Ser. V, sap. Cant.*

Formatis hominis institutio est moralis, vita eius amor Dei; hunc fides concipit, spes parturit, caritas format et vivificat; amor enim Dei vel amor Deus Spiritus Sanctus, amori hominis se infundens, afficit eum sibi. *Chrys. hom. XX de variis.*

Si amare pigeat, saltem redamare non pigeat: nimis durus est animus, qui dilectionem si nolebat impendere, nolit rependere. *Aug. de catech. rud.* cap. IV.

Ama amorem illius, qui amore tui amoris descendit in utero Virginis, et ibi amorem suum amori tuo copulavit, humiliando se, sublimando te, conjungendo lumen suae aeternitatis limo tuae mortalitatis. *Idem ibid.*

Omnes perfectiones infinitae sunt in Deo, et ad invicem identificantur. Cum ergo Deus sit omnimode perfectus, habeatque infinitam amabilitatem, amandus est toto corde, ut in Dominico habetur praecepto: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* (*Matth.* XXII). Aliae virtutes terminos habent, ultra quos sese extendere nequeunt; liberalitas si excedat, degenerat in prodigalitatem; spes in praesumptionem; justitia in injustiam. Solus Dei amor defectu quidem, sed non excessu errare potest; in divino amore nullus est adhibendus modus. Nunquam excidat a memoria nullusque sit dies, quo Deum non amemus quem ex justitia diligere debemus. Diligendus est Deus per sapientiam intellectus, ut diligatur per ardorem voluntatis. Et ideo amor probatur operibus, quibus bonum amanti quaeritur citra proprium commodum. Me-

mento Christum suum in nos amorem probare, cum omnia mala nostri corporis et animae in se susceperit; dolores, taedia, poenas, quas merebamur, satisfactiones pro peccatis, quas reddere non valebamus, suscepit. Et quia aequalem Christo non valemus rependere amorem, illum, quantum possumus, diligamus. Purifica in posterum omnem amorem erga Deum. Oppone amorem, quo te hactenus amasti, quam inordinatus! quam sensualis!

13. Obedientia

Ex Sacris Scripturis

Et facies quodcumque dixerint, qui praesunt loco, quem elegerit Dominus et docuerint te juxta legem ejus: sequerisque sententiam eorum : nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. *Deut.* XVII, 10. 11.

Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies. . . Qui autem verba ejus, quae loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. *Deut.* XVIII, 15, 19.

Observa diligenter, ne incurras plagam leprae, sed facies quaecumque docuerint te Sacerdotes Levitici generis, juxta id quod praecepi eis, et imple sollicite. *Deut.* XXIV, 8.

Melior obedientia, quam victimae: et auscultare magis, quam offerre adipem arietum. *I Reg.* XV, 22.

Cum haec illa adhuc diceret, ait adolescens. Quem sustinetis? Non obedio praecepto regis, sed praecepto legis, quae data est nobis per Moysen. *Et alius ante dixerat.* Parati sumus mori magis, quam patrias Dei leges praevaricari. *II Mach.* VII, 30.

Audi fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuae. *Prov.* I, 8.

Utinam attendisses (*increpat Dominus Judaeorum ingratitudinem, hypocrisim, atque duritiam*) mandata mea: facta fuisset sicut flumen pax tua, et justitia tua, sicut gurgites maris. Et fuisset quasi arena semen tuum, etc. *Isa.* XCVIII, 18, 19.

Et ait illis (*Jesus Simoni et Andreae*): Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuo relictis retibus, secuti sunt eum. *Matth.* IV, 19, 20.

Qui vos audit me audit: et qui vos spernit, me spernit. *Matth.* X, 16.

Cornelius dixit Petro: Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus (*parati*) audire omnia quaecumque tibi praecepta sunt a Domino. *Actor.* X, 33.

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim' potestas, nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. *Rom.* XIII, 1, 2.

Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen. *Philipp.* II, 8, 9.

Ex Ss. Patribus

Haec in nobis sola, et summa virtus est obedientiae: si jejunaveris diebus, ac noctibus, orationemque feceris, si in sacco fueris, vel in cinere, si nihil aliud feceris, nisi quodcumque praeceptum est in lege, et tibi visus fueris quasi sapiens, et obediens Patri non fueris, omnes virtutes perdidisti: una obedientia plus valet, quam omnes virtutes. *Aug. de obed. et humil.*

Obedientia non servili metu, sed caritatis affectu servanda est: non timore poenae, sed amore justitiae. *Greg. XII Moral.*

Credas salutare quidquid praepositus praeceperit, nec de majorum sententia judices, cujus officii est obedire, et implere, quae jussa sunt, dicente Moyse: audi Israel et tace. *Hier. ad Rust.*

Qualiter nos audimus nostros superiores, taliter nostras exaudiet Deus, orationes. *Bonif. coll. III de Profess. Relig.*

Obedientia sola virtus est, quae menti caeteras virtutes inserit insertasque custodit. Melior est obiedientia, quam victimae : obedientia victimis jure praeponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. *Greg. Moral.* lib. XXXV.

Verus obediens mandatum non procrastinat, sed statim parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, et se totum intus colligit, ut mandatum peragat imperantis. *Bern. de praecep. et dispens.*

Unum atque idem inobedientiae genus est, vel propter operationis instantiam , vel propter otii desiderium Superioris praeterire mandatum; tamque dispendiosum est pro somno, quam pro vigilantia monasterii statuta convellere. Tantum denique est abatis transire praeceptum ut legas, quantum si contemnas, ut dormias. *Cassiod. in collatio. Ab Moysi.*

Non praescripto obedit ritu subditus, cui annuit superior, quem ad cupita imperanda sollicitus pertrahit: tum enim potius superior subdito , quam subditus superiori paret : perfecta est subditorum

obedientia, quia faciunt, quod vult Deus, ejusque voluntati in omnibus substernuntur: nihil enim tam vile, et ignobile a superiore praecipitur, quod summi honoris loco non ducat: infimum quoque, et humile officium, maximum et dignum censet, quia obsequendo nihil aliud quaerit bonus subditus, quam Superiori qui vicem Dei gerit, placere, ejusque exequi voluntatem. Apud sepulchrum Domini Angelos reperit Magdalena. Idem illis fuit assidere sepulchro, et in coelis manere: quia nihil aliud spectabant, nihil volebant, quam divinam adimplere voluntatem. Igitur non sit tibi dedecori obedire. Obedientia, maxima fuit in Filio Dei, qui fuit obediens usque ad mortem. Quis unquam resistit Christi Vicario cum Christo non resisterit suis adversariis? Omnis enim ordo praecipue Ecclesiasticus suis rectoribus nititur. Alia via non intrabis in regnum coelorum, quam faciendo Dei voluntatem. Sed quae est voluntas Dei? hanc per Superiores indicat: *Qui vos audit, me audit* (*Luc.* X), Hanc regulae, hanc jussa, hanc decreta, et Concilia manifestant, quae non sunt inventa hominis sed Dei. Vide, num facta tua voluntati Dei consentiant obediendo. Quomodo te habes ad superiorum dispositiones? Quomodo ad id quod praecipitur? Examina diligenter.

14. Sapientia a Deo

Ex Sacris Scripturis

Et qui appropinquant pedibus ejus (*Dei*), accipiunt de doctrina illius. *Deut.* XXXIII, 3.

Quia postulasti verbum hoc (*ait Dominus Salomoni*), et non petesti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum: sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum judicium: ecce feci tibi secundum sermones tuos etc. *III Reg.* III, 11, 12.

Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante aevum. *Eccli.* I, 1.

Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo . . . et dubitur, ecc. *Job.* I, 5.

Quoniam non cognovi litteraturam . . . Deus, docuisti me a juventute mea. *Psal.* LXX, 15, 17.

Fili mi: Si susceperis sermones meos, et mandata mea absconderis penes te, ut audiet sapientiam auris tua: inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam. Si enim sapientiam invocaveris, et inclinaveris cor tuum prudentiae: si quaesieris eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam: tunc intelliges timorem Domini, et scientiam Dei invenies: quia Dominus dat sapientiam: et ex ore ejus prudentia, et scientia. *Prov.* II, 1 et seq.

Timor Domini, principium sapientiae. *Prov.* I, 7.

Fili concupiscens sapientiam, conserva justitiam, et Deus praebebit illam tibi. *Eccli.* I, 33.

Non erudietur, qui non est sapiens in bono. *Eccli.* XXI, 14.

Omnia autem Dominus fecit, et pie agentibus dedit sapientiam. *Eccli.* XLIII, 37.

Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. *Sap.* I, 4.

Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia, etc. *Isa.* XLVIII. 17.

Confiteor tibi Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. *Matth.* XI, 25.

Ex Ss. Patribus

Prima sapientia est, vita laudabilis, et apud Deum pura mens, per quam puri puro iunguntur, et sancti sancto sociantur. *Greg. Nazianz. in Analog.*

Nihil egentius illa mente, quae de Deo extra Deum philosophatur. *Aug. de civ. Dei.*

Ad veram sapientiam pervenire non possunt, qui falsae suae sapientiae fiducia desipiunt. *Greg. Mor.* lib. II.

Qui thesauro effodit, terram reiicit, foveam in altum facit, sedulus insistit, donec inveniat quod quaerit: sic qui thesauros sapientiae invenire desiderat, omne pondus terrenorum rerum a se reiiciat, perseveranter postulet a Deo, in se fossam humilitatis faciat, nec quiescat, donec inveniat. *Hier. sup. illud. Prov. II. Si sapient. etc.*

Nomen Philosophiae, si latine interpretetur, amorem sapientiae profitetur: porro si sapientia Deus est, verus philosophus est amator Dei. *Aug. lib. VIII, cap. I de Civ. Dei.*

Ille vere est sapiens qui omni tempore pravis suis concupiscentiis resistit; nam qui in solo nomine sapientiae sibi blanditur, et gloriatur, haec sapientia non a Deo; et ideo insipiens hic prorsus ac stultus reputabitur. *Ephr. ser. ad piet.*

Sapientia illa clara est, non quae in verbis volat, sed quae virtutibus constat. *Greg. in Past.*

Ille vere a Deo sapientiam dicitur habere, si didicerit jucundam reddere vitam, et maximam in tribulatione praestat consolationem. *Hugo. in didas.* lib. III.

Admirabilis est Deus in omnibus viis ejus, et est mirabilis in sua providentia, dirigens in suos fines creaturas irrationa-

biles adeo infallibiliter, ac si rationis essent compotes; specialiter in hominibus est admirabilis conferens ipsis sapientiam. Qualitas enim et conditio doctrinae quam ab ipso edocti sunt discipuli eius, clare demonstrat hujusmodi scientiam non esse nisi a Deo. Malorum magistrorum malae doctrinae sunt, et qui ab iis erudiuntur, malam sapiunt doctrinam. Unigenitus Dei filius, Christianae disciplinae magister est et praeceptor, a quo edocti sunt Sacerdotes, quo nihil utilius ad comparandam eius doctrinam. Quanto felices sunt sacerdotes qui edocti sunt non ab homine mortali, ignorantiae, et peccato obnoxio sed ab ipso Deo sanctissimo et sapientissimo? Et si Regius Vates beatos praedicavit eos qui a Deo eruditi sunt. *Beatus homo, quem tu erudieris:* (*Psal.* LXVII) quam felices Sacerdotes, qui hauriunt eruditionem a Verbo divino, doctrinam ab humanata sapientia, lucem a sole justitiae! O quam velox est sermo sapientiae! et ubi Deus magister est, cito discitur quod docetur. Ad hanc scientiam recipiendam dispositionem tuam requirit; nimirum abstinentiam, et jejunium, orationem, et meditationem, contemplationem et secessum, cordis solitudinem. Sed plerique accepta scientia literarum, non ad Dei gloriam, sed ad suam laudem utuntur, dum de ipsa extolluntur, et ibi peccant, ubi peccata emendare debuerunt. Clare ideo patet hanc non esse scientiam cum non sit a Deo, et ad Deum, sed ab homine et ad humana oblectamenda aggressi sunt. Vera scientia, si a Deo est, debet facere de irato benevolum, de austero mitem, de adversante propitium etc. Prima sapientia enim est vita laudabilis, apud Deum pura mens, per quam puri puro iunguntur, et sancti sancto sociantur.

15. Bona opera

Ex Sacris Scripturis

Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi: quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo. Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo: et justitias ejus non repuli a me. Et ero immaculatus cum eo: et observabo me ab iniquitate mea, etc. *Psal.* XVII, 20 et seq.

Dicite justo, quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet. *Isa.* III, 10.

Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in caelis est. *Matth.* V, 16.

Si vis ad vitam ingredi serva mandata. *Matth.* XIX, 17.

Creati (*sumus*) in Christo Jesu in operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus. *Ephes.* II, 10.

Christus dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. *Tit.* II, 14.

Fidelis sermo est: et de his volo te confirmare: ut curent bonis operibus praeesse, qui credunt Deo. Haec sunt bona, et utilia hominibus. *Tit.* III, 8.

Discant autem et nostri bonis operibus praeesse ad usus necessarios, ut non sint infructuosi. *Tit.* III, 14.

Et consideremus invicem in provocationem caritatis, et bonorum operum. *Hebr.* X, 24.

Quid prodest fratres mei, si fidem quis dicat se habere , opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare eum? *Jac.* II, 14.

Fides si non habet opera mortua est in semetipsa. *Jac.* II, 14.

Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita et Fides sine operibus mortua est. *Jac.* II, 26.

Quapropter fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, et electionem faciatis: haec enim facientes, non peccabitis, aliquando. *I Pet.* I, 10.

Ex Ss. Patribus

Cum desideria bona concepimus, semen in terra mittimus, quum vero opera recta incipimus, herba sumus, quum autem ad profectum boni operis crescimus ad spicam pervenimus, cum in ejusdem boni operis perfectione solidamur, jam plenum frumentum in spica praeferimus. *Greg. hom. XI.*

Bonum opus fiat non timore, sed amore, non formidine penae, sed dilectione justitiae, ipsa enim vera et summa libertas est. *Aug. sup. Joan.* cap. II.

Vides formicam in aestate sibi thesaurizantem cibos ; imitare et thesauriza tibi ipsi fructus bonorum operum in futura saecula. *Cyrill. Cath.* VI.

Probatio dilectionis , exhibitio est operis. *Greg. hom. III, in Joan.*

Non tibi ab opere cessandum est, quia Deo propitio, nulla re indiges, sed ideo in omnibus laborandum est, ut per occasionem operis, nihil aliud cogites, nisi quod ad Domini pertinet servitium. *Hier. ep. VIII, ad Dom.*

Non sibi aliquid credat , quidquid sibi animus sine testimonio operis respondet; de dilectione conditoris, mens, lingua, et vita requiritur. *Greg. hom. III in Matth.*

Sic doce me, ut agam, non ut tantummodo sciam, quid agere debeam. Sicut enim dictum est de Domino, quod non noverat peccatum, et intelligitur non fecerat, sic et justitiam ille vere dicendus est nosse, qui facit. *Aug. sup. Psal. CVI.*

Anima sancta aeternis bonorum operum margaritis componitur ut ad caelesti sponsi consortium, et nuptiale convivium feliciter ornata perveniat. *Aug. hom. XXVI ex I.*

Homo Dei bonos mores bonis operibus nutrit, sustentat, ordinat, ne prae alimenti fame deficiat. Ut enim alimentum in substantiam viventis convertitur, quo ipsum foveat ac nutriat; sic bona opera sunt alimenta animarum, et virtutes foveant ac sustentent. Caveamus ergo, nec ad instar prodigi vivendo luxoriose, substantiam totam salutis dissipemus, et vita omnibusque consumptis, famem bonorum operum gravissimam perferamus. Tu itaque talia fac opera tua, ut in hora mortis in veritate non sit pro te illa maledictio: *Arbor mala, quae non facit fructos bonos, excidetur et in ignem mittetur* (*Matth.* VII). O misera conditio tua, nisi in bonis operibus laboras! Unusquisque pro operibus suis mercedem accipiet: nec possunt in die judicii bonorum virtutes, malorum vitia eamdem percipere mercedem. Per angustam ut penetres portam, opera bona requiruntur: ut serio velis, serio opereris. Visne haec? ut velis bona adhibe opera, quia haec ducunt ad vitam.

16. Virtus poenitentiae

Ex sacris Scripturis

Et clamavit omnis populus ad Dominum instantia magna, et humiliaverunt animas suas in jejuniis et orationibus, ipsi et mulieres eorum. Et induerunt se sacerdotes ciliciis, et infantes prostraverunt contra faciem templi Domini, et altare Domini operuerunt cilicio: et clamaverunt ad Dominum Deum Israel unanimiter, ne darentur in praedam infantes eorum, et uxores eorum in divisionem, et civitates eorum in exterminium, et sancta eorum in pollutionem, et fierent opprobrium gentibus. *Judith* IV, 8, et seq.

Judith, licet innocentis vitae, habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitae suae praeter Sabbata . . . et festa domus Israel. *Judith* VIII, 6.

Cum promulgatus fuisset crudele edictum Assueri contra Judaeos, Mardochaeus indutus est sacco, spargens cinerem capiti... In omnibus quoque provinciis, oppidis, ac locis . . . planctus in-

gens erat apud Judaeos, jejunium et ululatus, sacco et cinere multis pro strato utentibus. *Esther* IV, 1, 3.

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo. *Psal.* VI, 7.

Facite ergo fructus dignos poenitentiae, et ne coeperitis dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae. *Luc.* III, 8.

Poenitentiam (*inquit Petrus*) agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum: et accipietis donum Spiritus Sancti. *Act.* II, 28.

Quae enim secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur: saeculi autem tristitia mortem operatur. *II Cor.* VII, 10.

Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. *Galat.* V, 24.

Ex Ss. Patribus

Docendus est homo, sic habere corpus suum, sicut aegrotum cui etiam multum volenti inutilia sunt neganda, utilia etiam nolenti ingerenda. *Ber. Ep. ad Tra.*

Melius est modica amaritudo in faucibus, quam aeternum tormentum in visceribus. *Aug. de agen. poenit.*

Sane in hoc creatus es Princeps, ut imperes affectibus, ut domineris bestiis et reptilibus, et praesis simul et volatilibus; tuis, fac imperes cogitationibus. *Basil. hom. V in hexam.*

Peccata, quae male agendo post baptismum committuntur, possunt poenitendo sanari. *Aug. in Ench.* XLVI.

Tu quae iam ingressa es agonem poenitentiae, insiste misera, fortiter inhaerere, tamquam naufragus tabulae. *Amb. ad Virg. laps.* XV.

Quantas vices cadit homo, tantas debet resurgere et plangere excessum suum cum gemitu et suspiria. *Aug. Serm. I de Poenit. et Jejun.*

Ad agendam poenitentiam non sufficit mores in melius commutare, et a malefactis recedere, nisi et de his, quae facta sunt satisfacias Deo, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sagrificium, cooperantibus eleemosynis. *Aug. in lib. de Poen.*

Impossibile est peccatum actuale mortale sine poenitentia remitti, loquendo de poenitentia, ut est virtus. *Thom.* III p. q. LXVIII, art. 3.

Nisi egeris poenitentiam, salvus esse non poteris. Quomodo enim gaudebis fuisse correctum, nisi doleas fuisse perversum? *Cypr. Ep.* L.

Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per poenitentiae medicinam spes vitae reparetur aeternae. *Leo Ep. XCI ad Theod.*

Sive Episcopus, sive Presbyter, sive laicus una die sine poenitentia esse non debet, quia nescimus diem, neque horam quando pius Deus de hoc saeculo nos migrare jubeat. *Aug. Ser. I de Poen. et Jejun.*

Poenitentes veri et non ficti, externis contriti animi signis testantur poenitentiam, non parcunt lacrymis, precibus insistunt, omnibus volvuntur, nullumque omittunt verae poenitentiae indicia, quo ad misericordiam provocant. Olim poenitentes noctibus totis usque sub diem stabant pervigiles, pedesque immobiles tenere, contra somnum vim naturae inferre, nullam sibi requiem indulgere. Alias in oratione reorum more, vinctis post terga manibus, humi luridas facies suas inclinantes, indignos se qui caelum aspicerent vociferantes, nihil petentes, sed tacitam mutamque Deo mentem offerentes confusione plenam. Nonnullos in pavimento strato cilicio, et cinere sedentes, et faciem genibus operientes, et frontem in terram collidentes. Alios pectora jugiter tundentes, animamque suam, ac vitam suspirio ingenti revocantes: alios lacrymantes, alios quod id non possent lamentantes. Ex his alii sub ardentissimo Solis aestu seipsos cruciabant, alii acerrimo frigore se affligebant; haec et similia erant indicia verae poenitentiae. Quem locum apud illos risus habuit? quem sermo otiosus? Jugiter ad Dominum clamabant, solaque orationis vox audiebatur: Miserere, mei, Deus etc. Ubinam sunt hac aetate, qui stupenda illa imitentur poenitentiae exempla? qui peccata detestentur? qui habeant cor dolore et amaritudine contritum? qui de suis corporibus vindictam sumant, et externis afflictionibus divinae justitiae satisfaciant? Haec continuo meditare. Confuge ergo ad medicum: age poenitentiam: dic, iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccavi: parce iniquitatibus meis.

17. S. Antonius Abas

Ex sacris Scripturis

Militia est vita hominis super terram. *Job* VII, 3.

Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad praelium, et digitos meos ad bellum. *Psal.* CXLIII.

Ecce elongavi fugiens: et mansi in solitudine. Expectabam eum, qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus et tempestate. *Psal.* LIV, 7, 8.

Pinquescent speciosa deserti : et exultatione colles accingentur. *Psal.* LXIV, 13.

Beatus homo, quem tu erudieris Domine, et de lege tua docueris eum. *Psal.* XCIII, 12.

Certamen forte dedit illi ut vinceret. *Sap.* X, 12.

Magnificavit eum in timore inimicorum . . . et glorificavit eum in conspectu regum. *Eccli.* XLIV, 2, 3, 6.

Laetabitur deserta, et invia, et exultabit solitudo, et florebit quasi lilium. *Isa.* XXXV, 1.

Et erit ibi semita , et vita sancta vocabitur , non transibit per eam pollutus, et haec erit vobis via directa. *Isa.* XXXV, 8.

Leva in circuitu oculos tuos, et vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. . . Quia deserta tua et solitudines tuae, et terra ruinae tuae angusta erunt prae habitationibus etc. *Isa.*XLIX, 18, 19.

Ecce intelligit servus meus, exultabitur, et elevabitur, et sublimis erit valde. *Isa.* LII, 13.

Ait illi Jesus: Si vis perfectus esse, vade, vende, quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo: et veni sequere me. *Matth.* XIX, 21.

Tunc Jesus ductus est in desertum a spiritu, ut tentaretur a diabolo. *Matth.* IV, 1.

Et sermo meus, et praedicatio mea, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis , sed in ostensione spiritus , et virtutis. *I Cor.* II, 4.

Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem. *Rom.* VI, 4.

Tentatum autem per omnia absque peccato. *Hebr.* IV, 15.

Ex Ss. Patribus

Antonius ad unicum Evangelii praegustationem, ad unam ut dicitur guttam; Si vis perfectus esse, vade, vende, quae habes, et da pauperibus ; protinus a terrenis ad spiritualia ; ab imis ad summa; a visibilibus ad invisibilia; a caducis ad aeterna seorsum ductus est: sedensque in solitudine levavit supra se. *Jo. Ger. ser. de S. Ant.* I p.

Antonius velut ingeniosa quaedam apis, varias percurrens monachorum habitationes, proprias singulorum gratias hauriebat, hujus continentiam, jucunditatem illius sectabatur, istius lenitatem, illius vigilantiam, alterius legendi imitabatur industriam: istum

jejunantem : illum humi quiescentem mirabatur, alterius patientiam,. alterius mansuetudinem praedicabat; omniumque vicariam erga se retinens caritatem, atque universis virtutum partibus irrigatus, ad sedem propriam ingrediebatur. *Athan. de S. Ant.*

O eremus sanctarum mentium delectatio, et intimi gustus inexhausta dulcedo! O cella negotiatorum coelestium apotheca, felix commercium, ubi terrenis coelestia, transitoriis mutantur aeterna! O eremus mundi persequentium effugium, laborantium quies, moerentium consolatio, ab aestu saeculi refrigerium, peccati repudium, reclusio corporum, libertas animarum, officina gemmarum coelestium, curia coelestium senatorum, ubi victor, demonum socius, efficitur Angelorum, exul mundi, haeres paradisi. *Basil. Tract. de laud. solit.*

Ædificavit sibi solitudinem, in qua tanto purius Deum cerneret, quanto hunc cum se solo solum inveniret. *Greg. Magn. in cap. III Job.*

Erat autem valde sapiens, et hoc in se mirabile habebat, quod, cum literas non didicisset, ingeniosissimus et prudentissimus erat. *Athan. in Vit. s. Ant.*

Continuatione jejunii defaecatus a carnali pondere, avolavit ad coelum. *Petr. Chrys. Ser.* XXI.

Mihi credite, fratres (*dicebat Ant.*), pertimescit Satanas piorum vigilias, orationem, jejunia, voluntariam paupertatem, etc. *Athan. in ejus Vit.*

Quos cum videritis (*daemones*), tam vos, quam domos vestras expugnare, armate signaculum Crucis, et confestim solventur in nihilum, qui metuunt illud trophaeum, in quo Salvator aereas expolians potestates, eas fecit ostentui. *Athan. in Vit. s. Ant.*

Sic daemonibus erat formidolosus, ut multi per Ægyptum, ab illis agitati, invocato nomine Antonii, liberarentur. *Athan. in Vit. huj. Sanct.*

Magna est Antonii sanctitas qui de saeculi voluptate gloriose triumphavit, omnia renuntiavit et in eremo secessit, ut soli Deo viveret. Voluptatem superavit non otio, sed labore; non mollitie, sed duritia: non gula et commessatione, sed abstinentia et jejunio. Est ne talis virtus tua? Qualis disparitas! Quid est quod difficile immo quasi impossibiliter tibi videtur relinquere ad Antonii exemplum omnia et Christum sequi? Vis tantem aliquando et vere? Te moneo, ut oblectamenta ista terrae pro magnis ac veris bonis habere ne credas, quae sunt non tantum fallacia, quia dubia, verum etiam insidiosa, quia dulcia. Quid enim prosunt divi-

tiae? quid epulae, quid deliciae, quid omnia hujus mundi oblectamenta,et ab his et illis parta voluptas? non liberabunt a morte, non defendunt a verme, non eripient a foetore. Cole Antonium qui caelestis vitae genus in terris colere studuit; et sequendo vestigia ejus, in terris victurus es sicut ipse, et cum ipso habere coronam. Cunctis adhuc Christianis obiicitur Antonii vita, et si omnes ad solitariam, et monasticam vitam non sunt vocati, omnes tamen possunt imitari virtutes, quibus Antonius splenduit, et immortalem coeli, beatitudinem acquisivit.

18. Christus in lotione pedem

Ex sacris Scripturis

Sed afferam pauxillum aquae (*ait Abraham ad Angelos hospitio susceptos*), et lavate pedes vestros, et requiescite sub arbore. *Gen.* XVIII, 4.

Et dixit (*Lot angelis hospitio susceptis*): obsecro, domini, declinate in domum pueri vestri, et manete ibi: lavate pedes vestros, et mane proficiscemini in viam vestram. *Gen.* XIX, 2.

Et introductis (*fratribus Joseph*) domum, attulit aquam (*dispensator domus*), et laverunt pedes suos, deditque pabulum asinis eorum *Gen.* XLIII, 24.

Postquam ergo lavit pedes eorum, et accepit vestimenta sua cum recubuisset iterum, dixit eis: Scitis quid fecerim vobis. . . Si ergo lavi pedes vestros, Dominus, et Magister: et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. *Joan.* XIII, 12, 13, 14.

Surgit a coena (*Christus*) et ponit vestimenta sua: et cum accepisset linteum, praecinxit se. Deinde mittit aquam in pelvim, et caepit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo quo erat praecinctus. *Joan.* XIII, 45.

In operibus bonis testimonium habens (*vidua quae eligenda est*): si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est. *I Tim.* V, 10.

Ex Ss. Patribus

Vult per lotionem quae est ministeriorum infima, ut serviamus invicem et alia honestiora non detractemus. *Isid. de sum bon.* 1.

Quodammodo invicem pedes nostros lavamus si nobis invicem delicta donamus. Lotus est, quia gravia peccata non habet, cujus

caput, idest intentio, et manus, idest operatio munda est; sed pedes ex toto mundi esse non possunt, quin aliquando vanitati, aut voluptati, plus quam oportet, cedat animus, et nisi lavaret ea Christus non habebimus partem cum eo. *Ber. Ser. in coen. Dom.*

Sic enim qui pedes discipulorum lavit, nobis peccata dimittit. *Aug. Ser. LVI in Joan.*

Quam elationem haec humilitas non deprimeret? Qui sedet super Cherubim, pedes lavit: tu terra et pulvis intumescis? *Grys. hom. LXX in Joan.*

Quae connexio ista? Scit omnia sibi data in manus, et coepit lavare pedes? Ut intelligas quanta sit humilitas, quanta sit majestas ejus, qui se abiicit. Ad honorata, ad filiationem Dei, ad haereditatem regni, ad potestatem absolvendi et eiiciendi Daemonia admisit socios: ad ea quae sunt humilitatis, praevenit omnes. Sic agunt veri humiles. Non es vere humilis, si in vili ministerio non certas alios praevenire. Hanc suam humilitatem vidit Petrus, inde majestatem Dei, et stupet: *Domine, inquit tu mihi lavas pedes?* (*Joan.* XIII, 6). Obstupesce, quod ipsum toties in te faciet Jesus, toties te abluat non aqua, sed sanguine suo, seu gratia ex meritis Sanguinis. At hujus tanta necessitas est, ut nisi te laverit, non sis habiturus partem cum illo. Dic ergo cum Petro: *Domine, non tantum pedes* affectuum, *sed etiam caput* cogitationum, *et manus* operum, (*Joan.*XIII, 9), ut omnia sint munda in conspectu tuo.

19. Confessarii Electio

Ex sacris Scripturis

Habeatis scientiam discernendi inter sanctum et prophanum, inter pollutum et mundum. *Lev.* X, 10.

Dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, et discernere inter bonum et malum. *III Reg.* III, 9.

Sed elegit Dominus Deus Israel me de universa domo patris mei ut essem Rex super Israel, etc. *I Paral.* XXVIII, 4.

Multi pacifici sint tibi, et consiliarius sit tibi unus de mille. *Eccli.* VI, 6.

Vae qui dicitis malum bonum, et bonum malum: ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum. *Isa.* V, 20.

Ecce ego do coram vobis viam vitae, et viam mortis. *Jerem. XXI*, 8.

Et dic: Haec dicit Dominus Deus: Vae quae consuunt pulvillos sui omni cubito manus : et faciunt cervicalia sub capita universae aetatis ad capiendas animas: et cum caperunt animas populi mei, vivificabant animas eorum. *Ezech.* XIII 18.

Inter sanctum et prophanum non habent distantiam : inter pollutum et mundum non intellexerunt. *Ezech.* XXII, 26.

Quaerite bonum , et non malum , ut vivatis : et erit Dominus Deus exercituum vobiscum, etc. *Amos.* V, 14.

Elegerunt bonos in vasa , malos autem foras miserunt. *Matth.* XIII, 48.

Sinite illos : caeci sunt, et duces caecorum : caecus autem si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt. *Matth.* XV, 14.

Et egrediebantur ad eum omnis Judeae regio, et Hierosolymitae universi: et baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua. *Marc.* I, 5.

Ex Ss. Patribus

Ferret haec sententia non solum caecum ducentem, sed et caecum sequentem; neque enim ait, cadit in foveam ducens, et non cadit sequens , sed caecus caecum ducens , ambo in foveam cadunt *Aug. lib. de Past.*

Si vestimenta empturus giras unum negotiatorem, et alterum, et ubi meliores vestes inveneris , et pretio viliori ab illo comparas : quomodo non oportet populum circuire omnes doctores , et inquirere ubi sincera veritas Christi venundatur, et ibi veriorem eligere plusquam vestimentum. *Grys. hom. XLIV in Matth.*

Certissimum ducem sequere, et eiusmodi , qui rectum iter ad Deum volentibus pergere scias commostrare, qui ornatus virtutibus sit . . . Qui divinarum licterarum scientiam habeat, virum integrum, animo sedato praeditum , ab avaritia abhorrentem , minime libenter gerendis se negotiis, quietum, amantem Deum, egentium studiosum, minime iracundum, iniuriarum immemorem, ad eorum, qui ipsum adeunt aedificationem, multum laborantem, quem gloria inanis non inflet, superbia non extollat, adulatio non frangat, severum atque constantem. *Basil. de Renun.*

Discretio Confessoris valde necessaria est. Consideret qualitatem criminis in loco, in tempore, in perseverantia , in veritate personae cuius fuerit aetatis, cuius sapientiae et ordinis, et quali hoc fecerit tentatione et in ipsius multiplici executione. *Aug. de Poen.*

Quaerit cur non Joannes electus est virgo, scilicet ut esset caput Ecclesiae? respondit, aetati delatum est: quia Petrus senior e-

rat, ne adhuc adolescens pene puer progressae aetatis hominibus praeferretur. *Hier cont. Jovinian.*

Necesse est prudentissimus eligere, qui possit contra subtilissimas disputare quaestiones, et in conventu doctorum sic agere, ne susceptam causam tot erudita possint ingenia superare. Magna res est contra artifices loqui, et apud illos aliquid agere, qui se putant omnia providere. *Cass. lib. I Ep.*

Dicebat Joannes Avila: Confessarium elige tibi unum ex mille: ego dico tibi, imo elige inter decem millia unum; dici enim non potest, quanta sit ad excipiendas confessiones idoneorum inopia. *S. Franc. Sales ad Phil.*

Ligna sylvarum, non olivam, non ficum, non vitem, sed ramnum sibi eligerunt in regem, et egressus est ignis de ramno et devoravit cedros Libani. *Petr. Raven. in ep.* XIV.

Lugenda est plurium Christianorum perversitas, et quod pejus est etiam Clericorum, qui dum ad penitentiae sacramentum accedunt Confessarios eligunt non doctos, sed ignaros, non pios et sanctitate praecellentes, a quibus nullatenus de salutis negotio possunt erudiri, et sanctificari, sed faciles, laxos, amicos congerrones, etc. Neque audiunt Christum dicentem. *Caecus autem si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt* (*Matth.* XV). Et quia in poenitentiae fori Confessarii Christum repraesentant, eiusque gerunt vices, doctorum etiam, iudicum, et medicorum funguntur officio, sicut et Christus; ideo non facilis est invenire talem virum pollentem his caracteribus ut loquntur magistri spiritus seu doctores. Summa vigilantia ergo operam dato, ut talem confessarium invenias, quem in omnibus deinceps delectae tibi vitae studiis certissimum ducem sequaris. At quem tu Confessarium et ducem habes? Forsitan secundum tuas pravas affectiones, et propriam voluntatem. Qualis ne est Confessarius tuus? Qualis circa veritates practicas, voluntates, appetitus, affectus? Perpende et examina. Remove ergo te a falsis doctoribus: excole divinas Scripturas, non ut scias, sed ut facias. Ut hujusmodi Confessarium obtineas, ora in electione eius, dicens: *Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris.* (*Actor.* I, 24).

20. Sanctissimae Eucharistiae institutio

Ex Sacris Scripturis

Quod cum vidissent filii Israel, dixerunt ad invicem: Manhu? quod significat: Quid est hoc? ignorabant enim, quid esset. Qui-

bus ait Moyses: Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum. *Exod.* XVI, 15.

Coenantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite, et comedite: hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. *Matth.* XXVI, 26 et seq.

Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. *Joan.* XIII, 1.

Calix benedictionis, cui benedicemus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? *I Cor.* X, 16.

Accipite, et manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem, etc. *I Cor.* XI, 24.

Ex Ss. Patribus

Verba Evangelistae sunt usque ad accipite, sive corpus sive sanguinem, inde sunt verba Christi: Accipite, et bibite ex eo omnes, et inde singula, qui pridie, inquit, quam pateretur in sanctis manibus suis accepit panem, ante quam consecretur, panis est; ubi vera verba Christi accesserunt, corpus Christi est. Denique audi dicentem: Accipite et comedite ex eo omnes: hoc est corpus meum. Et ante verba Christi, calix vini et aquae est plenus, ubi verba Christi operata fuerunt, sanguis efficitur, qui plebem redimit. *Ambr. de Sacram.*

In finem dilexit, ut et ipsi de hoc mundo ad suum caput dilectione transirent. Quid est enim in finem? nisi in Christum? Finis enim legis Christus, idest usque ad mortem dilectio ipsa illum perduxit. *Aug. in Joan.* cap. VI.

Si tantum valuit sermo Eliae, ut ignem de coelo deponeret, non valebit sermo Christi, ut species elementorum mutetur? De totius mundi operibus legisti: quia ipse dixit et facta sunt: ipse mandavit et creata sunt. Sermo igitur Christi qui potuit ex nihilo facere, quod non sunt. Non enim minus est novas rebus dare formas, quam mutare naturas? *Ambr. de Sacram.* lib. III.

Accepit Jesus panem, et benedicens fregit, tradens et figuram corpus suum in panem; quod est Ecclesia praesens: quod accipitur in fide: benedicitur in numero, frangitur in passionibus, datur in exemplis, sumitur in doctrinis formans sanguinem suum in calicem vino et aqua commixtum: ut alio purgaremur a culpis, alio redimeremur a poenis. Sanguine namque agni servatur domus a

percussione Angeli; et aqua maris rubri extinguntur inimici, quae sunt mysteria Ecclesiae Christi. *Hier. sup. cap. X Luc.*

Sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga nos homines amoris veluti effudit. *Trid. sess. XIII, cap. II.*

Nihil omnino omisit, quod vehementer amantem deceret; hoc Christus fecit ut maiori nos caritate adistringeret. *Grys. hom. XLV in Joan.*

Vide humilitatem, nam Verbum illud quo pascuntur Angeli, semetipsum exinanivit, ut manducaret homo. *Aug. in Psal.* XXXIII.

Ipse Jesus convivia, et convivium; ipse comedens, et qui comeditur. *Hier. ep.* 150.

O Sacramentum pietatis! O signum unitatis! O vinculum caritatis! Unus est panis, unum est corpus, omnium sit unum cor, una anima, uni Christi adhaerens. *Cypr. de coen. Dom.*

Sicut nullus amor divino est comparandus, ita nullus est ei similis in adinventionibus, quae adeo sunt stupendae, ut eas Sacer Textus a Concionatoribus praedicandas velit; *Narrate in gentibus gloriam eius: in cunctis populis mirabilia eius.* (*Paral.* XVI). Verum si divini amoris eluxit unquam industria, maxime in venerando Eucharistiae mysterio. Christus enim priusquam coelum ascenderet, in corde suo vim patiebatur: in suo namque pectore duos deferebat amores, quorum contrarii erant motus. Ipsum urgebat unus, ut exiret de mundo, alter ut remaneret: unus ad coelum deducere volebat alter in terra retinere: suadebat unus, ut adiret ad Patrem, consulebat alter, ut degeret cum matre: optabat ille ut in empyreo humanitatis suae aspectu bearet angelos, desiderabat iste ut a suis discipulis non discederet. Ecce internum Christi certamen, quod eius pacificat industria, quae tanto artificio cordis eius componit, et dividit motus ut coelum, et terra Salvatore potiantur: coelum fruitione: terra Sacramento: angeli praesentia eius naturali, homines praesentia eius sacramentali. Hinc sicut quando voluit descendere in terram, duo fuere ad invicem contraria: ex una parte necesse erat, ut veniret, alias Deus non fuisset executus, quod pro humana redemptione decreverat; aliunde conveniens erat, ut remaneret cum Patre, qui continuo eum per intelligentiam generat, et per voluntatem infinitam diligit. Utrumque exequitur mira dignationis suae inventio: cum Patre etenim remanet secundum naturam divinam, remanet etiam cum hominibus secundum naturam humanam. In Eucharistia eodem fere utitur artificio Salvator, eius namque amor homines deserere non volens, modum adinvenit abeundi et remanendi. Abeundi, ut pater-

nae obsequeretur volontati, remanendi, ut amicitiae satisfaceret; abeundi, ut in coelo regnaret, remanendi ut ad suum nos conduceret regnum; abeundi, ut voluptatis torrente satiaret beatos; remanendi ut magnifice tractaret viatores, eisque suum corpus manducandum, et sanguinem potandum praeberet. Admirare Dei sapientiam, quae invenit novum modum se nobis communicandi. Obstupesce, et lauda omnipotentiam, quae uno momento, solo verbo illa omnia sub speciebus panis, et vini ponit . . . Agnosce infinitum amorem, quo hoc facit . . . O admirabilis, et amabilis Deus! Sed quid retribues Domino?

21. Evangelizare veritatem sine metu

Ex Sacris Scripturis

Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa. *Psal*. LXVII, 2.

Et posuit os meum quasi gladium acutum: in umbra manus suae protexit me, et posuit me sicut sagittam electam: in pharetra sua abscondit me. *Isa*. XLIX, 2.

Posui verba mea in ore tuo, et in umbra manus tuae protexi te, ut plantes coelos, et fundas terram. *Isa*. LI, 16.

Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum. *Isa*. LVIII, 1.

Ne timeas a facie orum: quia tecum ego sum, ut eruam te, dicit Dominus. *Isa*. XLIX, 2.

Ne formides a facie eorum: nec enim timere te faciam vultum eorum. Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum aereum, super omnem terram, regibus Juda, principibus ejus, et sacerdotibus, et populo terrae. Et bellabunt adversum te, et non praevalebunt: quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te. *Jer*. I, 17 et seq.

Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum. Ut adamantem, et ut silicem dedi faciem tuam: ne timeas eos, neque metuas a facie eorum: quia domus exasperans est. *Ezech*. III, 8, 9.

Si autem tu annuntiaveris justo, ut non peccet justus, et ille non peccaverit: vivens vivet, quia annuntiasti ei, et tu animam tuam liberasti. *Ezech*. III, 21.

Quod si speculator viderit gladium venientem, et non insonuerit buccina: et populus se non custodierit, veneritque gladius, et tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate sua captus est,

sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram. . . Si me dicente ad impium: Impie, morte morieris: non fueris locutus ut se custodiat impius a via sua: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. *Ezech.* XXXIII, 6, 8.

Verumtamen ego repletus sum fortitudine Spiritus Domini, judicio, et virtute: ut annuntiem Jacob scelus suum, et Israel peccatum suum. *Mich.* III, 8.

Magister, scimus, quia verax es, et viam Dei in veritate doces. *Matth.* XXII, 16.

Si justum est in cospectu Dei, vos potius audire, quam Deum, judicate. Non enim possumus, quae vidimus, et audivimus, non loqui. *Act.* IV, 19.

Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium. Non enim subterfugi, quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis. *Act.* XX, 26, 27.

Ex Ss. Patribus

Libere enim et sine adulatione veritatem praedicantes, et gesta pravae vitae arguentes gratiam non habent apud homines. *Aug. sup. I ad Cor.* IV.

Magnum discrimen est, Dei tacere sermonem ob triplicem causam, vel propter timorem, vel propter pigritiam, vel propter adulationem. *Hier. sup. Ezech.* lib. I.

Notandum est, quod dicuntur verba sapientum pungere, non palpare, nec molli manu attrahere lachrymam, sed errantibus tardia poenitentiae dolores et vulnus infigere. Si cujus igitur sermo non pungit, sed oblectationem facit audientibus, iste sermo non est sapiens. *Idem* ibid.

Qui praedicationis suscipit officium, non oportet mollem quendam esse atque resolutum, sed fortem et per cuncta robustum: nec enim saltem attingere quisquam debet praeclaris hujus muneris functionem, nisi paratus sit millies animam suam in mortem tradere atque discrimina. *Grysos. de laud. Paul.* hom. VI.

Sic debet esse sermo Dei fidelibus, tamquam pisci hamus, tunc capit, quando capitur, et reti et hamo piscatur perfectus, sed reti turba concluditur, singularis eligitur homo. *Aug. sup. Joan.*

Tot occidimus quot ad mortem quotidie tepidi et tacentes, ac timidi ire videmus. *Greg. in Moral.* lib. III.

Deus aegris mortalium animis salutarem medicinam adhibuit,

ut partes ipsorum praecipuas intelligentiam scilicet et voluntatem, ignorantiae, malitiaeque morbo, quo affici solent, liberaret. Quid enim quantumvis efficax medicina, vis prodest nisi a perito medico, apte, et opportune afferatur? Et quidem satis peritum animarum medicum idoneum, videlicet Concionatorem, eum dico qui opportune verba Dei proferat. Quare valde cavere debet, ne in concionando, ut hominibus placeat, loquatur; ne medicus quidem quaerit placere infirmis, sed curare: errantes ergo libere argue. Peccantes coram omnibus argue, ut et caeteri timorem habeant. Ne igitur in increpationibus tuis verba blandientia sint, sed quasi clavi in altum defixi: *Loquebar*, dicit Psaltes, *de testimoniis tuis in conspectu regum et non confundebar* (*Psal.* CVIII). Quis verum dicere audebit, si tu in concionando non audeas? Ne sis de numero, qui dicuntur canes muti, non valentes latrare. Laxanda sunt retia non in capturam favoris, dignitatis, sed in captura piscium et cum Petro in verbo Christi; *in verbo tuo*, ait ille, *laxabo rete* (*Luc.* V). Et haec est multorum hominum infelicitas, qui in suis sceleribus obdurantur, quia nullus eos increpare audet. Qui etiam magnates veretur, nec etiam eos de criminibus, quae scandalosae perpetrant, admonet, ministerio suo derogat. Tunc salutis auxilium denegat, quia salus nequit consequi, nisi delicta eliminentur; delicta eliminari nequeunt, nisi cognoscantur; cognosci non possunt, nisi ea arguat praedicator verbi Dei. At quoties tacuisti, ob reverentiam, timorem, dignitatem! Erisne talis in posterum? Imo argue, obsecra, increpa etc.

22. Vocatio ad vitae statum

Ex Sacris Scripturis

Unges quemcumque monstravero tibi. *I Reg.* XVI, 3.

Misit ergo, et adduxit eum. Erat autem rufus et pulcher aspectu (*David*), decoraque facie. Et ait Dominus: Surge unge eum; ipse est enim. *I Reg.* XVI, 12.

Ne tradas, Domine, sceptrum tuum his, qui non sunt, etc. *Esther* XIV, 11.

Quis est homo, qui timet Dominum? legem statuit ei in via, quam elegit. *Psal.* XXIV, 12.

Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum suum. *Prov.* XXVII, 8.

A Domino diriguntur gressus viri: quis autem hominum intelligere potest viam suam? *Prov.* XX, 24.

Scio, Domine, quia non est hominis via ejus: nec viri est, ut ambulet, et dirigat gressus suos. *Jerem.* X, 29.

At ille respondens ait: Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus coelestis, eradicabitur. *Matth.* XV, 13.

Ambulante Jesu in via, dixit quidam ad illum: Sequar te, quocumque ieris. Dixit illi Jesus: Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. Ait autem ad alterum: Sequere me: ille autem dixit: Domine, permitte mihi primum ire, et sepelire patrem meum. Dixitque ei Jesus: Sine, ut mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, et annuntia regnum Dei. Et ait alter: Sequar te, Domine, sed permitte mihi primum renuntiare his, quae domi sunt. Ait ad illum Jesus: Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro aptus est regno Dei. *Luc.* IX, 57 et seq.

Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, et latro, etc. *Joan.* X, 1.

Non vos me elegistis: sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis: et fructus etc. *Joan.* XV, 16.

Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis. *Eph.* IV, 1.

Nec quisquam sumat sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron; sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. *Hebr.* V, 4.

Quapropter, fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, et electionem faciatis, etc. *II Petr.* I, 10.

Ex Ss. Patribus

Multi sunt, qui possunt religiosam vitam etiam in saeculari habitu ducere; et plerique sunt, qui nisi omnia reliquerint, salvari apud Deum nullatenus possunt. *Greg.* lib. I, ep. 62.

Quod ego tanti momenti (*vocatio*) esse duco, ut totius vitae vel recte, vel male traducenda fundamentum in eo positum esse putem. *Petr. Dom.* or. XXIII.

Ante, juxta consilium Salvatoris, sedisse debueras aexistimasse opus, metiri vires, ponderasse sapientiam, merita comparasse, sumptus computasse virtutum. *Ber.* lib. II *de cons.* 6.

In divina voluntate indaganda necessarium est ita nos comparare, ut omnis nostra voluntas cesset, ac in neutram partem magis vergat. *Clim.* gr. XXVI.

Unicum remedium, seu refugium oratio est, et frequens gemitus ad Deum, ut quid, quando, et quatenus nos facere velit, as-

sidue nobis demonstrare dignetur; aderit vero Deus Optimus, et faciet cum servo suo secundum misericordiam suam, atque docebit justificationes suas. *Bern. serm. LVII in Cant.*

Christus est ostium, quo intramus, et ostiarius, qui aperit. *Aug. Tract. XLVI in Joan.*

Ego obstupesco, fratres mei dilecti, ad ea, quae soliti sunt quidam insipientium audere, qui impudenter, ac temere se se conantur ingerere ad munus Sacerdotii assumendum, licet non adsciti a gratia Christi, ignorantes miseri, quod ignem et mortem sibi accumulent. *Ephrem de Sacerd.*

Quod pertulerunt superbi illi Levitae Core, Datan et Abyron, qui Domino non jubente sibi Sacerdotium vindicabant, hoc potiuntur quicumque in Episcopatus, aut Presbyteratus, vel Diaconatus officium... impudenter conantur ingerere, et quomodo combusti sunt illi in corpore, sic isti exurentur in corde. *Aug. Ser. XCVIII de Tem.*

Heu quanta sunt mala, quae a Sacerdotibus non vocatis in Ecclesiam redundant! Totius perfectionis et sanctitatis Clericorum structura innititur vocationi divinae tamquam primario lapidi. Sacrilegae temeritatis, ac perditae mentis est, qui postulat sine Dei judicio fieri Sacerdotem. Christus quosdam quidem Apostolos elegit, alios discipulos designavit, quos postmodum alloquens *non vos me elegistis*, inquit, *sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis et fructum afferatis* (*Joan.* XV). Perpende an et tu vocatus fuisti a Deo tamquam Aaron, an cum superbis illis Levitibus Core, Datan, et Abyron qui Domino non jubente sibi Sacerdotium vindicarunt. *Eradicabitur*, time, *omnis plantatio quam non plantaverit*, ait Christus; *pater ejus* (*Matth.* XV). Et e contrario: *Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus: populus, quem elegit in haereditatem sibi* (*Psal.* XXXII).

23. Hyperdulia

Ex Sacris Scripturis

Orietur stella ex Jacob et consurget virga de Israel: et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth. *Num.* XXIV, 17.

Ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abiiciet vos anima mea. *Lev.* XXVI, 11.

In sole posuit tabernaculum suum: et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo. *Psal.* LXXXVI, 3.

Tunc praecepit, et dixit mihi Creator omnium, et qui creavit me requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi: in Jacob inhabita, et in Israel hereditare, et in electis meis mitte radices. *Eccli.* XX, 12.

Ego feci in coelis, ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram: Ego in altissimis habitavi et thronus meus in columna nubis. Gyrum coeli circuivi sola, et profundum abyssi penetravi: in fluctibus maris ambulavi, et in omni terra steti: et in omni populo, et in omni gente primatum habui. Et omnium excellentium et humilium corda virtute calcavi: et in his omnibus requiem quaesivi et in haereditate Domini morabor. *Eccli.* XXIV, 6 et seq.

Ego mater pulchre dilectionis, et timoris, et agnitionis et sanctae spei. In me gratia omnis viae, et veritatis, in me omnis spes vitae et virtutis. *Eccli.* XXIV, 24, 25.

Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad foras meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. *Prov.* VIII, 34.

Multae filiae congregaverunt divitias: tu supergressa es universas. *Prov.* XXXI, 29.

Ex Ss. Patribus

O admirandam, et omni honore dignissimam foeminam, singulariter venerandam super omnes feminas admirabilem, parentum reparatricem posterorum vivificatricem. *Ber. Hom. II sup. Miss. est.*

Maria constituta est super omnem creaturam, et quicumque Jesu curvat genua, Matri quoque pronus supplicat, et acclinis. *Arnol. Carnot. Tract. de laud. Virg.*

Tua sane laus, Sanctissima Virgo, omnem prorsus laudem excedit: tibi omnis caelestium, terrestrium, ac infernorum natura convenientem, cultum ac venerationem adhibet. *Greg. Neocaeser. hom. I de Annunc.*

Quid nos tantilli, quid actione pusilli, quid in eis laudibus referamus, cum etiam si omnium nostrum membra verterentur in linguas, eam laudare sufficeret nullus. Altior enim coelo est, de qua loqui nitimur: abysso profundior cui laudes dicere conamur. Si coelum, inquit, te vocem altior es: si matrem gentium, praecedis: si formam Dei te appellem, digna existis: si dominam Angelorum, prima esse probaris. Quid ergo de te digne dicam? *Hier. in Ser. de Assumpt.*

Laus, et gloria sit tibi, Sancta Trinitas: sit etiam tibi, Sancta Mater Dei laus. Tu sceptrum Orthodoxae fidei: per te Trinitas sanctificatur, per te Crux praetiosa celebratur et adoratur in toto

orbe terrarum. Per te exultat coelum, laetantur Angeli, fugantur Daemones, et homo ipse ad Coelum revocatur. Per te Unigenitus Dei Filius vera illa lux effulsit sedentibus in tenebris, et umbra mortis. *Cyril'. hom. VI, cont. Nest.*

Cum igitur Beata Virgo sit pura creatura rationalis, non debetur adoratio latriae, sed solum veneratio duliae, eminentius tamen quam caeteris creaturis, in quantum ipsa est mater Dei. Et ideo debetur ei non qualiscumque dulia, sed hyperdulia. *Thom.* III p. q. 25, n. 5.

Quaenam afferamus munera, quae sunt ea digna qua minime digna sunt quaecumque mundus habet? Nam si de aliis sanctis Paulus dixit; Quibus dignus non erat mundus: quid Dei genitrice dicemus, quae tanto splendidius Martyribus coruscat, quanto Sol stellas omnes fulgore vincit. *Basil. Seleu. Orat.* XXXIII.

Ideoque absque dubio debetur ei post Deum potissima adoratio, quae ab omnibus aliis adorationibus specie distincta sit. *Ansel. ser XV in laud. Virg.*

Maria nuncupatur Domina, gloriosa, et Deipara: et sub his tribus titulis veneranda est cultu hyperduliae. Honoranda tamquam Domina ob imperium quod supra nos habet: etenim Regina gloriae nomen, et honoris est. Tanquam gloriosa veneranda est tum ob Angelicam puritatem, quam miratur Bernardus: O admirandam, et omni honore dignissimam Virginem, Virginem carne, Virginem mente, Virginem professione! tum ab eminentem sanctitatem, cui debetur dulce canticum, ac nobilissimum melos, quia gratia quam accepit in sua conceptione, transcendit verticem sanctitatis et gratiae non solum hominum, sed Angelorum. Tandem honoranda est tanquam Virgo Deipara. *Sed quanta putas veneratione digna est in qua et humilitatem exaltat foecunditas; et partus consecrat virginitatem* (*Ber. hom. I sup. Miss. est*). At quo pacto eius honorem digne celebrare potest infirmitas hominum? Qualiter tam laudare poterit mortalis homo, transitorium verbum, quae illud de se protulit Verbum, quod manet in aeternum. Quae lingua in laudem ejus invenitur idonea, quia illum genuit, cui omnia benedicunt, et cum tremore obediunt elementa! Quomodocumque possumus, cum omni studio, veneremur, et honore, et cultu hyperduliae veneremur Mariam et omnia bona ex tali Virgini, per nostram erga eam devotionem, amoremque speramus ut possimus vere dicere: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*, *et innumerabilis honestas per manus illius* (*Sap.* VII).

21. Abnegatio sui

Ex Sacris Scripturis

Dixit Dominus ad Abraham: Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram, quam monstrabo tibi. *Gen.* XII, 1.

Dixit Dominus ad Abraham: Tolle filium tuum . . . atque offers eum in holocaustum. *Gen.* XX, 2.

At ille (*Eleazarus*) gloriossimam mortem magis quam odibilem vitam complectens, voluntarie praeibat ad supplicium. *II Macch.* VI, 19.

Venite post me (*ait Christus Petro et Andreae*), faciam vos fieri piscatores hominum: at illi continuo relictis retibus secuti sunt eum. *Matth.* IV, 19.

Qui invenit animam suam perdet eam. Et qui perdiderit animam suam propter me inveniet eam. *Matth.* X, 39.

Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. *Matth.* XV, 24.

Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et habebis thaesarum in coelo: et veni sequere me. *Matth.* XIX, 21.

Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. *Luc.* XIV, 26.

Qui amat animam suam, perdet eam: et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam. *Joan.* XII, 25.

Ex Ss. Patribus

Qui me desiderat, se despiciat, qui vult facere voluntatem meam discat frangere suam. *Ber. Ser. II de S. Andr.*

Qui vult venire post me, abneget se, hoc est non tantum abnegemus nostra, sed abnegemus nos. Minus quippe est homini abnegare quod habet: valde autem laboriosum est abnegare quod est. *Greg. hom. II in Evang. Joan.*

Durus videtur hic sermo, ut abnegamus nos; durior erit discedite in ignem aeternum. *Kemp. de Imit. Chr.* lib. II, cap. XII.

Voluntas propria aufert homini Deum, beneficia Dei subtrahit, mentem evacuvat. *Laur. II Just. de lign. vitae.*

Grande malum voluntas propria, qua fit ut bona tua, tibi bona non sint. *Ber. Ser. VII sup. Cant.*

Perditio nostra est oblectatio vitae praesentis, et ut espressius dicam, executio voluntatum, desideriorumque nostrorum. *Greg. in cap. III Ezech.*

Donatur loculi non solum pecuniae, qua ex collegio discipulorum Judas reprobatus, sed propriae voluntatis, quae nisi abnegetur, aeque ac pecunia in periculum praecipitare potest. *Ber. in decl. sup. Ecce nos.*

Quis tyrannus crudelior, quae sevior potestas homini quam hominis ipsius voluntas: nunquam sub ea requiescere licet. *Pet. Dom. Ser. de S. Benedic.*

Si quis perverse voluerit imitari Deum, ut quomodo Deus non habet a quo formetur, non habet a quo regatur; sic ipse velit sua potestate uti; hoc diabolus fecit, imitari Deum voluit, sed perverse non esse sub illius potestate, sed habere contra illum potestatem . . . praeceptum rumpere delectavit, ut nullo sibi dominante, fieret sicut Deus, quia Deo nullus utique dominatur. *Aug. Cap. II in Psal. LXX.*

Quam pauci inveniuntur in hac perfectae sui abnegationis: qui suam sic abiicerint voluntatem, et ne ipsum quidem cor proprium habeant, sed quid Dominus velit, omni hora requirant, dicentes sine intermissione : Domine quid me vis facere ? Heu plures habemus evangelici illius caeci , quam Pauli imitatores ! Quid vis, ait Dominus ad caecum, ut tibi faciam ? Domine quid me vis facere ait Paulus ? *Ber. Ser. de Conv. Paul.*

Absit enim ut indigne feramus ea nos pati, quae optamus. *Tert. ad Scop. II.*

Sicut corona soli regi competit, sic propria voluntas soli Deo. *Ansel. I de Simil. III.*

Integrum te da illi, quia ille, ut te salvaret, integrum se tradidit. *Ber. de mod. ben. viv.*

Relinque te, et invenies me, relinque te, et frueris magna interna pace: da totum pro toto. *De imit. Chr.* lib. III, cap. LIII.

Humana voluntas terrenis bonis inhians ob concupiscentiam saeculi, deficit a sua nobilitate et degenerat; qui a voluntate divina deviat, a qua ut a regula et mensura omnis ejus mutuanda est perfectio, proficere non potest nisi divinae voluntati confirmetur. Hinc divinae passionis sacrificium, tametsi infiniti valoris, quia *theandricum*, de obsequio tamen commendatur, ejusque perfectio ex Christi obedientia ostenditur, quia se Patris subdit voluntati. *Veruntamen*, ait, *non sicut ego volo sed sicut tu.* (*Matth.* XXVI). Si ergo vis sequi Christum, debes relinquere quae sunt aliena a Jesu, idest abnegare temetipsum. Arbitrarium tibi est, id velle, dicente Christo : *Si quis vult venire post me abneget semetipsum.* (*Matth.* XV): nemo cogitur, nemo excluditur. Bona, et seria vo-

luntate ad hoc opus est, non velleitate. Hanc qui habuerit, primo abneget semetipsum : non tantum deponendo externum , sed judicium suum, voluntatem, affectus, et prava desideria: et quidquid est veteris hominis, ac amoris proprii occidendo. Hoc est primum alpha perfectionis Christianae.Bone Deus ! Usque adhuc quam parum, et forsitan nihil didici ! Quantum adhuc restat discendum ! Et quando tandem ? sane, si semper fuerit velleitas, numquam . ... Quia vero sine Dei auxilio facere non possumus eius voluntatem, quae est medium ad comparandum coelum, idcirco nobis mandat Deus , ut ab ipso postulemus auxilia ad exequendam voluntatem ejus, qua salutem et beatitudinem consequi mereamur. Amen.

25. Conversio S. Pauli Ap.

Ex Sacris Scripturis

Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia vox Domini confringentis cedros. *Psal.* XXVIII, 4, 5.

Et pertransierunt de genti in gentem, et de regno ad populum alterum. *Psal.* CIV, 13.

Ecce constitui te hodie super gentes, et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes ut aedifices, et plantes. *Jer.* I, 10.

Saulus autem adhuc spirans minarum et caedis in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum. Et petiit ab eo epistolas in Damascum ad Synagogas : ut si quos invenisset hujus viae viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem. Et cum iter faceret, contigit, ut appropinquaret Damasco : et subito circumfulsit eum lux de coelo. Et cadens in terram audivit vocem dicentem sibi : Saule , Saule , quid me persequeris ? Qui dixit : Quis es , Domine ? Et ille: Ego sum Jesus quem tu persequeris: durum est tibi contra stimulum calcitrare. Et tremens , ac stupens dixit : Domine , quid me vis facere ? Et Dominus ad eum : Surge, et ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere . . . Dixit autem ad eum (*Ananiam*) Dominus: Vade quoniam vos electionis est mihi iste (*Saulus*), ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel. *Actor*. IX, 1 et seq.

Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. *I Cor.* XV, 9.

Gratia autem Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit. *I Cor.* XV, 10.

Qui prius blasphemus fui, et persecutor, et contumeliosus: sed

misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Fidelis sermo, et omni acceptione dignus: quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Sed misericordiam Dei consecutus sum: ut in me primo ostenderet, etc. *I Tim.* I, 13 et seq.

Bonum certamen certavi, cursum consumavi fidem servavi. *II Tim.* IV, 7.

Sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar. *I Cor.* IX, 27.

Ex Ss. Patribus

Quam valida fuit haec Christi cum Paulo contentio! quam potens vocatio! quam efficax gratia quae in momento cor Pauli hostile, sibi subditum, amicum et obsequentem effecit, quae Saulum in Paulum, lupum in agnum, persecutorem in praedicatorum, Judaeum in Apostolum commutavit. *Aug.* lib. L, hom. XIV.

Priusquam hic Apostolus praeceptis spiritualibus lavaretur, erat blasphemus, et persecutor et Saulus: at ubi pluvia super illum lavacri coelestis influxit, necatur blasphemus, necatur persecutor, necatur et Saulus: vivificatur Apostolus, vivificatur justus, vivificatur et Paulus: usque adeo autem perdidit veterem cum actibus hominem, ut cum moribus mutaret et nomen. *Ambr. Ser.* XXXI.

De coelo emissa est sagitta, corde percussus est Saulus. O sagittam acutam, qua percussus cecidit Saulus ut esset Paulus. *Aug. in Psal.* XLIX.

Christus potentiam medicinae suae spiritualis ostendit in Saulo, ut omnes deinceps noscant, eum sanare posse omnes infirmitates confungientium ad se. *Aug. de verb. Apost.* ser. CLXXV.

Dum Paulus quaerit minuere numerum Christianorum; etiam ipse accessit ad numerum confessorum. *Aug. serm. X de Sanct.*

Magnifice in hac una conversione et misericordiae magnitudo, et efficacia gratiae commendatur. *Ber. ser. I de Conv. Pauli.*

Quis disperat ultra pro magnitudine cujuslibet criminis; quandoquidem audiat adhuc spirantem minarum, et caedis in discipulos Domini, subito factum vas electionis? Quis dicat iniquitatis pondere pressus? Assurgere ad studia meliora non valeo, quando in ipso itinere, quo sanguinem sitiens christianum, dirum toto pectore virus efflabat persecutor crudelissimus, in fidelissimum repente mutatus est praedicatorem. *Aug. ser. de Conv. s. Pauli.*

Si voluerimus et nos vel modicùm excitare, ignemque illum in nobis accendere, aemulari poterimus hunc Sanctum: neque enim

si impossibile hoc esset, clamasset dicens: Imitatores mei estote, sicut et ego Christi. *Chrys. Hom. XXXII in ep. ad Rom.*

Ut aliquis de bono efficiatur malus, non indiget alieno auxilio, quia innata malitia ad perversionem pronus est: ut autem de malo in bonum transeat, Dei debet adjuvari gratia. Gratia quae maxime eluxit in conversione Pauli, qui virtute et efficacia gratiae, effectus est ex persecutore praedicator, ex lupo ovis, ex hoste mitis. Quoties et te vocavit etiam Christus! quoties hanc gratiam tibi obtulit et Deus? et quoties neglexisti! Et forsitan post mille proposita, quibus videris resurgere, adhuc adhaerent tibi pravi habitus. Omnis conversio est inter duos terminos, quorum unus destruitur, et alter acquiritur; relinquere malum, adhaerere bono. Saulus deposita culpa et anteacta vita, indutus est veste gratiae, sanctitatis et virtutis, qui in sua conversione amisit quod fuerat, et acquisivit, quod non erat. Primo iracundus postea mitis: primo scelerosus, postea sanctus. Est ne talis conversio tua? Pauli conversio fuit prompta, perfecta, constans et firma: qualis disparitas! Pauli emuleris ergo conversionem in promptitudine, perfectione, et firmitate. Quod ut valeas exequi, Paulum intuaris, nihil tibi isto viro notius nihil suavius.

26. Sacerdos Bonus

Ex Sacris Scripturis

Aaron et filios ejus unges, sanctificabisque eos, ut sacerdotio fungantur mihi. *Exod.* XXX, 30.

Veniesque ad sacerdos, etc. qui iudicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint (*tibi*), etc. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio . . . morietur homo ille, etc. *Deut.* XVII, 9 et seq.

Et ad verbum eorum (*sacerdotum*), omne negotium judicetur. *Deut.* XXI, 5.

Et nunc fratres, quoniam vos estis presbyteri in populo Dei, et ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda eorum erigite, ut memores sint, quia tentati sunt patres nostri, ut probarentur, si vere colorent Deum suum. *Judith*, VIII, 21.

Juravit Dominus, et non poenitebit eum: tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. *Psal.* CIX, 4.

Honora Deum ex tota anima tua, et honorifica Sacerdotes. *Eccli.* VII, 33.

Et cum fuerit controversia, stabunt (*sacerdotes*) in judiciis meis, et judicabunt. *Ezech.* XLIV, 24.

Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus; quia Angelus Domini exercituum est. *Malach.* II, 17.

Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron. *Hebr.* V, 4.

Et omnis quidem sacerdos praesto est quotidie ministrans, et easdem saepe offerens hostias, quae nunquam possunt auferre peccata. *Hebr.* X, 11.

Et accepto pane (*Christus*), gratias egit, et fregit, et dedit eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur hoc facite in meam commemorationem. *Luc.* XXII, 9.

Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata remittuntur eis. *Joan.* XX, 22, 23.

Ego dixi: Dii est. *Joan.* X, 34.

Jam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus, vos autem dixi amicos, quia omnia quaecunque audivi a Patre meo, nota feci vobis. *Joan.* XV. 15.

Ex Ss. Patribus

Vere veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus Dei Filius, velut in utero Virginis, incarnatur. *Aug. in Psal. XXXI.*

Nihil in hoc saeculo excellentius, nihil sublimius Sacerdotibus reperiri potest. *Ambr.* lib. X, ep. LXXXII *ad Vercell. Eccl.*

Quanto Sacerdotes honore, quanta dignitate digni sunt! etenim qui terram incolunt, atque in ea versantur his commissum est, ut ea, quae in Coelis sunt, dispensent: iis datum est, ut potestatem habeant, quam Deus Optimus, nec Angelis, nec Arcangelis datam esse voluit. *Chrys.* lib. III *de Sac.*

Ipsi columnae firmissimae, quibus in Christo, fundatis inniti tur omnis multitudo credentium, ipsi januae Civitatis Æternae, per quas omnes, qui credunt in Christum, ingrediuntur ad Christum: ipsi janitores, quibus datae sunt claves Regni Coelorum. *Prosper. lib. I de vit. contempl.*

Quid ergo mirum, si illos dignetur honorare, quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos aut Angelos, aut Deos, ipse etiam appellat Deus. *Greg. Mag.* lib. IV, epist. 131.

Rex maculas corporum remittit, Sacerdos autem maculas peccatorum . . . ille praebet arma sensibilia, hic arma spiritualia, ille bellum gerit cum barbaris, huic bellum est adversus Daemones: major hic principatus, propterea Rex caput submittit manui Sacerdotis. *Chrys. in Isa.* hom. IV.

Habet Sacerdos primatum Abel, nutriuscatum Abrahae, gubernationem Noe, ordinem Melchisedech, dignitatem Aaron, auctoritatem Moysi, virtutem Samuelis, potestatem Petri, unctionem Christi. *Petr. Dam. in cap. II Job.*

O praeclara, o reverenda potestas vestra! certe non est potestas post Deum, sicut potestas vestra, cui nihil in Coelo, vel in terra valeat comparari, consecrare videlicet Corpus, et Sanguinem Domini: super potestate vestra, super tam insigni spectaculo, super tam solemni dignitatis vestrae privilegio stupet Coelum, miratur terra, contremiscit homo, reveretur plurimum Angelica celsitudo. *Bern. in Coena Dom.* ser. I.

Cuncti Christiani ad sanctitatem obligantur: verum sanctitas specialis decet sacerdotes, qui sunt Dei ministri. Etenim si decebat, ut populus ille, ex quo Christus nasciturus erat, quadam speciali sanctificatione polleret; nonne decens est, ut sacerdotes speciali fulgeant sanctitate, in quorum manibus, velut in utero Virginis, Filius Dei incarnatur? Licet enim Sacerdotes ab Episcopis in corpore ungantur, in anima tamen spiritualiter unguntur: tum quia gratiae augmento sunt delibuti, tum quia indelebilem recipiunt characterem, quo specialiter Deo consecrantur; ac per consequens Sacerdotes Dii nominantur. Licet enim tantum sit unus Deus per essentiam, qui in tribus personis subsistit, licet tot sint Dii per gratiam, quot sunt justi sanctitate donati: tamen per Deos de quibus loquitur Propheta: *Ego dixi Dii estis* (*Psal.*LXXXI), Patres speciali modo Sacerdotes intelligunt, qui per excellentiam ordinis, et officii dignitatem deorum nomine nuncupantur. Verumtamen ille, qui vere est Sacerdos, et qui aequivoce dumtaxat Sacerdos nuncupatur, differunt quidem inter se; Sacerdos enim verus debet tenere disciplinam, ut Sacerdotali munere fungatur; qui vero aequivoce est Sacerdos, contempta vera disciplina pro liquido habet sacerdotalis dignitatem in tonsura, in talari veste, etc. praeterea nihil. Si igitur habes jus vere sacerdotis, necesse est, habeas oportet etiam disciplinam. Cogita ad quem quotidie accedis, et sufficiet ad sectandam sanctitatem. Fac ergo ut vita tua ministerio respondeat, et morum sanctitas: adaequet virtus gradus sublimitatem, et quanto major est eminentia honoris, tanto major sit sublimitas perfectionis. Fausta erit sors quando Sacerdotes digne suum obeunt munus; et ab hominibus honorantur, et a Deo coronantur.

27. Gratia

Ex Sacris Scripturis

Quia misericordiam et veritatem diligit Deus: gratiam et gloriam dabit Dominus. *Psal.* LXXXIII, 12.

Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuae: ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo. *Prov.* I, 8.

Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, et corona inclyta proteget te. *Prov.* IV, 9.

Qui bonus est, hauriet gratiam a Domino: qui autem confidit in cogitationibus suis, impie agit. *Prov.* XII, 2.

Gratia dati in conspectu omnis viventis. *Eccli.* VII, 37.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. *Isa.* XII, 3.

Omnes sitientes venite ad aquas: et qui non habetis argentum, properate, venite, et comedite. Venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum et lac. *Isa.* LV, 1.

Vocavi, et non respondistis. *Isa.* LXV, 12.

Et cadens in terram (*Saulus*) audivit vocem dicentem sibi: Saule, Saule quid me persequeris? Qui dixit: Qui es, Domine? et ille: ego sum Jesus, quem tu persequeris: durum est tibi contra stimulum calcitrare. Et tremens, ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere? *Act.* IX, 4, et seq.

Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia. Ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per justitiam in vitam aeternam, per Jesum Christum Dominum nostrum. *Rom.* V, 20.

Gratia autem Dei sum id, quod sum, et gratia eius in me vacua non fuit, sed abundatius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum. *I Cor.* XV, 10.

Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratia Dei recipiatis: Ait enim: tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. *II Cor.* V, 1, 2.

Deus est enim qui operatur in vobis et velle, et perficere pro bona voluntate. *Philipp.* II, 13.

Nolite negligere gratiam . . . quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii. *I Tim.* IV, 14.

Ex Ss. Patribus

Deus praeparat voluntatem, et cooperando perficit, quod operan-

do incipit, quoniam ipse, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. *Aug. de grat. et lib. arb.* c. XVII.

Semper inest nobis voluntas libera, sed non semper est bona. Aut enim a justitia libera est, quando servit justitiae, et tunc est bona. Gratia vero Dei semper bona est; et per hanc fit ut homo sit bonae voluntatis, qui prius fuit voluntatis malae. *Aug. lib. de Grat. et lib. Arb.*

Aliquando plerique et vitam habentes mundam, non accipiunt gratiam; quare? ne in superbiam eleventur, ne influentur ventositate jactantiae, ne altitudo muneris negligentiores efficiat. *Chrys. ep. ad Heliod.*

Si gratiam ideo tibi dedit Deus, quia dedit gratis, gratis ama: noli ad praemium diligere Deum: ipse sit praemium tuum. *Aug. sup. Joan.*

Gratiae divinae adscribitur omne quod prospere a nobis geritur. *Greg. in Reg.*

Dei gratia cur ad istum veniat, ad illum non veniat, occulta causa esse potest, injusta non potest. *Aug. de Baptis. parv.*

Gratia balsamum purissimum est, et ideo purum, solidum, et profundum vas requirit. *Ber. ser. LIV sup. Cant.*

Gratia Dei, non nostra potestate in melius mutamur. *Aug. in Enchir.*

Lex Dei civitas est: lex data est, ut gratia quaereretur: gratia data est, ut lex impleretur. *Aug. de Bapt. parv.*

Gratiarum cessat decursus, ubi recursus non fuerit; nec modo nihil augetur ingrato, sed et quod acceperat, vertitur ei in perniciem. *Ber. ser. LIV in Cant.*

In veritate didici nihil aeque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, et recuperandam, quam si omni tempore coram Deo inveniaris, non altum sapere, sed timere, sicut scriptum est: ***Beatus homo qui semper est pavidus.*** Time ergo cum arriserit gratia, time cum abierit, time cum denuo revertitur, et hoc est semper pavidum esse. *Ber. ser. LIV sup. Cant.*

Dum nos gratia divini respectus illuminat, cuncta mentis nostrae nobis abscondita manifestat. *Greg. lib. VIII Moral.*

Si levis morbus esset, contemneretur medicus, non quaereretur: si medicus contemneretur, morbus non finiretur. Ideo ubi abundavit peccatum, superabundavit et gratia. *Aug. de Verb. Apost.*

Gratia non solum adjuvat justum, sed etiam justificat impium. *Aug. in Encher.*

Uberior est gratia, quam precatio, semper enim Dominus plus tribuit, quam rogatur. *Amb. sup. Luc.*

Gratiam in tribus consistere arbitror. In odio praeteritorum,

contemptu praesentium bonorum, et desiderio futurorum. *Bernard. Serm. LXXVII.*

Ad producendum opus salutis gratia et voluntas concurrere debent, idcirco si non producitur, hoc est vel defectu gratiae, quae deest voluntati, suumque denegàt auxilium, vel ex defectu voluntatis, quae deest gratiae, ejusque suam denegat cooperationem. Non ex defectu gratiae, sufficientem enim nulli denegat Deus, sed cunctos ad salutem invitat; ergo ex defectu voluntatis, quae cooperari gratiae recusat. Sed in vacuum ille gratiam Dei recipit, qui cum ea non laborat, nec ei suum studium adjungit, quique per desidiam facit, ut in se gratia sit otiosa, dum eam bonis explere operibus non satagit; qui per defectum cooperationis gratiam reddunt inanem, vacuam, otiosam. Quale poena mulctandus peccator, qui deest gratiae, et suo defectu impedit ne sit perfecte, complete, et adaequate efficax? Existimas tu et gratiam? Ehu saeculares surgent, qui gratiam Dei non in vacuum receperunt, sed in propria cooperatione efficacem reddiderunt! Et tu quid agis socors Sacerdos? Infelix, time, ne ira Dei, quam minatur super te descendat. *Secundum duritiam tuam, et impoenitens cor thesàurizas tibi iram in die irae* (*Rom.* II). Si times Dei iram noli obdurare cor tuum, quia cor durum male habebit in finem, in die novissimo. Postula a Deo, ut tollat a te per suam gratiam cor lapideum, sicut pollicitus est: *Dabo vobis cor novum, et auferam cor lapideum, et faciam ut in praeceptis meis ambuletis* (*Ezech.* XXXVI). Hoc praestet Deus quantum est ex se largiendo gratiam; oportet ex te concurras ad illam cum novitate cordis, justa illud: *Facite vobis cor novum, et spiritum novum* (*Ezech.* X). Cor novum et spiritum novum efficies, si tuam praestes gratiae cooperationem: sic suam efficaciam adimplebit, et produces opus salutis aeternae.

28. Christus coepit pavere

Ex Sacris Scripturis

Timuit ergo Elias, et surgens abiit . . . et petivit animae suae ut moreretur. *III Reg.* XIX, 3.

Deus, Deus meus, respice in me quare me dereliquisti? Longe a salute mea verba delictorum meorum, etc. *Psal.* XXI, et per totum.

Timor Domini sanctus permanet in saeculum saeculi. *Psal.* XVIII, 10.

Timor et tremor venerunt super me: et contexerunt me tenebrae. *Psal.* LIV, 6.

In me transierunt irae tuae, et terrores tui conturbaverunt me. *Psal.* LXXXVII, 17.

Animus gaudens aetatem floridam facit, spiritus tristis exsiccat ossa. *Prov.* XXII, 22.

A tristitia festinat mors, et cooperit virtutem, et tristitia cordis flectit cervicem. *Eccles.* XXXVIII, 19.

Replevit eum spiritus timoris Domini. *Isa.* XI, 3.

Ventrem meum, ventrum meum doleo, sensus cordis mei turbati sunt in me. Quoniam vocem baccinae audivit anima mea, clamorem praelii. Contritio super contritionem vocata est omnis terra. *Jer.* IV, 19, et seq.

Et assumpto Petro, et duobus filiis Zebedaei, coepit contristari, et mextus esse. Tunc ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem: sustinete hic, et vigilate mecum. *Matth.* XXVI, 37, 38.

Et assumit Petrum, et Jacobum et Joannem secum: et coepit pavere, et taedere. *Marc.* XIV, 33.

Ex Ss. Patribus

Dominus nostro pavore trepidabat, ut nostram incostantiam suae virtutis soliditate firmaret. *Leo ser. III de Pass. Dom.*

Tanta est animae meae tristitia, quod nisi virtute divina praeservaret, me perduceret usque ad mortem. *Hilar. in Matth. XXIV.*

Stultum est cum gladiis quaerere eum, qui sic pavet, et in nocte per proditorem investigare quasi latentem, qui quotidie in templo docebat: factum congruit tempori et personis: quia cum essent tenebrae in tenebroso tempore tenebrosum opus exercent. *Ambr. sup. Matth.* XXVI.

Peccata nostra portat, et pro illis dolet. *Ambr. in Luc.* XXII.

Delicta nostra Christus sua delicta fecit, ut justitiam suam nostram justitiam faceret. *Aug. in Psal.* XXI.

Tristor non quod mori debeo, sed quod Israelitae propinqui mei me crucifixuri sunt. *Theoph. in Matth.* XXVI.

Quis nostri est idoneus ad effundendas lagrymas pro dignitate doloris tanti ? Si vere fons lacrymarum esset oculis nostris, nec ipse sufficeret. *Aug. in Psal.* XXII.

Doles, Domine, non tua, sed mea vulnera, non tam mortem, sed nostram infirmitatem. *Ambr. in Luc.* XXII.

O Domine mediator, Deus supra nos, homo propter nos, agnosco misericordiam tuam: nam quod tu tantus tuae caritatis volun-

tate turbaris, multos, ne desperando pereant, consolaris. *Aug. Tract. LII in Joan.*

Cognosco plane in duce belli pusillanimorum trepidationem; agnosco aegroti vocem in medico, agnosco infirmantem gallinam cum pullis: considero caritatem, stupeo miserationem, expavesco dignitatem. . . Quid magnum fuerat, Domine Jesu, si accedente hora propter quam veneras, intrepidus stares tamquam qui potestatem habebas ponendi animam tuam, et nemo eam tollebat a te? Aut non longe gloriosius fuit quandoquidem totum propter nos agebatur, ut non modo passio corporis, sed etiam cordis affectio pro nobis faceret: et quos vivificabat mors tua, tua nihilominus et trepidatio robustos, et maestitia laetos, et taedium alacres, et trepidatio quietos faceret, et desolatio consolatos. *Ber.ser.I in die s.And.Ap.*

Sic et Christus loquitur ad Patrem: *Super me confirmatus est furor tuus* (*Psal.* LXXXVII). Terrores Domini, idest horribiles adversitates, vel formidines militarent contra me. Nam Christus naturali timore expavit poenas instantes, cum timorem sponte assumpsit. *Dyonis. Cart. sup. Psal.* LXXXVII, 8.

Non animi infirmitate, sed potestate turbabatur et tristabatur. *Aug. Tract. IV in Joan.*

Dominus nostro pavere trepidat, ut susceptionem nostrae infirmitatis indueret, et nostram incostantiam suae virtutis soliditate vestiret. *Leo Pap. Serm. I de Pass.*

Necesse fuit hanc immaginariam apprehensionem in Christo fuisse super caeteras curarum mala inaestimabiliter afflictivam: ita ut nihil unquam quantumvis horridum, atque fremendum aliorum hominum imaginatione comprehensum huic poterit adequari. *Abulens Aenigm.* III, cap. IV.

Christus expavit? Quis enim non timeat, si timet ille quem omnia timent; si pavet ille cui omne genu curvatur; si ille qui mors est mortis. . . Christus tristatur? Et tu tristitiae ejus causa fuisti! . . Christus pro te tristatur, quia tu exultabas in rebus pessimis. Quantum tibi voluptatis, tantum Deo dedisti tormenti. Christus moestus est? Et pro te moestus fuit, qui pro se nihil habuit quod doleret. . . Quin imo sequestrata delectatione suae divinitatis aeternae, taedio tuae infirmitatis afficitur, suscepit enim tristitiam tuam, ut tibi suam laetitiam largiretur. Admireris Christi moestitiam quam pro te tulit Salvator. Haec non recogitant homines, Christum denuo tristitia afficientes, quia de ejus tristitia nullum fructum percipiunt. Non sic in posterum, nec amplius de te queratur Christus: *Quae utilitas in sanguine meo* (*Psal.* XXIX).

29. Fuga mulierum

Ex Sacris Scripturis

Ne attendas fallaciae mulieris. Favus enim distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur ejus. Novissima autem illius amara quasi absynthium, et (*lingua ejus*) acuta, quasi gladius biceps. Pedes ejus descendunt in mortem, et ad inferos gressus illius penetrant. Per semitam vitae non ambulant, vagi sunt gressus ejus, et investigabiles. . . Longe fac ab ea viam tuam, et ne appropinques foribus domus ejus. *Prov.* V, 2, et seq.

Mulier stulta, et clamosa, plenaque illecebris, et nihil omnino sciens, sedit in foribus domus suae super sellam in excelso urbis loco, ut vocaret transeuntes per viam, et pergentes itinere suo. *Prov.* IX, 13 et seq.

Et inveni amariorem morte mulierem, quae laqueus venatorum est, et sagena cor ejus, vincula sunt manus illius: qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator est, capietur ab illa. etc. *Eccles.* VII. 27.

Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni. *Eccles.* VII, 29.

Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes, et arguent sensatos. *Eccli.* XIX, 2.

Omnis plaga, tristitia cordis est: et omnis malitia, nequitia mulieris. Et omnem plagam, et non plagam videbit cordis. Et omnem nequitiam et non nequitiam mulieris . . . Non est caput nequius super caput colubri: et non est ira super iram mulieris. Commorari leoni et dragoni placebit, quam habitare cum muliere nequam. Nequitia mulieris immutat faciem ejus, et obcaecat vultum suum tamquam ursus: et quasi saccum ostendit. In medio proximorum ejus ingemuit vir ejus, et audiens suspiravit modicum. Brevis omnis malitia super malitiam mulieris, sors peccatorum cadat super illam: Sicut ascensus arenosus in pedibus veterani, sic mulier linguata homini quieto. Ne respicias in mulieris speciem, et non concupiscas mulierem in specie. Mulieris ira, et irreverentia, et confusio magna. *Eccli.* XXV, 17, et seq.

Sicut boum jucum, quod movetur, ita et mulier nequam; qui tenet illam, quasi qui apprehendit scorpionem. Mulier ebriosa, ira magna: et contumelia, et turpitudo illius non tegetur. *Eccli.* XXVI, 10, 11.

De carnibus scintillae desiliunt, de ferro rubigo nutritur: morbos aspides sibilant, et mulier fundit concupiscentiae pestilentiam: in risum aliquando dissolvitur: nunc blanditias exhibet, et quod est venenosius super cuncta, psallere delectatur, aut cantare: cujus cantu tolerabilius est audire basiliscum sibilantem. *Aug. de sing. cler.*

Memento Thamar, quae ab Amnon fratre suo corrupta fuit. Ubi unius est tabernaculi conversatio, carnis non facile tollitur delectatio. *Aug. ibid.*

Samson validus et fortis leonem suffocavit, sed amorem suum suffocare non potuit. Vincula solvit hostium, sed suarum non solvit nexum cupiditatum. Messes incendit alienas, sed unius ipse mulieris accensus igniculo, messem suae virtutis amisit. *Ambr. lib. I de David.*

Viduarum ad virginum domos nisi visitandi gratia, juniores adire non opus est, et hoc cum senioribus: hoc est cum Episcopo, vel si gravior causa est, cum presbytero. Quid necesse, ut demus socularibus obtrectandi locum? Quod si aliqua illarum forte labitur, cur alieni lapsus subeas invidiam? quanti non dederunt errori locum, et dederunt suspicioni? prima tentamenta clericorum sunt feminarum frequentes accessus; iste sexus reprehensibiles reddit clericos. *Amb. lib. I de offic.*

Mentior, si non videmus exinde interitus plurimorum. Quanti et quales Episcopi, et Clerici simul, et laici post confessionem victoriarumque calcata certamina, post magnalia, et signa, vel mirabilia usquequaque monstrata noscuntur cum his omnibus naufragasse, cum volunt in navi fragili navigare? Quantos leones domuit una infirmitas delicata, quae cum sit vilis et misera, de magnis efficit praedam? Longe sit pestis ista, et lues, et clandestina pernicies. O quam inordinabilis foeminae propinquitas iaculatur cuius vicinia est delictorum latrocinium! *Cypr. de sing. Cleric.*

Liberanda, et violenter eripienda est de periculosis locis navis, ne inter scopulos, et saxa frangatur; extrahenda est velociter de incendio sarcina, priusquam a flammis supervenientibus cremetur; nec evadere diabolum servus Dei poterit, qui se diaboli laqueis implicaverit. *Cypr. ep. LXII.*

Ipsa virorum ac mulierum consensio, ipsa in favoribus aut conspiratio, aut dissensio inter se de commercio scintillas libidinum conflabellant. *Tert. lib. de Spect. XXIII.*

Haec pestis quae prae caeteris vitiis est mihi familiarior, eo ad nocendum proclivior, et ad repellendum difficillior. Subtiliter in-

trat, mentem occupat, et nisi subito repellatur, allicit, et incendit, et quasi virus pestilentiae per totum corpus paulatim se diffundit. *Ber. de inter. Do. cap. XXIX.*

Cunctorum peccatorum tollendae sunt occasiones, praesertim fuga mulierum, dum lasciviendi adest periculum. Fugiendum a muliere ornata, quae aspectu, gestu, voce, consortio conturbenio ad libidinem instigat. Abscinde eam, eiice ancillam, eiice pedissequam, omnem peccandi occasionem abscinde, ne pereas. Quot viri pietate insignes per mulieris occasionem misere lapsi sunt? Semel dico, omnis inconveniens sodalitas mulierum, glutex est delictorum,quia animas toxicant,corpora ad luxuriam inflammant, praesertim si lasciviendi occurrat occasio. Si necessitas obstringat te loqui cum mulieribus, ne aspicias eas fixis oculis, sed oculos humi dejectos habe. Loquere eis parce, raro scilicet ac breviter. Attamen praetereundum non est quod saepe saepius occurrit in viris pietate ac virtute probatissimis; in exercitio ministerii, insudant, laborant et praecipua cura est illis de mulieribus et maxime de virginibus; et permittunt aliquando eas sequi ipsos, etiam in sacris functionibus, vel concionando, vel etc. Numquid Apostoli mulieres secum comites circumducebant, sicut tu in tuis functionibus? Numquid mansit Elias apud Sunamitidem, quomodo et tu fortasse apud eas? Confundere, quod tam facile te invenies in comitatu earum; fuge in posterum, et ut facile fugias ora Jesum et bene tibi erit.

30. Divisio cordis

Ex Sacris Scripturis

Ego Dominus Deus vester. Non facitis vobis idolum, et sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum: ego enim sum Dominus Deus vester. *Levit.* XXVI, 1.

Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies, ac etc. *Deut.* VI, 13.

Accedens autem Elias ad omnem populum, ait: Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum. Et non respondit ei populus verbum. *III Reg.* XVIII, 21.

Ne accesseris ad illum duplici corde. Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, et non scandalizeris in labiis tuis. Attende in

illis, ne forte cadas, et adducas animae tuae inhonorationem. Et revelet Deus absconsa tua, et in medio synagogae elidat te: quoniam accessisti maligne ad Dominum, et cor tuum plenum est dolo et fallacia *Eccli.* I, 36, et seq.

Et dabo eis cor unum, et viam unam, et timeant me universis diebus: et bene sit eis, et filiis eorum post eos. *Jerem.* XXXII, 39.

Divisum est cor eorum, nunc interibunt. *Oseae* X, 2.

Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. *Matth.* IV, 10.

Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, et alterum diliget; aut unum sustinebit, et alterum condemnet. Non potestis Deo servire et mammone. *Matth.* VI, 24.

Non potestis calicem Domini bibere, et calice daemoniorum: non potestis mensae Domini participes esse, et mensae daemoniorum. *I Cor.* X, 20, 21.

Soli Deo honor et gloria, in saecula saeculorum. Amen. *I Tim.* I, 17.

Vir duplex animo incostans est in omnibus viis suis. *Jacob.* I, 8.

Ex Ss. Patribus

Omnis homo in convivio cordis sui aut Christum, aut Diabolum pascit. *Caes. Arel. in Bib. Pat.* XXII.

Mundus clamat, ego deficiam, caro clamat ego inficiam, diabolus clamat ego decipiam; Christus vero dicit, ego reficiam, et tamen superba mens magis sequi vult deficientem, quam reficientem. *Ber. Ep.* XXI.

Ille cupit (*Diabolus*) animas hominum tenere captivas, Dominus liberare, ille praedicat idola, hic unius Dei notitiam, ille trahit ad vitia, hic ad virtutes revocat. Quomodo ergo possunt inter se habere concordiam, quorum opera diversa sunt? *Hier. in Matth.*

Caritas quae divisa venire consuevit, cor justi dividi per multa compellit; quod tamen tanto arctius in Deo colligit, quanto latius per sancta desideria spargit. *Greg. in Past.*

Nemo se fallat, nemo se decipit: Deus, et Diabolus ab uno pariter amari non possunt: aut enim Diabolus auditur, aut Deus amatur: si amatur Diabolus, necesse est ut Deus condamnatur. *Grys. in Joan.* cap. III.

Quia Deus cor quaerit, cor inspicit, intus testis est, iudex, approbator, adiutor, coronator: sufficit ut afferas voluntatem, quam potes ore confiteri ad salutem: cum autem non potes ore, crede ad justitiam: corde laudas, corde benedicis, corde in ara conscientiae victimas sacras imponis; et respondetur tibi, pax in terra hominibus bone voluntatis. *Aug. sup. Psal.* CXXXIV.

Tunc cor hominum Deo datur, quando omnis cogitatio terminatur in eum, girat, et circumplectitur super eum, et nihil vult possidere penitus praeter eum. *Ber. Ep.* XIV.

Ubi de pectore virginali saecularium negotiorum cura aestuat statim velum templi scinditur, sponsus consurgit iratus, et dicit: relinquatur domus vestra deserta. *Hier. Ep. XXII ad Eus.*

Qui voluerit jocari cum Diabolo, non poterit regnare cum Christo. *Pet. Grysol. Ser.* III.

Aut Dei sumus, aut Diaboli nihil medium. *Aug. Sent.*

Toto corde, tota anima, tota virtute diligere est, omne quod blanditur de carne propria vel aliena, sacrosanctae carnis Christi, amori postponere est. *Ber. ser. XX sup. Cant.*

Foelix conscientia illa, in cujus corde praeter amorem Christi, qui est sapientia, castitas, patientia, atque justitia, nullus alius versatur amor, nec ad recordationem hominis aliquando suspirat, nec videre desiderat, quod quum viderit nolit dimittere. *Hier. in ep. ad Demet.*

Duos habes Dominos: unum legitima, alterum arrogata potestate: Deum, et sensum Deo rebellem. Infelix homo, qui hunc non Dominum, sed tyrannum audit. Sed unicuique nostrum est cor unum; illud postulat Deus, ad idem anhelat et Diabolus; Diabolus est medietate contentus, Deus autem vult totum, aut nihil: uterque simul cor possidere non potest. Cor hominum non potest simul capere Deum, et Diabolum; sed suscepto Diabolo per peccatum, Deus exit; suscepto Deo per caritatem, Diabolus exit. Imo ne cor divideres, ille qui creavit te, ipse te redemit: ne amorem tuum divideres, partem creatori, et partem tribuens redemptori. Et hinc quanta hominis stultitia et iniquitas praeferre daemonis tyrannidem, dominio Christi, cui debet totum cor, et ratio ipsa suadet hanc veritatem: quia una sponsa, unum tantum sponsum habet: una anima, unum Deum sponsum habeat, veneretur, et amet. Sacrae sponsae cor lectulus dicitur. *In lectulo meo quaesivi quem diligit anima mea* (*Cant.* III). Et Isaias de eo, ut de strato angusto loquitur. *Coangustatum est stratum, ita ut alter decidat: pallium suum breve utrumque operire non potest* (*Isa.* XXVIII). Lectulus ille amoris ita arctus est, ut nonnisi sponsam, et sponsum capiat. Angustus est lectus, et pallium breve, utrumque operire non potest: nec bene conveniunt, nec in una sede morantur, majestas Dei, et amor mundi. Quo pacto vero, dic mihi, quo pacto in exiquo tui cordis angusto niteris ibi, mundum, diabolum, ad cohabitandum socios adhibere? Elige nunc cui servias! Quid frustra

tentes servire utrique? . . . Denega cor diabolo; qui eius est medietate contentus; praebe illud Deo, qui totum requirit: divisionem cordis tui, ejus unitatem cum Regio Vate postules: *Laetetur cor meum, ut timeat nomen tuum* (*Psal.* LVIII). Seu ut ex Haebreo legit Hieronymus. Uni Deo cor meum; ut possis vere dicere: *Servus tuus sum ego* (*Psal.* CXV).

31. Tempus

Ex Sacris Scripturis

Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub coelo. *Eccles.* III, 1.

Qui custodit praeceptum, non experitur quidquid mali. Tempus et responsionem cor sapientis intelligit. Omni negotio tempus est, et opportunitas, et multa hominis afflictio. *Eccles.* VIII, 5, 6.

Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia, erunt apud inferos, quo tu properas. *Eccles.* IX, 10.

Fili conserva tempus, et devita a malo. *Eccli.* IV, 23.

Ante mortem benefac amico tuo, et secundum vires tuas exporrigens de pauperi. Non defraudaris a die bono, et particula boni doni non te praetereat. *Eccli.* XIV, 13, 14.

Nemini mandavit (*Dominus*) impie agere, et nemini dedit spatium peccandi. *Eccli.* XV, 21.

Est tacens non habens sensum loquelae: et est tacens sciens tempus aptum. *Eccli.* 20, 6.

Et in tempore redditionis postulabit tempus, et loquetur verba taedii, et murmurationum, et tempus causabitur. *Eccli.* XXIX. 6.

Et Dominus vocavit adversus me tempus. *Thre.* I, 15.

Sollicitudine non pigri: spiritu ferventes: Domino servientes. *Rom.* XII, 11.

Hoc itaque dico, fratres: tempus breve est: reliquum est, ut qui habent uxores. . . ut qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: praeterit enim figura hujus mundi. *I Cor.* VII, 29, 31.

Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis: non quasi insipientes, sed ut sapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. *Ephes.* V, 15.

In sapientia ambulate ad eos, qui foris sunt, tempus redimentes. *Coloss.* IV, 5.

Nil pretiosius tempore, et ehu nihil hodie vilius reputatur! transeunt dies salutis, et nemo recogitat; nemo sibi perire diem, et nunquam rediturum causatur: sed sicut capillus de capite, sic nec momentum peribit de tempore. *Ber. Ser. ad scolar. in declam.*

Tempus tantum valet, quantum Deus, quippe in tempore bene consumpto comparatur Deus. *Ber. ser. XL de div.*

Nihil longum, quod finem habet, aeternitati comparatum omne tempus breve est. *Hier. in Eccles.*

Nemo vestrum parvi aestimet tempus, quod in verbis consumitur otiosis; volat verbum irrevocabile, volat tempus irremediabile, nec advertit insipiens quid amittat; licet fabulari, donec hora praetereat, o donec hora praetereat! quam tibi ad agendam poenitentiam, ad obtinendam veniam ad acquirendam gratiam miseratio Conditoris indulserat. O, donec transeat tempus, quo divinam propitiare debueras pietatem, properare ad Angelicam societatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem. *Ber. ser. CV de trip. cust.*

Omnia potius sunt amittenda, quam tempus: aurum amittis, poterit recuperari, amissum autem tempus nunquam. *Chrys. hom. LVII in Joan.*


Tempus redimimus quando ante actam vitam, quam lascivendo perdidimus, flendo reparamus. *Ansel. apud Mans. Bibl. mor.* tract. XLI, dis. XIV, n. IV.

O lignum aridum, et inutile, aeternis ignibus dignum! quid respondebis in illa die, cum exigetur a te usque ad ictum oculi omne tempus vivendi tibi impensum qualiter fuit expensum? *Bonav. ser. I de Nat. Christ.*

Equis erit armatus ille, qui se nobis opponet sub specie penuriae et paupertatis, nisi tempus perditum, pauper quia bonorum operum meritis exhaustum erit! *Mansi Bibl. mor.* tract. XLI, diss. VI, n. II.

Tempus cum mundo sumpsit exordium, cum mundo etiam finem accipiet. Finito mundo tempus non erit amplius, sed tunc regnabit aeternitas. Mereri tu non potes nisi per bona opera, et ut bene possis operari datum est tibi tempus. Quandiu es in via, tamdiu es in statu meriti vel demeriti: tu es in via quamdiu vivis; post mortem non amplius es in via, sed in termino, in quo nec mereri, nec demereri potes. Tu in hoc saeculo vivens, habes tempus ad bene agendum destinatum: quapropter debes uti tempore ad

salutem opportuno, et vacare bonis operibus. Nunc est tempus ad seminandum aptum: transacto autem tempore non erit amplius seminandi, neque metendi locus. Ergo dum tempus habemus operemus bonum. Sors temporis in manu nostra est, et a momento temporis sors aeternitatis dependet. In judicio autem erit de tempore ratio districta reddenda. Deus enim omne tempus nostrum accipiet, et secundum illud nos examinabit, et judicabit. *Cum accepero tempus*, dixit per Prophetam, *ego justitias judicabo* (*Psal.* LXXIV). Tunc omne tempus nobis impensum requiretur a nobis qualiter sit expensum. Et sicut non peribit capillus a capite, sic ne momentum quidem a tempore. Ideo sancti viri diligenter cavent ne de tempore modicum quid amittant, ne de eo in judicio rationem reddant. Unde Augustinus in lib. *Confess.* accusat se coram Deo de hoc quod araneas muscas capientes, aliquando libenter aspexit, et de hoc quod per viam transiens canem leporem insequentem, aliquando libenter vidit. Ideo autem de his se accusat, non quia in his peccatum sit, sed quia tempus quod ibi occupavit, in bonis meditationibus expendere debebat. Et ideo oh quam male poteris rationem reddere de tempore otiosus, qui non solum momenta amisisti temporis, sed horas integras, dies, menses, et annos. Memento, omnia fluere, et in assidua diminutione sunt corpora, et more fluminum rapiuntur. Omnia aliena sunt, tempus tantum nostrum quotidie est. Quidquid vides, currit cum tempore, et solum superest aeternitas!



FEBRUARIUS

1. Brevitas vitae

Ex Sacris Scripturis

Omnes morimur et quasi aquae dilabimur in terram, quae non revertuntur: nec vult Deus perire animam, sed retractat cogitans, ne penitus pereat qui abiectus est. *II Reg.* XIV, 14.

Peregrini enim sumus coram te (*Domine*), et advenae, sicut omnes patres nostri. Dies nostri quasi umbra super terram, et nulla est mora. *I Paral.* XXIX, 15.

Militia est vita hominis super terram: et sicut dies mercenarii, dies ejus . . . Dies mei velocius transierunt quam a texente tela succiditur, et consumpti sunt absque ulla spe. Memento (*Domine*), quia ventus est vita mea, etc. *Job* VII, 1, . . . 6, 7.

Hesterni quippe sumus; et ignoramus, quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram. *Job* VIII, 9.

Homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet. *Job* XIV, 1, 2.

Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est: constituisti terminos ejus qui praeteriri non poterunt. *Job* XIV, 5.

Quoniam omnes dies nostri defecerunt: et in ira tua (*Domine*) defecimus. *Psal.* LXXXIX, 9.

Recordatus est quoniam pulvis sumus: homo, sicut foenum dies ejus: tamquam flos agri sic efflorebit. Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet: et non cognoscet amplius locum suum. *Psal.* CII, 14, 15.

Sicut umbra cum declinat, ablatus sum: et excussus sum sicut locustae. *Psal.* CVIII, 22.

Homo vanitati similis factus est: dies ejus sicut umbra praetereunt. *Psal.* CXLIII, 4.

Quid necesse est homini majora se quaerere, cum ignoret quid conducat sibi in vita sua, numero dierum peregrinationis suae, et tempore, quod velut umbra praeterit? Aut quis ei poterit indicare quid post eum futurum sub sole sit? *Eccles.* VII, 1.

Umbrae enim transitus est tempus nostrum, et non est reversio finis nostri: quoniam consignata est, et nemo revertitur. *Sap.* II, 5.

Omnis caro sicut foenum veterascet, et sicut folium fructificans in arbore viridi. *Eccli.* XIV, 18.

Numerus dierum hominum, ut multum centum anni: quasi gutta aquae maris deputati sunt: et sicut calculus arenae, sic exiqui anni in die aevi. *Eccli.* XVIII, 8.

Vox dicentis: Clama. Et dixi: Quid clamabo? Omnis caro foenum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. *Isa.* XL, 6.

Homo quidam dives, dixit: Hoc faciam: destruam horrea mea, et majora faciam: et illuc congregabo omnia quae nata sunt mihi, et bona mea, et dicam animae meae: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: quae autem parasti cujus erunt? *Luc.* XII, 18, et seq.

Quae est enim vita vestra? Vapor est ad modicum parens, et deinceps exterminabitur. Pro eo ut dicatis: si Dominus voluerit; et: si vixerimus, faciemus hoc, aut illud. *Jac.* IV, 15.

Ex Ss. Patribus

Longitudinem vitae hujus sentiri non facit, nisi spes vivendi: non mihi videtur esse celerius, quam quidquid in ea jam praeteritum est. Quum ergo dies judicii venerit, tunc sentient peccatores, quoniam non sit longa nimis vita quae transit. *Aug. sup. Psal.* VI.

Vitae hujus principium, mortis exordium est, nec prius incipit augeri aetas nostra, quam minui. Cui si quid adjicitur spatii temporalis, non ad hoc accedit ut maneat; sed in hoc transit, ut pereat. *Ambr. de voc. Gen. II*, cap. VIII.

Vita haec, vita misera, vita caduca, vita incerta, vita laboriosa, vita immunda, vita domina malorum, regina superborum, plena miseriis, et erroribus, quae non est vita dicenda, sed mors. *Aug. Medit.* cap. XXI.

Breve est curriculum hujus vitae. Titus Vespasianus filius, cum quadam nocte serio recordaretur se nihil boni in illa die fecisse, dixit amicis: hodie diem perdidi. Nos non putamus perire nobis horam, diem, momentum, tempus, aetates, cum otiosum verbum loquimur, pro quo reddituri sumus rationem in die judicii. *Hier. in Ep. ad Galat.*

Nihil fugacius saeculo, rebusque saeculi, quas dum tenemus, amittimus: et per infantiam, pueritiam, juventutem, ac virilem et ingravescentem, ac maturam aetatem, annosque ultimos senectutis utique septem spatia Philo vitam describit humanam, mutamur et currimus, nescientes an ad mortis terminos pervenimus. *Isid. lib. I sup. Amos.*

Tantis malis haec vita repleta est; ut comparatione ejus mors remedium putetur esse non poena, nam ideo brevem illam Deus facit, ut molestiae ejus, quae prosperitate vinci vel tolli non poterant, temporis exiguitate finirentur. *Ambr. in Ser.* XL.

Quomodo fabula, sic et vita, non quandiu, sed quam bene acta sit, refert. Humanae vitae conditionem primus sicut ultimus dies continet. Reproborum mentes idcirco multa nequiter agunt, quia se hic vivere diutius arbitrantur. Justi vero dum brevitatem vitae considerant, a culpis elationis et immunditiae declinant. Plurimi sunt qui tunc incipiunt velle bene et vere vivere, cum desinendum est, quia credunt semper vivere, imo quidam ante desierunt vivere, quam inciperent; sperabant non mori. Hinc de partibus vitae omnes deliberant, de tota nemo; et ideo male vivunt, qui se semper victuros putant: volunt enim homines ita praeceptum esse, ut vivant, non ita vivere, ut praeceptum est. Cogita semper qualis, non quanta sit vita. Pulchrum ergo est consummare vitam ante mortem: et expectare secure reliquam temporis partem. Non enim diu vivere, sed bene vivere optandum est. Hoc unum discas, vitam contemnere. Nemo illam bene rexit, nisi qui contempserit. Heu quam multa poenitenda occurrunt diu vivendo!

2. Purificatio B. M. V.

Ex Sacris Scripturis

Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam, in filiis Israel tam de hominibus, quam de jumentis: mea sunt enim omnia. *Exod.* XIII, 1, 2.

Primogenitum asini mutabis ove; quod si non redemeris, interficies: omne autem primogenitum hominis de filiis tuis pretio redimes. *Exod.* XIII, 13.

Omne quod aperit vulvam generis masculini, meum erit. *Exod.* XXXIV, 19.

Cumque expleti fuerint dies purificationis suae pro filio, sive pro filia, deferet agnum anniculum in holocaustum, et pullum columbae, sive turturem pro peccato ad ostium tabernaculi testimonii, et tradet sacerdoti, qui offeret illa coram Domino, et orabit pro ea; et sic mundabitur a profluvio sanguinis sui. Ista est lex parientis masculum aut feminam. *Lev.* XII, 6, 7.

Suscepimus Deus misericordiam tuam, in medio templi tui. *Psal.* XLVII, 9.

Sapientia humiliati exaltabit caput illius, et in medio magnatorum consedere illum faciet. *Eccli* XI, 1.

Sic enim decet nos implere omnem justitiam. *Matth.* III, 15.

Et postquam impleti sunt dies purgationis eius secundum legem Moysi, tulerunt (*parentes eius*) illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vulvam; sanctum Domino vocabitur: Et ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. *Luc.* II, 22, 23, 24.

Et venit (*Simeon*) in spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit. Nunc dimittis etc. *Luc.* II, 27, 28.

At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. *Galat* IV, 4, 5.

Ex Ss. Patribus

Hodie placabilis, et Deo placens hostia offertur. *Ber. ser. II de Pur.*

Illud (*crucis*) erat sacrificium vespertinum, istud (*in templo*) est matutinum. *Idem ibid.*

Voluit sub lege fieri, ut eos, qui sub lege erant, redimeret; voluit, et Matrem suam implere legis observantias, quibus tamen non erat obnoxia. *Thom. sup. Can.*

Quis non miretur, quam in die Purificationis Maria ostentaverit humilitatem; dum, quae angelis purior erat, quasi sordibus scateat, Purificationis remedium ad eas abstergendas assumpserit. *Guer. Ab.. ser. IV de Pur. X.*

Non aurum, non gemmas, obtulerunt pro Rege Coelorum, sed animalia munda, viva atque volontia, ut mysterium hoc intelligerent esse, qui legerint: in turture quippe sanctae Ecclesiae per amoris sacrosanctum connubium, Christo copulatae castitatem intellige; in columbae vero specie, unitatem caritatis credentium, quibus est cor unum, et anima una, praefiguratam agnosce. *Laur. Just. ser. de Purif.*

Quae est ista tam sublimis humilitas, quae cedere non novit honoribus, insolescere gloria nescit? Mater Dei vera humilitatis insigne, neque (oblata tanta gloria) oblivisci humilitatem. Non magnum est esse humilem in abiectione; magna prorsus, et rara virtus humilitas honorata. *Ber. sup. Missus est hom. IV.*

Si ille, qui auctor legis erat, legem observare una cum sua ge-

nitrice voluit; magna nobis, qui peccatores sumus, instat necessitas, ut divinis legibus subditi, quidquid nobis praecipitur implere satagamus. *D. Amb. in psal. LXI, ser. II de Purif.*

Mulier si peperit, immunda erit. Putas, non poterat animus Virginis conqueri, ac dicere; Quid mihi opus est purificatione? cur abstineam ab ingressu templi, cuius uterus nesciens virum factus est templum Spiritus sancti? Cur non ingrediar templum, quae peperi Dominum templi? nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil purgandum nimirum cum proles ista fons puritatis sit, et purgationem venerit facere delictorum. *Ber. ser. I de Purif.*

O beata Virgo vere non habes causam, nec tibi opus est Purificatione: sed numquid Filio tuo opus erat Circumcisione? Esto igitur inter mulieres tamquam una earum, nam et filius tuus sic est in numero puerorum. *Ber. ser. III de Purif.*

Maria Christum emit, non sibi soli, sed toto mundo, ut per hanc eius emptionem in omnia illius opera mundus actionem sumeretur. *Ber.ser. III de Purif.*

Lex Purificationis triplici ratione instituta erat. Tum ob iacturam virginalis integritatis, quam passae fuerant foeminae via communi concipientes. Tum ob fluxum sanguinis menstruorum et secundinarum aliasque naturae contumelias, quae sequebantur partum. Tum ob peccatum vel matris aestu libidinis concipientis, vel filii, qui contrahebat originale delictum per parentum generationem: ideo lex (*Levit.* X), iubebat in duobus pullis turturis, aut columbarum offerentium pro peccato: unde in mulieribus trina erant purganda immunditia, Naturalis, Legalis et Moralis. Nulla ex his immunditiis fuit in Maria. Non Naturalis, quia concepit et peperit filium absque ulla virginitatis detrimento; credere enim debemus Deum natum, et quidem ex Virgine; Christus ita exivit de Virginis utero, sicut aqua de petra. Non Legalis; quia in Christi ortu nullus matri dolor, nulla naturae contumelia, nullus fuit sanguinis fluxus. Non Moralis, quia nec ullum peccatum commisit in conceptione Virgo, quia concepit sine voluptate, nec Filius eius peccato originali fuit obnoxius, sicut et Mater. Verum licet Maria nullam habuerit immunditiam, neque naturalem neque legalem, neque moralem; observans tamen Purificationis legem, apparuit immunda. Ubi profundissima ejus elucet humilitas, occultando divinam Maternitatem, virginalem Integritatem, originalem Sanctitatem, quibus exempta erat a Purificationis lege. Haec est inaudita novitas Purificationis Mariae. Gloriam suam reputat

si inter immundas accensetur; cum sic Filius ejus sit numeratus inter peccatores. O admiranda obedientia et humilitas! O quam tu es alius. Es coram Deo peccator; et coram hominibus de puncto honoris luctaris? Disce a Jesu et Maria . . . Utinam hi sint in posterum affectus tui!

3. Unitas Dei

Ex Sacris Scripturis

Dixit Deus ad Moysen: Ego sum qui sum. Ait: Sic dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos. *Exod.* III, 14.

Ut scires, quoniam Dominus ipse est Deus et non est alius praeter eum. *Deut.* IV, 35.

Scito ergo hodie et recogitate in corde tuo, quod Dominus ipse est Deus et Coelo sursum et in terra deorsum, et non sit alius. *Deut.* IV, 39.

Videte, quod ego sim solus, et non sit alius Deus praeter me: ego occidam, et ego vivere faciam: percutiam et ego sanabo; et non est qui de manu mea possit eruere. *Deut.* XXII, 39.

Non enim est alius Deus, quam tu, cui cura est de omnibus, ut ostendas, quoniam non injuste judicas judicium. *Sap.* XII, 15.

Vos testes mei, dicit Dominus, et servus meus, quem elegi: ut sciatis et credatis mihi, et intelligatis, quia ego ipse sum. Ante me non est formatus Deus, et post me non erit. *Isa.* XLIII, 10.

Recordamini prioris saeculi, quoniam ego sum Deus, et non est ultra Deus, nec est similis mei. *Isa.* XLVI, 9.

Ego autem Dominus Deus tuus ex terra Egypti: et Deum absque me nescias, et Salvator non est praeter me. *Oseae* XIII, 4.

Audi, Israel: Dominus Deus tuus, Deus unus est. *Marc.* XII, 29.

Haec est autem vita aeterna: ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. *Joan.* XVII, 3.

Mediator autem unius non est: Deus autem unus est. *Gal.* III, 20.

Unus Deus et pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis. *Eph.* IV, 6.

Ex Ss. Patribus

Deus qui aeterna mens est, ex omni utique parti perfecte consumataeque virtutis est. Quod si verum est, unus sit necesse est. *Lact. Firm. lib. de div. just.*

Quid est Deus? Longitudo, latitudo, sublimitas, profundum. Longitudo propter aeternitatem; latitudo propter caritatem; sublimitas

propter majestatem; profundum propter sapientiam. Deus amat, ut caritas, novit, ut veritas, sedet, ut aequitas, dominatur, ut majestas, regit, ut principem, tuetur, ut salus, ut virtus, revelatur, ut lux, assistit ut pietas; quae omnia faciunt et Angeli, facimus et nos: sed longe inferiori modo, non utique bono, quod sumus, sed quod participamus. *Ber. de Consid.*

Nec nomen Dei quaeres, Deus, nomen est illi. Illic vocabulis opus est, ubi propriis appellationem insignibus multitudo dirimenda est, Deo, qui solus est, Dei vocabulum totum est. *Cypr. Ep.* XIV.

Deus vera et summa vita, in quo et a quo et per quem bona sunt omnia, quae beata sunt, unus est. Deus a quo averti, cadere, in quem converti, resurgere, in quo manere, consistere est. Deus a quo exire, mori, et in quem redire, reviviscere, et in quo habitare, vivere est. Deus quem nemo omittit nisi deceptus, quem nemo quaerit nisi admonitus, quem nemo invenit nisi purgatus. *Aug. in Soliloq.*

Veritas Christiana districte pronunciavit: Deus si non est unus, non est Deus. *Tert.* lib. I *adv. Marc.*

Ostensum est, Deum omnino perfectum esse, cui nulla perfectio desit. Si igitur sunt plures Dei, oportet esse plura hujusmodi perfecta: hoc autem est impossibile: nam si ulli eorum deest aliqua perfectio ei admiscetur, quod requiritur ad hoc, quod aliquid sit simpliciter perfectum; non erit in quo ad invicem distinguantur. Impossibile est igitur plures Deos ponere. *Thom.* l. I *cont. Gent.*

Deus unus est, et Christus unus est, et una Ecclesia et cathedra una supra petram Domini voce fundata. *Cypr. Ep.* XL.

Dei unitas indivisibilis in plures Deos partiri nequit, quia Deus unus est. Licet enim Pater, Filius, et Spiritus Sanctus sit unus Deus; Pater tamen est alius a Filio, Filius alius a Patre, Spiritus Sanctus alius a Patre et Filio; attamen Dei unitas, indivisibiliter, et aequaliter in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto reperitur, et tres personae sunt unus et idem Deus. Deus enim omnimodam complectitur perfectionem, et si aliqua Deo deesset perfectio, esset indecens, nec esset Deus. At si unus non esset, deesset ei unitas, quae certo est Dei perfectio, quod absurdum, ergo Deus unus est. Unitatem enim Dei, cum aliis suis attributis confiteri oportet, et qui nonnulla recipit, alia rejicit, *factus est omnium reus* (*Jac.* II). Haeretici non ideo sunt ab Ecclesiae corpore separati quia cunctos, sed aliquos duntaxat docuerunt errores. Hinc Sabellius fuit haereticus declaratus ob negatam divinarum personarum Trinitatem.

Marcio ob sublatam Dei unitatem damnatus fuit. Arius Patris divinitatem admittens, noluit Filii confiteri divinitatem. Macedonius Filium aeque ac Patrem agnoscens Deum, Spiritui Sancto divinitatem denegavit. Apollinaris et Eutyches non circa Trinitatem errarunt, sed circa Incarnationis Mysterium. Pelagius Trinitatem, et Incarnationem credit, et gratiae necessitatem renuit. Lutherus et Calvinus gratiae necessitatem recognoscunt, et circa Eucharistiae Sacramento disseminant errores. Tu certo scito, te unum Deum credere, sed cum credis Dei unitatem, plures Deos colis; scilicet tot Deos, quot passiones, et sic tibi facis Deos de mammona iniquitatis. Hoc primum est ex omnibus desiderandis, ut agnoscatur ab omnibus Deus, colatur, eique uni serviatur, aestimetur ejus sanctitas, ametur ejus bonitas, timeatur ejus justitia. Hic est finis noster, ad quem omnia, et singula debemus dirigere. Considera... Apostolus inexcusabiles declarat etiam gentiles, qui Deum ignorant, et si homo posset inculpabiliter ignorare Dei unitatem, posset etiam sine culpa idola colere. Quod si Dei unitatem ignorare non licet, quanto autem cognitam suam unitatem despicere peccatum est? et si infideles ab Apostolo inexcusabiles praedicantur, et insipientia mulctantur, eo quod *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*, *aut gratiam egerunt*, *sed evanuerunt in cogitationibus suis*, *et obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt* (*Rom.* I). Quanto a fortiori magis criminosi, et gravioribus digni sunt suppliciis christiani, qui per agnitionem Dei pleniorem, magis eum recognoscere, et glorificare debebant? Haec meditare, prope Deus est, tecum est, intus est. Intra te sedet, bonorum, malorumque tuorum observator, et prout a te tractatur, ita te ipse tractabit.

4. Operum relatio in Deum

Ex Sacris Scripturis

Aedificavit autem Noe altare Domino: et tollens de cunctis pecoribus, et volucribus mundis, obtulit olocausta super altare. *Gen.* VIII, 20.

Vocavit autem Angelus Domini Abraham secundo de coelo, dicens: Per memetipsum juravi, dicit Dominus: quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me: benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas coeli, et velut arenam, quae est in litore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum. Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae, quia obedisti voci meae. *Gen.* XXII, 15, et seqq.

Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas . . . propter retributionem. *Psal.* CXVIII, 112.

Revela Domino opera tua, et dirigentur cogitationes tuae. *Prov.* XVI, 3.

Et cognovi, quod non esset melius, nisi laetari, et facere bene in vita sua. *Eccles.* III, 12.

Dicite justo, quoniam bene, quoniam fructum adiventionum suarum comedet. *Isa.* III, 10.

Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est. *Matth.* V, 10.

Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite. *I Cor*, X, 31.

Omnia vestra in caritate fiant. *I Cor.* XVI, 14.

Carissimi, obsecro vos etc. abstinere vos a carnalibus desideriis . . . conversationem vestram inter gentes habentes, ut etc. . . ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum. *I Pet.* II, 11. et seqq.

Fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, et electionem faciatis. *II Pet.* I, 10.

Ex Ss. Patribus

Bonus opus fiat non timore sed amore, non formidine poenae sed dilectione justitiae, ipsa enim vera et summa libertas est. *Aug. sup. Joan.*

Quidam dicunt, quod est consilium, sed hoc non est verum: dicendum autem est, quod non est necessarium, quod omnia in Deum referantur actu, sed habitu. *Th. ad Cal.*

Tunc est vere opus bonum cum a caritate dirigatur agentis intentio, et tanquam ad locum suum rediens, rursus in caritate requiescit. *Aug. de Cath. rud.*

Juvenis hominem porrigentem manu eleemosynas pauperi, nec cogitantem de Deo, sed hominibus placere cupientem; is longam vestem habet, quae videri potest, interiorem lineam non habet. *Aug. ser. CXVII de Temp.*

Quodcumque opus inchoaveris primum invoca Dei nomen, et ne desinas gratias agere cum perfeceris illud. Quaere Dominum et invenies eum, nec dimittas cum tenueveris, ut copuletur mens tua in amore ejus. *Basil. in ep. ad fili. spir.*

Quidquid semper operor, tu patienter semper ades, utpote perpetuus inspector omnium cogitationum, intentionum, delectationum, et operationum mearum. *Aug. Solil.* cap. XIV.

Bonum et rectum est omne, quod agimus, si nec memoriam de-

cipiat oblivio, nec error intelligentiam, nec iniquitas voluntatem: ab his tribus est omne quod agimus. *Aug. sup. Joan.*

Valde laboriosum est custodire, ne mala homo facere audeat: ne in bonis actibus per intentionem titubet: et inter recta opera sinistra cogitatio illudat. *Greg.* lib. II *Moral.*

Quod non bona intentione facis non tibi proderit: quia quomodo feceris, non quomodo illi evenerit, tibi imputabitur. *Aug. sup. Matth. VI, Si lumen quod in te est.*

Omni cura servandus est a malitiae pulvere oculus cordis: ne hoc, quod in actione rectum hominibus ostendit, apud semetipsum per vitium elationis intorqueat. *Greg. Moral.* XXVIII.

Si semel cor intentione corrumpitur sequentis actionis medietas, et terminus ab hoste callido secure possidetur: quoniam totum arborem sibi fructus ferre conspicit, quam veneni dente in radice vulneravit. Summa cura vigilandum est, ne vel bonis operibus serviens mens reproba intentione polluatur. *Idem ibid.*

Multum interest agnoscere, quo animo, qua intentione bona facis, cum vitiosum sit fecisse sine recta intentione, sine scilicet relatione in Deum; facta autem, sive quod foris est cernunt homines, Deus autem intuetur cor. Haec relatio operum in Deum omnia bona continet, quia terminat in Deum et ad Deum, qui omnia continet. Dei Sacerdos fide illustratus, omneque bonum sperans in coelo, removet omnia obstacula, omnia scilicet vanas intentiones, quae possunt impedire assecutionem Dei, et diligenter, bona omnia dirigit ad Dei gloriam. Bonum quod in publico fit, quod lucis censuram non timet, et quod alios sui exemplo ad aemulationem accendet; sit bonum, praeclarum, illustre, et si non refers ad Dei gloriam nihil tibi prodest. Si igitur ad ostentationem, idest ad gloriam vanam tu bonum facis quid tibi prodest? Nam quemadmodum qui bene dirigit omnia opera in Deum, bonis omnibus cumulatur; sic qui hanc relationem obiicit, futuris omnibus spoliatur bonis. Forsitan et tu, multa opera facis: sed non ad Dei honorem et gloriam facis. Vide ergo ut omnia quae facis, firmes intentione. At tu forte contrarium attendis! Forte etiam quae Deo debes, ad tuum honorem torques. Vide ne sic agas in posterum.

5. Abusus rationis

Ex Sacris Scripturis

Ait Laban ad Jacob: stulte operatus es, etc. *Gen.* XXXI, 28.

Ait ad Moysen (*Aaron*): Obsecro, domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum, quod stulte commisimus. *Num.* XII, 11.

Hanani propheta regi Asa dixit: Stulte igitur egisti, et propter hoc ex praesenti tempore adversum te bella consurgent. *II Paral.* XVI, 19.

Et nunc reges intelligite: erudimini qui iudicatis terram. *Psal.* II, 10.

Si vere utique justitiam loquimini: recta judicate filii hominum. *Psal.* LVII, 1.

Intelligite, insipientes in populo: et stulti, aliquando sapite. *Psal.* XCIII, 8.

Qui autem possessor est mentis diligit animam suam, et custos prudentiae inveniet bona. *Prov.* XIX, 8.

Qui patiens est, multa gubernatur prudentia: qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam. *Prov.* XIV, 9.

Stulti principes Taneos, sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens. *Isa.* XIX, 11.

Non est audita (*disciplina*) in terra Chanaan, neque visa est in Theman. Filii quoque Agar, qui exquirunt prudentiam, quae de terra est, negotiatores Merrhae, et Theman, et fabulatores, et exquisitores prudentiae et intelligentiae, viam autem sapientiae nescierunt, neque commemorati sunt semitas ejus. *Baruch* III, 22, 23.

Et omnis, qui audit verba mea haec, et non facit ea, similis erit viro stulto qui aedificat domum suam super arenam, etc. *Matth.* VII, 26.

Quia cum (*Gentes*) cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, etc. *Rom.* I, 21, 22.

Ex Ss. Patribus

Nihil est magis, quo homo caeteris animantibus praestet, quam quod rationis est particeps; sed plerumque dum animus exagitatur, amittitur ratio. *Ambr.* lib. I *de offic.* cap. XXXI.

Ratione reges efficimur, si voluerimus absurdis imperare cupiditatibus; nam is regnat, qui talis est, et verius, quam qui diademate redemitus est. *Grys. hom. III in II Cor.*

Si appetitus rationi obediat, facile id, quod deceat in omnibus officiis conservari potest. *Idem ibid.*

Quomodo equi absque rectore praecipites ruunt, ita corpus sine ratione, et imperio animae in suum fertur interitum. *Hier.* lib. II *adv. Jov.*

Ipsis bestiis quodammodo bestialior est homo ratione vigens, et ratione non vivens. *Bern. ser. XXXVI in Cant.*

Pejus est comparari bestiis, quam pasci : nam naturaliter non habere rationem tollerabile est, sed rationis decoratione decoratur irrationabili naturae comparari voluntatis est crimen. *Grys. ser. de Ascens.*

Puer si non ordinat seipsum ad debitum finem, secundum quod in illa aeternitate est capax discretionis, peccat moraliter, non faciens quod in se est. *Th.* 1ª 2ªᵉ quaest. 89, art. 4.

Interpone tibi in omnibus rationem; praevaleat tibi ratio, tempera animum ratione, omnem vim reprimat ratio. *Isid. Hispal.* lib. I *de Synon.*

Et ideo quia deseruerant rationis auctorem, merito primi parentes intellectus perdidierunt libertatem. *Eus. Emiss. hom. XI de Pasch.*

Natura hominis est animal rationale. Animal est genus, per quod cum caeteris animantibus convenit; rationale vero est differentia essentialis, qua in sua natura constituitur, et a bestiis distinguitur, et Deum velut exemplar, cujus est imago, imitatur. Per hanc multum supra caetera animantia sublimatur, Deoque cujus imaginem defert, approximatur. Homines vero a naturali perfectione degenerantes non utuntur ratione, et cum in honore essent, non bene intellexerunt, et ideo comparati jumentis et bestiis terrae. Licet enim rationalitatem non amittant; rationabiliter tamen non operantur, et operando contra rationem, ad Deum non approximant, sed potius ab illo elongantur. Neque duntaxat abutentes ratione se a ratione deturbant, sed stulti et amentes efficiuntur; ut asseverat ipsemet Deus apud Jeremiam: *Quia stultus est populus meus* (*Jerem.* IV). Quod suo ore de semetipso fatetur Propheta : *Putruerunt et corruptae sunt cicatrices meae a facie insipientiae meae* (*Psal.* XXXVII). Ut in Verbo divino ratio est semper cum sapientia conjuncta; ita homo ratione destitutus sapientia laborat. In homine, intellige tandem, nihil ad rem pertinet quantum possideat, quantum sciat, a quam multos honoratur, salutetur, quam splendide luxurietur, quam magnifice epuletur, sed quam bene utatur ratione quod essentiam constituit

hominis. Homo dico, vere homo est, si ratio explicita et recta est, et ad naturae suae voluntatem accomodata. Frater, si rationalem cupis conservare perfectionem, attolle mentis oculos ad Deum, qui est Immutabilis ratio, creans mentes ad se percipiendum.

6. Missae Sacrificium

Ex Sacris Scripturis

At vero Melchisedech Rex Salem proferens panem et vinum erat enim Sacerdos Dei Altissimi benedixit ei, et ait: Benedictus Abram Deo excelso, qui creavit coelum et terram. *Gen.* XIV, 18,

Levavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres haerentem cornibus, quem assumens, obtulit holocaustum pro filio. *Gen.* XXII, 13.

Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus: juxta quem ritum tolletis, et hoedum. *Exod.* XII, 5.

Unum quoque arietem sumes, super cujus caput ponent Aaron et filii eius manus. *Exod.* XXIX, 15.

Masculum immaculatum offeret ad ostium tabernaculi testimonii, ad placandum sibi Dominum: ponetque manum super caput hostiae, et acceptabilis erit, atque in expiationem eius proficiens, *Levit.* I, 3, 4.

Tollet Sacerdos pugillum similae, quae conspersa est oleo, et totum thus, quod super similam positum est: adolebitque illud in altari, in monimentum odoris suavissimi Domino. *Levit.* VI, 15.

Vitulum pro peccato offeret (*Aaron*), et arietem in holocaustum. *Levit.* XVI, 7.

Respiciam vos, et crescere faciam: multiplicabimini, et firmabo pactum meum vobiscum. Comedetis vetustissima veterum, et vetera novis supervenientibus, projicietis. Ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abjiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, et ero Deus vester vosque eritis populus meus. *Levit.* XXIV, 9 et seqq.

Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum: et calix meus inebrians quam praeclarus est. *Psal.* XXII, 5.

Juravit Dominus et non poenitebit eum: Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. *Psal.* CIX, 4.

In die illa erit altare Domini in medio terrae Aegypti: et titulus Domini juxta terminum ejus. Erit in signum et in testimonium Domino exercituum in terra Aegypti. *Isa.* XIX, 19, 20.

Adducam eos in montem sanctum meum, et laetificabo eos in

domo orationis meae: holocausta eorum placebunt mihi super altari meo; quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis. *Isa.* LVI, 7.

Ecce dies venient, dicit Dominus: et feriam domui Israel et domui Juda foedus novum, etc. *Jerem.* XXX, 31.

Et auferent juge sacrificium; et dabunt abominationem in desolationem. *Dan.* XI, 31.

Quis est in vobis, qui claudat ostia, et incendat altare meum gratuito? non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus: et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum. *Malach.* I, 10 et seqq.

Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. *Matth.* XXVI, 28.

Et accepto pane (*Christus*), gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. *Luc.* XXII, 19.

Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? *I Cor.* X, 16.

Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Deus in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens, fregit, et dixit: accipite et manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem, etc. *I Cor.* XI, 23, 24.

Ex Ss. Patribus

Non sunt humanae virtutis haec opera. Qui tunc in illa coena confecit, ipse nunc quoque operatum, ipse perficit: ministrorum nos ordinem tenemus. *Ghrys. hom.* LXXXIII.

Adorate scabellum pedis eius. Per scabellum terra intelligitur, per terram caro Christi, quae hodie quoque in mysteriis adoratur, quam Apostoli in Jesu adoraverunt. *Ambr. lib. III de Spirit. Sanct.* cap. XXII.

Quanta puritate oportet custodire nostri corporis atque animae puritatem; quos necesse est quotidie sacrosancti agni carnibus vesci? *Cassian.* lib. VI, cap. VIII.

Intra catholicam Ecclesiam, in ministerium corporis et sanguinis Domini nihil a bono majus, nil a malo minus perficitur Sacerdoti: quia non in merito consecrantis, sed in verbo perficitur Crea-

toris, et virtute Spiritus Sancti. Si enim in merito esset Sacerdotis, nequaquam ad Christum pertineret. Nunc autem sicut Christus ipse est, qui baptizat ita ipse est; qui per Spiritum Sanctum efficit carnem, et transfundit in Sanguinem. *Aug. in lib. de Corp. Christ.*

Ejus ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salutem partitur, ejus sanguis non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium ibi funditur; hinc ergo pensemus quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem Unigeniti Filii Dei semper imitatur. *Greg.* lib. IV, *Dial.* cap. LVIII.

Quis fidelium habere dubium possit in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem Coelos aperire, in illo Jesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena coelestibus jungi, unumque ex invisibilibus, et visibilibus fieri? sed necesse est, ut cum haec agimus, nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus; quia qui passionis Dominicae mysteria celebramus, debemus imitari, quod agimus: tunc ergo vere pro nobis hostia erit Deo, cum nos ipsos hostiam fecerimus. *Greg. lib. IV, Dial.* LVIII.

Optaret Sacrosancta Synodus (*Tridentina*) ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent; quoad eos sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret. *Sess.* 22, cap. VI.

Nullus profecto valet humano explicare eloquio, quam locuples fructus, quantave vis ex hujus oblatione, ac perceptione Sacramenti spiritualia acquiruntur dona; reconciliatur quippe peccator Deo, justus autem justificatur adhuc, laetificantur Angeli, cumulantur merita, facinora remittuntur, augentur virtutes, resecantur vitia, diaboli machinamenta superantur, sanantur aegri, eriguntur lassi, debiles refocillantur, famelici saturantur, et defuncti fideles istius Sacramenti liberantur effectu. *Laur. Justin. I de obed.*

Immolavit victimas suas (*Prov.* IX). Id est, seipsum: sed pluraliter dicit victimas, quia haec una victima Christus, per multas hostias in lege figurata: illa creat umbra, haec fecit veritas illarum umbrarum. *Hugo Carens. in Psal.* XXII.

Duplex sacrificium obtulit Christus: Cruentum unum, in quo tamquam ovis ad victimam ductus est, et velut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum. Incruentum aliud, in quo corpus, et sanguinem suum sub speciebus panis, et vini obtulit ante suam passionem, dum augustissimum instituit Altaris mysterium. De hoc incruento altaris sacrificio, nomen Dei glori-

ficatum est ab ortu solis usque ad occasum, quia ubique annuntiatum, et agnitum fuit; in omni loco illi sacrificium offertur, quia nulla est natio, apud quam non sit alias oblatum, vel nunc offeratur, vel offerendum sit sacrosanctum Altaris sacrificium: ideoque dicitur juge sacrificium; quia uti refertur in Sacris Scripturis, semel immolatus est Christus in semetipso, et tamen quotidie immolatur in Sacramento. Hoc sacrificium requirit ut cum puritate mentis, id est cum recta intentione debeas offerre. Tunc autem intentio tua erit pura, et recta, quando conformis erit fini ob quem institutum hoc sacrificium fuit. Ob quadruplicem finem autem institutum fuit hoc sacrificium; scilicet Latreuticum, cedens in Dei honorem; Eucharisticum seu in gratiarum actionem, Deum benedicens pro beneficiis acceptis; Impetratorium, Deo offerens humilem deprecationem; Propitiatorium, ad placandam Dei justitiam et indignationem. Haec autem Sacerdotis intentio necessaria est in celebrando sacrosanctae Missae sacrificio. Meditatus es haec ne aliquando? Admirare Dei sapientiam, quae invenit novum modum se nobis communicandi. Obstupesce, et lauda omnipotentiam, quae uno momento, solo verbo illa omnia sub speciebus panis et vini ponit. Agnosce infinitum amorem, quo hoc facit. Quid retribues Domino?

7. Jejunium

Ex Sacris Scripturis

Dicitur de Moyse, quod fuit ibi cum Domino quadraginta dies, et quadraginta noctes: panem non comedit, et aquam non bibit, et scripsit in tabulis foederis decem. *Exod.* XXXIV, 28.

Quando ascendi in montem (*ait Moyses*) ut acciperem tabulas lapideas, tabulas pacti, quod pepigit vobiscum Dominus: et perseveravi in monte quadraginta diebus ac noctibus, panem non comedens, et aquam non bibens. . . . Et procidi ante Dominum sicut prius, quadraginta diebus et noctibus panem non comedens, et aquam non bibens, propter omnia peccata vestra quae gessistis contra Dominum, et eum ad iracundiam provocastis. *Deut.* IX, 9, 18.

Et convenerunt (*Israelitae*) in Maspliath: hauseruntque aquam, et effunderunt in conspectu Domini, et jejunaverunt in die illa, atque dixerunt ibi: Peccavimus Domino. *I Reg.* VII, 6.

Et clamavit omnis populus ad Dominum instantia magna, et humiliaverunt animas suas in jejuniis, et orationibus, ipsi et mulieres eorum. *Judith.* IV, 8.

Josaphat autem timore perterritus, totum se contulit ad rogandum Dominum, et praedicavit jejunium universo Juda. *II Paral.* XX, 3.

Bona est oratio cum jejunio, et eleemosina, magis quam thesauros auri recondere. *Tob.* XII, 8.

Nunc ergo dicit Dominus: Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu. *Joel.* II, 12.

Cum autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritae tristes: exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. *Matth.* VI, 16.

Ministrantibus autem illis Domino, et jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum et Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos. *Actor.* XIII, 2, 3.

Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus . . . in carceribus . . . in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, etc. *II Cor.* VI, 4.

In labore (*fuit Paulus*) et aerumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore, et nuditate. *II Cor.* XI, 27.

Ex Ss. Patribus

Jejunium mors culpae, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiae, fundamentum est castitatis: hoc gradu ad eum citius pervenitur: hoc gradu ante quam currum Elias ascendit. *Ambr. de Elias et jejun.*

Jejunium est vehiculum ad Coelum; jejunium Prophetas suscitat, legislatores sapientiam docet; jejunium bona animae custodia, et securus corporis cohabitator; jejunium strenuis militibus telum, atletisque exercitium; jejunium tentationes retundit, ad pietatem inungit; jejunium ignis virtutem extinxit, ora leonum obturavit, orationes in Coelum dirigit; jejunium mater est sanctitatis, juventutis disciplina, ornamentum senibus. *S. Eph. de jejun.* cap. IX.

Jejunium morbos sanat, daemones fugat, malasque cogitationes repellit, et mentem reddit nitidiorem, et cor purgatius et corpus salubrius. *Ath. de Virg.*

Jejunium magnum et generale est abstinere ab iniquitatibus et illicitis voluptatibus saeculi, quod est perfectum jejunium. *Aug. sup. Joan.*

Ardentes Diaboli sagittae jejunorum et vigiliarum frigore restringuende sunt. *Hier. ad Dem.*

Cave ne utilitatem jejunii solum escorum abstinentia metiaris; verum enim jejunium est ab omnibus vitiis esse alienum. *Bas. hom. de jej.*

Jejunet gula, jejunet oculus, jejunet lingua, jejunet manus. je-

junet etiam anima ipsa; jejunet oculus a curiosis aspectibus, et omni postulantia, ut bene humiliatus coerceatur in poenitentia, qui male liber vagabatur in culpa: jejunet auris nequiter pruriens a fabulis, et rumoribus, et quaecumque otiosa sunt, et ad salutem minime pertinentia; jejunet lingua a detractione, et murmuratione, ab inutilibus, vanis atque scurrilibus verbis; jejunet manus ab otiosis signis, et ab operibus quaecumque non sunt imperata; sed multo magis anima ipsa jejunet a vitiis, et propria voluntate sua. *Ber. serm. III quad.*

Generale jejunium non est a concupiscentia tantum, sed ab omni laetitia temporalium delectationum. *Aug.* lib. 2, q. 18.

Jejunantibus nobis diabolus esurit, qui nostris semper saturatur ex culpis, ille cibum nostrum deducit in crapulam, potum nostrum in ebrietate effundit, ut mentem faciat amentem, carnem luteam reddit, corpus animi domicilium, animae vas, murum spiritus, virtutum scholam, Dei templum, in scenam criminum, in vitiorum pompam, voluptatum redigit in theatrum. *Petr. Chrysol. ser.* XII.

Cum jejunatis daemonum vincitis, omnemque illius classem malignam retrorsum convertitis. *Orig. hom. IV de divers.*

Ille quadragesimam facit, qui jejunando et vigilando ascendit ad pascha: nam sicut reliquo anno jejunare proemium est, ita in quadragesima non jejunare peccatum est. Illa enim voluntaria sunt jejunia, et ista necessaria: illa de arbitrio veniunt, ista de lege: ad illa invitamur, ad ista compellimum. *Ambr. in ser. de Quadrag.*

Per jejunium homo inexpugnabilis diabolo, et intransgressibilis efficitur inimico. *Chrysol. ser. II de jejun.*

Propter quod charissimi si diabolum volumus superare cum Christo, ab esca quidem vel potu pro viribus temperemus: a vitiis totis viribus jejunemus. *Maxim. hom. IV de jejun.*

Christus tentari se a diabolo non permisit, antequam quadraginta diebus et quadraginta noctibus jejunarit, quasi non haberet parem ad confligendum cum daemone fortitudinem, qui jejunii virtute non firmaretur. Christus per jejunium de daemone triumphavit, et nos nisi inedia inuncti, abstinentia loricati, jejunio armati nullo negotio de daemone triumphabimus. Cum enim jejunamus daemonem vincimus, omnemque illius classem malignam retrorsum convertimus. Quapropter si diabolum volumus superare cum Christo, ab esca quidem vel potu pro viribus temperemus, et a vitiis totis viribus jejunemus. Veterem Adam gula debilitatum prostravit daemon, a novo Adamo jejunio roborato dejectus est. Vides protopa-

rentem gula, diabolo infirmiorem, Christum e contra fame et jejunio diabolo fortiorem. Ingluviae etiam hominum roboratur daemon,eorum abstinentia debilitatur. Tumulentum enim solet aggredi diabolus: ubi autem jejunantem viderit, fugit, pertimescit, terretur pallore ejus, debilitatur inedia, infirmitate prosternitur, quia christiani infirmitas per jejunium fortitudo est. Et sicut piscis natat in mari et moritur in sicco, sic diabolus delectatur in aquis delitiarum , et moritur in sicco abstinentiae. Et sicut fames expellit lupum a nemore, sic jejunium expellit diabolum a corde. Scito et certo scito verissimum esse quod Christus ait: *Hoc genus daemoniorum in nullo potes exire*, *nisi in oratione et jejunio* (*Marc.* IX). Hinc magnum non est si jejunas cum Christo qui sessurus es ad mensam Patris cum Christo in Coelo. In illam penetrare opus est ut macilentus sis et extenuatus, ideoque in continua abstinentia vitam degas.

8. Oratio Christi in horto

Ex Sacris Scripturis

Deus noster,.... In nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere, quae irruit super nos. Sed cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. *II Paral.* XX, 12.

Clamo ad te, et non exaudies me: sto, et non respicis me. Mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuae adversaris mihi. *Job* XXX, 20.

Deus, Deus meus respice in me: quare me dereliquisti? longe a salute mea verba delictorum meorum. *Psal.* XXI, 1.

Ne discesseris a me: quoniam tribulatio proxima est: quoniam non est qui adjuvet. Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me. *Psal.* XXI, 11. 12.

Circumdederunt me mala quorum non est numerus. *Psal.* XXXIX, 12.

In die tribulationis meae Deum exquisivi . . . et non sum deceptus. *Psal.* LXXVI, 2.

Repleta est malis anima mea. *Psal.* LXXXVII, 3.

Expandi manus meas ad te; anima mea sicut terra sine aqua tibi. *Psal.* CXLII, 6.

Languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit: et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum . . . Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. *Isa.* LIII, 4, 6.

Et progressus pusillum, procidit in faciem suam orans, et dicens: Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. *Matth.* XXVI, 39.

Et dixit: Abba, Pater, omnia tibi possibilia sunt: transfer calicem hunc a me, sed non quod ego volo, sed quod tu. *Mar.*XIV,36.

Exivit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei. Et cum dies factus esset, vocavit discipulos. *Luc.* VI, 12.

Factus in agonia prolixius orabat. *Luc.* XXII, 43.

Preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido, et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. *Hebr.* V, 7.

Ex Ss. Patribus

Doluit, et supra modum doluit; adeo ut morti fieret proximus. Sic enim ait: Tristis est anima mea usque ad mortem. *Laur. Justin. de triumph. Christ. agon.* cap. VI.

Dominus nostro pavere trepidat, ut susceptionem nostrae infirmitatis indueret; et nostram inconstantiam suae virtutis soliditate vestiret. . . Ego de tuo fui trepidus, tu de meo es securus. *Leo Pap. Ser. I de Pass.*

Tristis est anima mea usque ad mortem. Dominator Domine Jesu Christe, unde animae tuae haec vehemens tristitia? Arbitramur, quod et hoc quoque ad consolationem infirmorum membrorum tuorum assumpsit, ne forte desperet quis, si caro infirma remurmuret, unde ad passionem promptus est spiritus. *Ans. de Pass. Dom.* cap. VII.

Dominus solicite orabat, et ad orationem discipulos solicitabat, ut doceret solicite orandum propter imminentia pericula. *Dionys. Cartus. in cap. XXII Luc.*

Transferri a se calicem postulat, non quidem timore patiendi, sed misericordia prioris populi, ne ab illo bibat calicem propinatum. Unde et signanter non dicit: Transfer a me calicem, sed calicem istum, hoc est populi judaeorum; quia excusationem ignorantiae habere non possunt qui me quotidie vaticinantur. *Beda in cap. XIV Marc.*

Disce exemplo pii Jesu patientiam habere, si non statim exaudiris. Ipse enim tribus oravit vicibus, antequam consolationem, et responsionem a Patre reciperet. *Bonav. medit. de Pass.*

Dixit Abba formam orationis exprimendo. Abba in hebraeo idem est quod Pater. Patrem autem nominat, quia pietatis nomen est, et in nomine pietatis, et dulcescit oratio, et fiducia datur impetrandi. *Albert. Magn. in cap. XV Marc.*

Ut ostenderet, se veram naturam humanam suscepisse cum omnibus naturalibus affectibus, et instruet, quod proprium affectum debet homo divinae voluntati subiicere. *Aug. in Psal.* XXX.

Pulchre in hortu voluit Adam secundus obediens inveniri, quia videlicet primus Adam in horto, scilicet in Paradiso, quod interpretatur hortus, inobediens inventus: imo a serpente circumventus est. *Rup. Ab. lib. XIII in Joan.* cap. XVIII.

Voluntas tua corrigatur ad voluntatem Dei; non voluntas Dei detorqueatur ad tuam, prava est enim tua; regula est illa, stet regula, ut quod pravum a regula corrigatur. *Aug. in psal.* XXXI.

Oravit ut daret nobis exemplum, ut in tribulatione recurremus ad Dominum. *Thom. in cap. XXVI, Matth.*

Impecillitatem ostendit naturae humanae, quae avelli a presenti vita nolebat, idcirco refugit, et deprecatur ut homo. *Gris. in Matth.*

Pater si possibile est etct. Prima petitio infirmitatis est, secunda virtutis, illud optavit ex nostro, hoc elegit in proprio *Ger. serm. V de Pass.*

Reminiscens propter quod missus est, clamat: non quod ego volo sed quod tu. *Beda in cap. IV. Joan.*

Quasi homo mortem recusans, quasi Deus sententiam suam servans. *Amb. in Luc.* XXII.

Vox carnis est, non spiritus: vox infirmitatis, non divinitatis ex eo quod suscepit vocem hominis, vocem carnis emisit, *non quod ego volo, sed quod tu. Aug. ser. CCCIV, de tem.*

Quid enim te pro salute tua facere oportet, quando pro te Christus in oratione pernoctat. Quid te facere convenit, cum vis aliquod officium pietatis adoriri, quando Christus missurus apostolis oravit prius, et solus oravit. *Ambros. lib. V in Luc.*

Disce Deo esse subiectus, et non quod ipse vis, eligas, sed quod Deo scis esse placiturum. *Amb. in Luc.*

Genuflectus orando sentiens, non esse superbiendum orationis tempore, sed per omnia humilitati conformandum; quia Deus superbis resistit, dat autem humilibus gratiam. *Greg. Nyssaen. in cap. VI Joan.*

Quid agis, o elate? numquid tu Chisto fortior, aut Salvatore constantior? ille in agone constitutus ad orationem reclinavit, tu absque implorationis] medicamine tribulationis vulnera perferre praesumis? *Laur. Just. de ag. Chr. cap. VI.*

Christus est Deus et homo, itaque idem Deus, et idem homo: in natura Dei aequalis Patri; in natura hominis factus mortalis in nobis, et pro nobis. Si Christus enim fuisset duntaxat Deus,

et non homo, neque mori, neque pati potuisset: quia immortalitas, et impassibilitas Deo essentialiter competunt: et quia simul est Deus, et homo, passus est tormenta in natura hominis, quae in natura Dei tolerare non poterat. Unde acute Augustinus: *In sua natura pati nihil poterat, quia Deus erat Verbum; ut autem pati pro nobis posset, Verbum caro factum est.* (*Aug.* lib. I *cont. Manich.* X). Hinc timere, nec tristari potuisset quia vere beatus erat, nisi his affectibus licentiam dedisset animam occupandi uti homo. Attamen petivit ut homo, ex desiderio citius cónsummandae passionis, uti S. Catharinae Senensi est revelatum. Sed si petivit, ut homo liberari a morte, inefficaciter petivit, et nunc corrigit naturalem voluntatem, per voluntatem rationalem, se Divinae subiicientem. Existima ergo et tu illud calicem tibi a Christo propinari. Dic fidenter: *Calicem salutaris accipiam.* Et quia licet spiritus promptus sit, caro autem infirma est, adde: *Et nomen Domini invocabo* (*Psal.* CXV). Sed obstupesce! Christus ut patiatur, miracula adhibet. O amor! o patiendi desiderium! At quibus hunc suum moerorem aperit? iisdem, quos socios habuit in transfiguratione. Disce hinc, quod, quibus Deus solatia spiritualia concedit, eos praeparat ad magnos dolores. Disce non tantum esse cum Christo in monte Thabor, sed etiam in monte Oliveti. Et redemptorem tuum, regemque coelorum orantem, paventem, agonizantem, sanguine sudantem, mentis oculo contemplamini, non tamen sine profluvio lagrymarum.

9. Animae praetium

Ex Sacris Scripturis

Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. *Gen.* I, 26.

Fili in mansuetudine serva animam tuam, et da illi honorem secundum meritum suum. Peccantem in animam suam quis iustificabit? Et, quis honorificabit exhonorantem animam suam? *Eccles.* X. 31. 32.

Nolite timore cos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. *Matth.* X, 28.

Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? *Matth.* XVI, 25, 26.

Quid enim proderit homini, si lucretur mundum totum, et de-

trimentum animae suae faciat? aut quid dabit homo commutationis pro anima sua? *Marc.* VIII, 36.

Emti enim estis praetio magno. Glorificate et portate Deum in corpore vestro. *I Cor.* VI, 20.

Pretio emti estis, nolitae fieri servi hominum. *I Cor.* VII, 23.

Scientes, quod non corruptibilibus auro, vel argento redemti estis, de vana vestra conversatione. *I Petr.* I, 18.

Ex Ss. Patribus

Omnia, Domine, sub pedibus hominum subiecisti, ut solus homo super omnia tua constitutus, tuus esset totus. Exteriora nempe pro corpore cuncta creasti, ipsum vero corpus pro anima, animam vero pró te, ut tibi soli vacaret, et te solum amaret: possidens te ad solatium, inferiora vero ad servitium. Quidquid enim coeli ambitu continetur, inferius anima humana est, quae facta est ut summum bonum superius possideret, cuius possessione beata fieret. *Aug. Solit.* cap. XX.

Vis ut animae tuae caro tua serviat? Deo serviat anima tua: debes regi, ut possis regere. *Aug. ser. de verb. Dom.*

Quanto labore, et quam ferventi amore quaesivit animam amorosus Jesus: Virginis uterum vix egressus est, et dilectam animam more infantium vocat A, A, A, idest anima mea, anima, anima te quaero. *Bern. serm.* LXI.

Non custoditur magna diligentia a sapientibus res, quae vilis est, sed pretiosa; in hoc profecto patet, quam pretiosa sit anima justorum, quando solus Dominus illius vult esse custos. Custodit Dominus animas sanctorum. *Ber. de dign. an.*

Quid majus tibi facere potuit, quam ut ad similitudinem suam te conderet factor tuus? Attende igitur diligenter primae conditionis tuae excellentiam, et venerande Trinitatis imaginem in te ipsum agnosce. *Ber. ser. XXVII de int. dom.*

Vis scire quantum sit pretium animarum nostrarum? Redempturus eas Unigenitus non mundum dedit, non hominem, non terram, non mare, sed suum pretiosum sanguinem: quocirca dicebat Paulus. *Emti estis praetio magno. Gris. hom. in Psal.* XLVIII.

Custodi interiorem hominem tuum, noli eum quasi vilem negligere ac fastidire, quia pretiosa possessio est, et merito pretiosa, cuius fructus non caducus, et temporalis, sed stabilis est. *Amb. lib. I off.* cap. III.

Creata est anima a Deo vita a vita, simplex a simplici, immortalis ab immortali, magna a magno, recta a recto; eo magna, quo

capax aeternorum, eo recta quo appetens supernorum, et beata, quia Deo unita. *Aug. de Spir. et anim.*

Reus erit non parvi pretii, sed sanguinis Christi, qui violat et maculat animam Christi sanguine, et passione mundatam. *Aug. ser. I, post. Dom. Pal.*

Redempta est vita tua de corruptione, iam securus esto, initus est bonae fidei contractus: nemo fallat redemptionem tuam, nemo circumvenit, nemo premit, egit hic commercium, iam pretium solvit, sanguinem fudit, sanguinem inquam fudit unius Filius Dei pro nobis: o anima erige te, tanti vales! *Aug. in Psal.* CII.

Non ergo nobis viles sumus, qui tam praetiosi Deo fuimus; nihil ille a nobis obiectum, nihil mediocre suscepit: vult consentire cum generositate pretii, dignitatem redempti: tale conversationis nostrae expectas meritum quod sanguinis sui possit valere commercium. *Eus. Emiss. Hom. IV de Simb.*

O homo quid miraris syderum altitudinem, et profunditatem maris? animi tui abyssum intra, et mirare si potes. *Isid. lib. I de sum. bono.*

Tanti valet hominis anima, quanti sanguis unici Filii Dei, quo emta est: quin et nisi pretioso sanguine unici Filii Dei, aut Dei theandricis meritis, hominis anima digne redimi non potuit. Homo qui in Dei censu tanti valet, quanti sanguis Christi,ut apud Deum aestimatur, sanctam debet ducere vitam: etenim ad virtutem valde expedit, ut homo serio admoneatur dignitatis suae: ut saltem de censu, quo a Deo aestimatur pretium suum taxet: ut nihil tantae nobilitatis indignum agat. O homo a Domino aestimationem taxa, et te aeque aestimabis. Nonnisi magnum est, quod magnum a Deo emitur magno pretio: ne sis tibi sordide vilis,qui pretiosus Deo fuisti. Nihil modicum, nihil mediocre sufficit ei, qui ut te amaret, summum,et totum pro te redimendo donavit. Si ergo tam nobilis cur ad indigna declinas? si tam pretiosa anima tua, cur mancipium corporis tui? Sed quot sunt, qui ultro decipiuntur a diabolo, eiusque tyrannidi mancipantur: qui ei vendunt animam suam, non pro toto mundo, sed pro uno nummo aureo; non pro omni gloria mundi, sed pro umbra honoris: non pro deliciis aliquo tempore permansuris, sed pro momentanea voluptate; cum pro unius hominis anima universus mundus sufficiens pretium non sit; cuncta fortunae bona unam nequeunt animam aestimatione et valore adaequare! O, homo, ne in tam nefandum incidas injustitiae et iniquitatis barathrum! Respice altiorem dignitatem ad quam Deo fruendo tendis. Si animam negligas, nec cor-

pus salvare poteris. Non enim anima pro corpore, sed corpus pro anima factum est. Quid ergo quod primum est colis, et quod inferius extollis? Si vero ordinem servas, et quod primum colis, etiam si negligas, quod secundum, per salutem primae salvabis et secundum. Sic age, tuis meritis te Deo dignum redde apud eum, qui te dignum censuit pretioso sanguinis sui commercio, quo aeternam assequaris felicitatem.

10. Mansuetudo

Ex Sacris Scripturis

Mansueti autem hereditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis. *Psal.* XXXVI, 11.

Responsio mollis frangit iram: sermo durus suscitat furorem. *Prov.* XV, 1.

Qui sapiens est corde, appellabitur prudens: et qui dulcis eloquio, majora percipiet. *Prov.* XVI, 21.

Patientia lenietur princeps, et lingua mollis confringet duritiam. *Prov.* XXV, 15.

Fili in mansuetudine opera tua perfice, et super hominum gloriam diligeris. *Eccli.* III, 19.

Fili in mansuetudine serva animam tuam, et da illi honorem secundum meritum suum. *Eccli.* X, 31.

In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum, et elegit eum ex omni corde. *Eccli.* XLV, 4.

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. *Matth.* V, 4.

Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris. *Matth.* XI, 29.

Fructus autem Spiritus est: caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Adversus hujusmodi non est lex. *Gal.* V, 22, 23.

Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate, et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in caritate etc. *Ephes.* IV, 1, 2.

Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem etc. *Coloss.* III, 12, 13.

Admone illos . . . neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. *Tit.* III, 1, 2.

David non cecidit, quia carus fuit omnibus, et diligi a subditis, quam timeri maluit. *Ambr. lib. II de Offic.*

Mites sunt, qui cedunt improbitatibus, et non resistunt in malo, sed vincunt in bono malum. *Aug. de ser. Dom. in mont.*

Nihil mansuetudine violentius: nam sicut rogum valde accensum aqua iniecta restinguit, ita et animum magis aestuantem verbum cum mansuetudine prolatum extinguit. *Gris. hom. LVIII in Gen.*

Mansuetus homo cordis est medicus. *Amb. ad Vercellen.*

Beatus qui severitatem et mansuetudinem tenet, ut altero disciplina servetur, altero innocentia non opprimatur. *Amb. sup. Luc.* lib. V.

Mansuetudo est adjutrix obedientiae, dux religiosae societatis, furentium fraenum, irascentium expultrix, magistra gaudii, imitatrix Christi, caelitum proprietas, vinculum, et nodus daemonum, scutus adversus amaritudinem, seu animi acerbitatem; in cordibus mansuetorum requiescet Dominus; anima autem turbolenta nidus est diaboli; mites haereditabunt terram, furiosi autem exterminabuntur a terris suis. *Clim. G. 24.*

Hebraeorum tradit historia, Moysen eximiae mansuetudinis merito, divina amicitia et familiaritate dignatum. . . Erat enim Moyses mansuetus valde, atque ideo Dei famulus dicitur, digniorque Prophetis omnibus; cui Deus visionis suae gratiam largiretur. . . Noverat enim oportere eum, qui Deo bono familiariter jungitur quam maxime conari ei pro viribus simillimum fieri. *Dyonis. ad Dem.*

Mansuetudo, et humilitas sunt pietatis fundamenta. . . Mansuetudo, suavitas cordis, et aequalitas animi sunt virtutes castitate praestantiores. *S. Franc. Sales Direct. Relig.* l. XXXI.

Sunt quidam mites, sed quamdiu nihil dicitur, vel agitur, nisi pro eorum arbitrio: patebit autem, quam longe sint a vera mansuetudine, si levius oriatur occasio. *Bern. sup. Cant.*

Magna est virtus, si non laedas a quo laesus es: magna est fortitudo, si etiam laesus remittas. Magna est gloria, si cui potuisti nocere, parcas. *Isid. in solil.* lib. II.

Mansueti laetentur; non dixit, lege docti, non jejunantes, non psallentes, sed mansueti laetentur qui caritate praecipua habere omnium bonorum temperantiam consuerunt. *Cass. sup. Psal.* XXXIII.

Beati mites a Domino praedicantur. Nec immerito, nam ubi re-

quiescit Dominus nisi in cordibus mansuetorum? anima enim turbolenta nidus est diaboli. Mites, optimo jure, dixit Christus haereditabunt terram, vel potius dominabuntur terris. Quantumvis aliquando afficiaris iniuriis, lacessaris opprobriis, nunquam tamen a mansuetudine et tranquillitate recedas. Neque per prospera, neque per adversa debes omittere hanc mansuetudinem; quia mitis semper est pacatus, tranquillus, imperturbatus, et quasi impatibilis. Animus mansuetus non turbatur potestatis impatientia, nec bonorum potentia superbe tumescit: iniuriis non lacessitur, offensis non laeditur, neque tangitur ignominiis. *Discite a me*, dixit Dominus, *quia mitis sum* (*Matth.* XI). Mitis fuit Christus, et mansuetus toto tempore vitae suae; et tam verbo, quam exemplo discipulos suos docuit, mansuetudinem, pacem, et unitatem. Quaere hanc in te ipso. Deus, est Deus pacis et mansuetudinis, et non dissensionis. Quo magis accedis ad hanc similitudinem tanto magis tene te esse filium Dei. Multi putant esse mansuetos, et reapse ignorant quid sit mansuetudo. Sciendum enim est quod quaedam mansuetudo est a natura, et secundum hanc homo dicitur animal mansuetum a natura. Quaedam a gratia, quae est quaedam virtus infusa, unde: *mansuetis autem dabit gratiam*, dicitur in Proverbiis (*Prov.* III). Quaedam ab humana industria, sive in longa experientia, sicut animalia domestica, dicimus mansueta, idest manu assueta. Si vis mansuetum esse,Christi, mansuetudine indue te, qui habuit totam hanc multiplicem mansuetudinem. Fuit enim Christus mansuetus a natura divina, quia Deus propria natura est mansuetus et pius. *Tu autem Domine suavis et mitis*: (*Psal.* LXXXV). Et a natura humana, qui a mansueto patre scilicet David natus est. *Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus* (*Psal.* CXXXI). Fuit mansuetus a gratia. Spiritus enim Sanctus adeo eum unxit, quod eum mansuetum totaliter fecit. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me ad annuntiandum* etc. (*Isa.* LXI). Tertio factus est mansuetus a magna experientia, quia longo tempore nostras infirmitates est expertus, et ideo factus est valde mansuetus, unde dicitur in Scripturis: *Quaerite iustum, quaerite mansuetum* (*Soph.* II). At tu qui legis, fac ut tali polleas mansuetudine, et bene tibi erit.

11. Otium

Ex Sacris Scripturis

Vade ad formicam, o piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam. *Prov.* VI, 6.

Qui congregat in messe, filius sapiens est: qui autem stertit aestate, filius confusionis. *Prov.* X, 5.

Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium divitias parat. . . . Sicut acetum dentibus, et fumus oculis, sic piger his qui miserunt eum. *Prov.* X, 4, 26.

Qui operatur terram suam, saturabitur panibus: qui autem sectatur otium stultissimus est. *Prov.* XII, 11.

Propter frigus piger arare noluit: mendicabitur ergo aestate, et non dabitur illi. *Prov.* XX, 4.

Consideravit (*mulier fortis*) semitas domus suae, et panem otiosa non comedit. *Prov.* XXXI, 27.

Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua, etc. *Eccles.* II, 6.

Multam enim malitiam docuit otiositas. *Eccli.* XXXIII, 29.

Ecce haec fuit iniquitas Sodomae . . . superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius, et filiorum ejus. *Ezech.* XVI, 49.

Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. *Matth.* III, 10.

Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici. *Matth.* XIII, 25.

Circa undecimam (*horam*) vero exiit, et invenit alios stantes, et dicit illis: Quid hic statis tota die otiosi? *Matth.* XX, 6.

Et inutilem servum eiicite in tenebras exteriores: illic erit fletus, et stridor dentium. *Matth.* XXV, 30.

Dixit autem ad cultorem vineae: Ecce anni tres sunt, ex quo venio quaerens fructum in ficulnea hac, et non invenio: succide ergo illam: ut quid etiam terram occupat? *Luc.* XIII, 7.

Nolite locum dare diabolo: qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est. *Ephes.* IV, 27, 28.

Si quis non vult operari, non manducet. *II Thess.* III, 10.

Rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis, et operam detis, ut quieti sitis, et ut vestrum negotium agatis, et operamini manibus vestris, sicut praecepimus vobis, etc. *I Thess.* IV, 10, 11.

Discant autem et nostri bonis operibus praeesse ad usus necessarios, ut non sint infructuosi. *Tit.* III, 14.

Ex Ss. Patribus

Semper facito aliquid operis, ut semper te diabolus inveniat occupatum, vel fixillam texe juneo, vel canistrum plecte viminibus, farriatur humus, areolae aequo limiti dividantur . . . Apum fabri-

care alvearia, ad quas te mittunt Salomonis proverbia, ac regiam disciplinam in parvis disce corporibus. *Hier. ep. ad Rust.*

Otiositatem sicut rem inimicam animarum vestrarum a vobis excludite, et unusquisque consideret, quia de singulis momentis vitae nostrae reddituri sumus Deo rationem. *Ansel. ep. VI ad Cost.*

Audivit semel Antonius: Antoni, cupis Deo placere? semper aliquid facito; ora, et dum orare non poteris, manibus labora. *Aug. ser. XVII ad Fratr. in Erem.*

Nullus fructus otii, imo magis dispendium. Otiosus Esau amisit primatus benedictionem, quia maluit victum accipere quam quaerere. *Aug. in ep. ad Ver.*

Otiositas est, quae virum fortem fortissime praecipitat in reatum, facit ei suffocare virtutem, et viam construere ad gehennam. *Ber. in ser. III.*

Nihil in sancto proposito, otius deterius est; quod non solummodo non acquirit nova sed etiam peracta consumit: sanctae vitae ratio processu gaudet et crescit, cessatione torpescit et deficit: quotidianis ac recentibus virtutum incrementis instauranda mens est, et vivendi hoc iter non de transacto sed de reliquo metiendum. *Hier. ad Demetr.*

Mens otiosa nihil aliud cogitare novit, quam de escis, aut de ventre. *Leo Pap. ser.* VIII.

Natura quidem humana sicut duris laboribus instruitur, ita per otio torpentia fatuatur. *Joan. Cass. ep.* XII.

Aliquid operis facito, ut de diabolus inveniat occupatum; non enim facile capitur a diabolo qui bono vacat exercitio. *Hier. ser.* XIX.

Non dormientibus provenit regnum coelorum, nec otio et desidia torpentibus beatitudo aeternitatis ingeritur. *Prosp. de vit. contemp.*

Otium parit fastidium, exercitium famem: fames autem miro modo dulcia reddit, quae fastidium facit insipida. *Hier. in ep. ad Demet.*

Nunquam obliviscamur negotium animarum nostrarum, illud enim principaliter vigeat in cordibus nostris. *Ber. ser. V in Vig. Nat.*

Sed nobis quidem vae, si excesserimus in aliquo disciplinae jugum, si torpuerimus in operibus sanctitatis, et justitiae. *Tert. lib. adv. Valent.* XXX.

Quod est fraenum equo, id est opus, actioque naturae nostrae. *Chrys.* lib. I *de divers.*

Habeto lanam semper in manibus, vel staminis pollice fila ducito, vel ad torquenda sub tegmina in alveolis fusi versentur. *Hier. ad Demetriad.*

Senex currit, sacra accelerat, puer festinat, nullus piger invenitur in domo. *Orig. hom. in cap. XVIII Gen.*

Deus qui nobis vires idoneas ad laborandum suppeditavit, in die judicii parem quoque industriam reposcet. *Basil. hom. XIV in Joan.*

Arbores si non vegetant, et producunt fructus, moriantur necesse est: animalia, quae nequeunt se movere ab intrinseco, vita sunt destituta. Hoc posito homo duplicem importat respectum. Unus est ad Deum, cujus est imago: alter ad creaturas materiales, quarum est dominus, et sub hoc duplici respectu urgetur ad operandum. Postquam Deus Adamum ad imaginem, et similitudinem suam produxit; posuit illum in paradiso *ut operaretur* (*Gen.* I). Sapiens mulierem fortem quaerens, inventam de operatione laudat, et hac nota cognoscendam praedicat. *Quaesivit lanam, et linum, et operata est* (*Prov.* XXXI). Carolus magnus teste Eginardo, filios suos etsi regni principes mechanicam addiscere voluit, filias quoque lanificium, aut linificium tractare. Isábella etiam Hispaniarum regina, suere, nere, seu pingere quatuor filias suas edoceri jussit. Beatissima Virgo (*D. Amb. lib. I de Virg.*) parca erat ad loquendum, studiosa ad laborandum, intenta ad operandum. Ratio est quia otium mors est, et vivi hominis sepultura; torposcere enim in otio mors est potius quam vita; et ideo nulla dies sit tibi, imo nulla hora sine labore. Agrorum cultores, artifices, mechanici, negotiatores, populorum judices, provinciarum duces, gentium Reges, Ecclesiae Pontifices ita laborantes et ministrantes ad vitam ingrediuntur. Vide ergo ne sis otiosus; nihil enim est magis tuum, quam tempus; cujus usus a te uno solo pendet, omni momento uti possis vel in vitam, vel in mortem. Sed nihil est minus tuum quam tempus; cujus aeque, ac vitae tuae abusus est vetitum. At quantum temporis proiicis otiosis verbis? Tantam gloriam, tantum bonum omni hora negligis, quanta bona interim facere potuisses. Quam turpe si tibi dici posset. *Quid statis tota die otiosi?* (*Matth.* XX) *Per agrum hominis pigri transivi dicitur* in Proverbiis, *et ecce totam repleverunt urtice, et operuerant superficiem ejus spinae.* (*Prov.* XXIV). Vitia scilicet plurima de otio pullulant. Nihil facere, hoc ipsum est malum facere. Cave otium, quia Christus elegit te ut fructum afferas; secus enim *omnis arbor, quae non affert fructum, excidetur et in ignem mittetur* (*Matth.* III).

12. Corpus

Ex Sacris Scripturis

Cinis erat corpus nostrum, et spiritus diffundetur, tamquam mollis aer, et transibit vita nostra, tamquam vestigium nubis, et sicut nebula dissolvetur, quae fugata est, a radiis solis, et a calore illius aggravati. *Sap.* II, 3.

Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. *Sap.* IX, 15.

Cibaria et virga, et onus asino: panis et disciplina, et opus servo. *Eccli.* XXXIII, 25.

Intra in lutum, et calca, subigens tene laterem. *Nahum.* III, 14.

Incrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat: ut requiescam in die tribulationis. *Habac.* III, 16.

Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato. *Rom.* VI, 6.

Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. *Rom.* VI, 12.

Sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo: ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar. *I Cor.* IX, 27.

Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. *II Cor.* IV, 10.

Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino. *II Cor.* V, 6.

Sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione, et honore. *I Thess.* IV, 4.

Dico autem: Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis . . . . Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, et concupiscentiis. *Galat.* V, 16, . . . 24.

Nolite diligere mundum, neque ea quae sunt in mundo: quoniam omne quod est in mundo, est concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae. *I Joan.* II, 15.

Ex Ss. Patribus

Carnis afflictio est, per quam lascivae mentis seminaria castigatione discreta comprimuntur. *Aug. de difin.*

Nullum pejorem patior hostem, quam corpus meum, in quo habito. *Aug. de sal. doc.*

Sterquilinium vile custodit, qui corpus suum custodit. *Ber. ser. XLVI.*

Si diligenter consideres, quid per os, et nares, caeterosque cor-

poris meatus, egrediatur, vilius stirquilinium nunquam vidisti. *Bern. Medit.* cap. XXIV.

Illa circa corpus occupatio quid est, nisi a Deo quaedam absentatio? et absentatio quid nisi peregrinatio? et peregrinamur ergo a Domino, et in corpore peregrinamur, cujus nostra intentio praepeditur aerumnis, et curis caritas fatigatur. *Ber. de praec.*

Non debemus omnia corpori desideranti praestare, ne cum illi licita concedere caeperimus, poscat illicita, et sibi obsequentes in minimis, in flagitia punienda compellat, ac naturali ordine perturbato, non spiritui corpus, sed spiritus corpori dominanti deserviat. *Prosp.* lib. II *de cont.*

Diuturna exercitatio, et labores, et tolerantia, et moderata mensa, victus simplex, et mediocritas stabiliora corpora reddunt. *Gris. in I ad Cor.*

Spiritus deficit, ubi caro requiescit. Ut enim caro mollibus, sic anima duris nutritur. *Aug. sup. cap. III Joan.*

Duo namque amores sunt, ex quibus omnes producunt voluntates: rationalis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut corporis: in dilectione Dei nulla nimia: in dilectione autem corporis cuncta sunt noxia. *Leo ser. V de ici. mens.* IV.

Discamus temperata discretionis arte, convenientem diligere Deum, et salubriter odio habere corpus: quatenus sic sciamus per amorem Dei odium surgere, ut valeamus verius per odium corporis amare. *Greg.* lib. VII *Moral.* cap. XVIII.

Nescio quo inexplicabili modo quisquis seipsum non Deum amat, sed se amat: qui enim non potest vivere de se, moritur utique amando se: cum vero ille diligitur de quo vivitur, non se diligendo magis diligit, qui propterea se non diligit, ut Deum diligat de quo vivit. *Aug. tract. CXXII in Joan.*

Nisi quis a semetipso deficiat, ad eum, qui supra ipsum est, non appropinguat: unde dicitur abneget semetipsum. *Beda in cap. IX Luc.*

Magna, et mira sententia, quemadmodum sit hominis in vitam suam amor ut pereat, odium ne pereat. Si male amaveris, tunc odisti: si bene oderis, tunc amasti, felices qui oderunt custodiendo, ne pereant amando. *Aug. tract. LI in Joan.*

Cur corpus tuum pretiosis rebus impinguas et adornas: cum post paucos dies vermes devoraturi sunt in sepulchro: et animam tuam bonis operibus non adornas, quae Deo et Angelis ejus praesentanda est in judicio? Cur ergo animam tuam vilipendis, et ei corpus praeponis? dominam ancillari, et angillam dominari, magna abusio est. *Bern. in ser. XXXIII.*

Primum impedimentum nostrum et occupatio gravis, ipsa est necessitas miseri hujus corporis, quod modo somnum, modo cibum, modo vestem, caeteraque similia quaerit, haud dubium, quam frequenter impediat nos ab exercitio spirituali. *Idem ibid.*

Corpore molli reddite et delicato, necesse est animam participari ex corporis morbo. *Chrys. hom. XXII sup. ep. ad Hebr.*

Duplex est qualitas motiva corporum: levitas scilicet, et gravitas: et duplex est pondus animarum, unum elevans sursum, aliud deprimens deorsum. Amor Dei quasi levis animum semper evehit, amor corporis velut gravis deorsum cor deprimit. Qualis est amor tuus? est ne levis quod cor tuum trahit ad Deum, vel gravis in ima descendens circa corpus tuum? Interroga te ipsum. Ad quid faticaris circa corpus tuum, quod hodie est et cras in terram descendit, et vermis erit! Hoc autem est discrimen inter eos, qui se, et non Deum amant: quod illi se inordinate amando, vere non amant corpus: isti vero se non amando, perfecte se amant. O bonum odium, quod non de affectione, sed de caritate procedit! Odisse te putas, dum carnem frangis jejunio: dum inordinatos animi motus reprimis: et tamen per hujusmodi odium arcana quadam affectuum metamorphosi te potius, illos odio habendo, diligis, quos si diligeres, procul dubio te odisses. Non amas aeternam vitam, si praesentem non odis. Ne timeas te odisse corpus, cum enim plus oderis, magis amas. Ubicumque pergis tecum inimicum portas... In quo es indulgentior corpore, eo evadit diriur. Quo enim cedis magis, magis invalescit; et ideo vide quanto studio non sit cohibendum! Supervacanea est cura plura parandi, quando omnia sunt dimittenda. Examina, cujus tibi pascendi potior cura est, corporis, an animae? At certe animae potior esse debet. Ita enim Dominus probat optimam partem a Maria electam. Vide ergo, quam accurate spiritualia, tamquam pars optima sint peragenda!

13. Prudentia

Ex Sacris Scripturis

Det quoque tibi Dominus prudentiam et sensum (*inquit David ad Salamonem*), ut regere possis Israel et custodire legem Domini Dei tui. *I Paral.* XXII, 12.

Fili mi si susceperis sermones meos, et mandata mea abscon-

deris penes te, ut audiat sapientiam auris tua: inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam. Si enim sapientiam invocaveris, et inclinaveris cor tuum prudentiae: Si quaesieris eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam; tunc intelliges timorem Domini, et scientiam Dei invenies: quia Dominus dat sapientiam: et ex ore ejus prudentia et scientia. *Prov.* II, 1, et seqq.

Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiae tuae. *Prov.* III, 5.

Dominus sapientia fundavit terram, et stabilivit coelos prudentia. *Prov.* III, 19.

Posside sapientiam, posside prudentiam: ne obliviscaris, neque declinis a verbis oris mei. Ne dimittas eam, et custodiet te, dilige eam, et conservabit te. *Prov.* IV, 5, 6.

Dic sapientiae, soror mea est: et prudentiam voca amicam tuam. *Prov.* VII, 4.

Qui moderatur sermones suos, doctus et prudens est: et pretiosi spiritus vir eruditus. *Prov.* XVII, 27.

Non omni homini cor tuum manifestes. *Eccli.* VIII, 22.

Labia imprudentium stulta narrabunt: verba autem prudentium, statera ponderabuntur. *Eccli.* XXI, 28.

Estote prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae. *Matth.* X, 16.

Nam prudentia carnis mors est: prudentia autem spiritus, vita et pax. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos, *Rom.* XII, 16.

Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, prudentem, etc. *I Tim.* III, 2.

Senes, sobrii sint prudentes etc. Anus similiter prudentiam doceant adolescentulas, prudentes sint. *Tit.* II, 2 et seqq.

Omnium autem finis appropinguavit. Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus. *I Petr.* IV, 7.

Sit autem omnis homo velox ad audiendum; tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. *Jac.* I, 19.

Ex Ss. Patribus

Quia prudentia absque bonitate malitia est, et simplicitas absque ratione stultitia est. *Hier. in Ose.*

Magna sapientia est non esse praecipitem in agendis, nec pertinaciter in propriis stare sensibus, ad hanc etiam pertinet, non quibuslibet hominum verbis credere, nec audita, vel credita mox ad aliorum aures effundere. *De im. Chr.* l. I.

O utinam saperes, et intelligeres, ac novissima provideres! Sa-

peres, quae Dei sunt, intelligeres, quae mundi sunt, provideres, quae inferni sunt, profecto inferna horreres, suprema appeteres, quae ad manus sunt, contemneres. *Bern. de mis. hum.*

Quid, o homo, in omnibus es prudens, et circa te ipsum es insipiens? *Idem ibid.*

Igitur nec prudentia serpentis sine simplicitate columbae, nec simplicitas columbae sine prudentia serpentis debet esse in te: quatenus columbae simplicitatem astutiae serpentis, ut mala caveat, solicitet, et prudentiam serpentis simplicitas columbae, ut bona faciat, temperet. *Bern. de mod. ben. vivend. ad Sor.* l. LVI.

Qui sine Salvatore salutem vult habere, et sine vera sapientia aestimat se prudentem fieri posse, non sanus, sed aeger est, non prudens, sed stultus, in aegritudine assidua laborabit, et in coecitate noxia demens et stultus permanebit. *Aug. de Civit. Dei.*

Sicut quibusdam visum est, ut de primis quatuor virtutibus loquar, prudentia, temperantia, fortitudine, et justitia, quando perfectae sunt singulae tunc sibi sunt conjunctae; disjunctae autem perfectae esse nequaquam possunt: quia nec prudentia vera est, quae juste, et temperans, et fortis non est. nec temperantia perfecta, quae fortis, justa, et prudens non est: nec fortitudo integra, quae prudens, fortis et temperans non est. *Ambr.* lib. XXII *de Offic.*

Fratres carissimi, non solum silentium tenere debetis in eremo; sed prudentiam rapere festinate. Prudentia enim vobis necessaria est, quia docet quid faciendum, et quid tenendum sit. Prudentia docet te ut non superbias, nec mireris de rebus transitoriis, cum sint caducae, et ea quae possides, tanquam aliena possidere advertas. Prudentia docet te, ut quae non potes perpetuo tenere fructuose, permittas abire. Prudentia docet te, ut in cunctis idem sis, tam in prosperis quam in adversis: sicut manus, quae eadem est, et cum in palmam extenditur, et in pugnum restringitur. Ipsa te docet quomodo reprehensibilis sit nimia laudatio, et immoderata vituperatio; illa quidem adulatione, sed ista suspecta malignitate. Prudentia testimonium veritati, non amicitiae reddit: prudentia cum discretione promittit, et promissum accellerat, et amplius quam promisit praestat. Prudentia docet, quomodo praesentia ordines, quomodo praeteritorum recorderis, et quotidie futura provideas. *Aug. ad Eremit. in ser. de Provident.*

Mensuretur perfectorum fidelium vita per quadrum, et tantum habet spiritualia atrii latus unum, quantum latera singula, quia unusquisque tantum prudens est, quantum temperans, fortis et justus: tantum temperans, quantum prudens, justus, et fortis fuerit. *Ambr. sup. Ezech.* part. II, hom. X.

Dubium non est multos esse prudentes, sed eorum prudentia, maxima imprudentia est, quia mundana prudentia pollent et simplicitatem christianam dedignantur, eosque qui in simplicitate cordis incedunt, velut stolidos despiciunt, quasi simplicitas sit contraria sapientiae. Quam autem inepte philosophantur claris verbis ostendit Christus. *Estote prudentes*, inquit, *ut serpentes, et simplices ut columbae* (*Matth.*X). Illas ad invicem conjunxit Christus, ut sibi mutuum praestent auxilium. Simplicitas absque prudentia foret stolida; prudentia vero sine simplicitate, maligna. Prudentia securitatem dat simplicitati, eamque, ne decipiatur, tuetur. Simplicitas est antidotum prudentiae, ab eaque malignitatem fugat. Etsi enim a sapientibus hujus saeculi commendetur prudientia, et negligatur simplicitas, tamen simplicitas multum prudentiae antistat; profecto christiana simplicitas tantum eminet supra mundanam prudentiam, quantum columba supra serpentem. Columba a primordio divinae pacis praeco, serpens a primordio dire immaginis praedo. In te splendere debet simplicitatis et prudentiae conjunctio, et ita prudentiam cum semplicitate conjungens, habebis prudentiam christianam, quae ad vitam, non mundanam quae ad mortem te ducit. Omnia in posterum cum prudentia facito, habebis ita ordinem in rebus. Non inconsiderate aliquid, aut ultra vires opera in te suscipias. Moderata durant; quae fiunt cum prudentia, sunt salubria, immoderato autem usu etsi bona, efficiuntur noxia. Omne quod est nimium, vertitur in vitium, ut habet proverbium. Plurimi impertitam sibi gratiam, defectu prudentiae, amisere. Tolle prudentiam, et quod virtus in te videbatur erit vitium. Columbae tibi simplicitas placeat, quae ad Deum provocat, non serpentina calliditas quae lethale virus instillat. Quidquid agas, prudenter agas, et respice finem.

14. Dilatio conversionis

Ex Sacris Scripturis

In toto corde et in tota anima vestra Dominum Deum vestrum sequimini, et ipsum timete, et mandata illius custodite et audite vocem eius: ipsi servietis et ipsi adhaerebitis. *Deut.* XIII, 3. 4.

Et nunc venistis ad me necessitate compulsi. *Judic.* XI, 7.

Convertimini itaque peccatores, et facite justitiam coram Domino, credentes, quod faciat vobiscum misericordiam suam: *Tob.* XIII, 8.

Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? Dimitte ergo me, ut plangam paullulum dolorem meum, antequam vadam,

et non revertar, ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine. *Job* X, 20. 21.

Quia vocavi et renuistis: extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret: Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis id quod timebatis advenerit. *Prov.* I, 24, et seqq.

Ne festines recedere a facie ejus, neque permaneas in opere malo. *Eccles.* VIII, 3.

Memento creatoris tui in diebus juventutis tuae, antequam veniat tempus afflictionis, et appropinquent anni de quibus dicas: non mihi placent. *Eccles.* XII, 1.

Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictae disperdet te. *Eccli.* V, 8.

Quaerite Dominum dum inveniri potest, et invocate eum, dum prope est. *Isa.* LV, 6.

Convertatur vir a via sua mala, et ab iniquitate, quae est in manibus eorum. Quis scit, si convertatur, et ignoscat Deus, et revertatur a furore irae suae, et non peribimus? *Jonae* III, 8, 9.

Quaeritis me et non invenietis. *Joan.* VII, 34.

Poenitemini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra. *Actor.* III, 19.

Adiuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. *II Cor.* VI, 1, 2.

Sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut non abduretur quis ex vobis fallacia peccati. *Heb.* III, 13.

Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae: ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. *Hebr.* IV, 16.

Et dedi illi tempus, ut poenitentiam ageret: et non vult poenitere a fornicatione sua. Ecce mittam eam in lectum: et qui etc. . . et filios ejus interficiam in morte, et scient omnes Ecclesiae, quia ego sum scrutans renes, et corda: et dabo unicuique vestrum secundum opera sua. *Apoc.* II, 21, et seq.

Ex Ss. Patribus

Remedia conversionis ad Deum nullis sunt rationibus differenda, ne tempus correctionis pereat tarditate; qui enim poenitenti indulgentiam promisit, diem crastinum non spopondit: ipsa enim

est res, quae multos occidit, cum dicunt *cras cras*, et subito ostium clauditur; remansit foris cum voce corvina, qui non habuit gemitum columbinum. *Aug. ser. XVI de verb. Dom.*

Deus tibi promittit remissionem convertendo a peccatis, securitatem tibi non promisit diu vivendi; si subito intrat dies extremus, perit dilatio, et restat damnatio. *Aug. ser. LXXI ad Fratr. ad Erem.*

Tales offerunt hostiam viventem, Deo placentem, immaculatam, non aure, non oculo, non pede. Audiat hoc senum, sera conversio, quibus ex defectu senectutis aures obturantur, oculi turbantur, et ut cuncta breviter perstringam, ipsi in se per se deficiunt. Hi non offerunt agnum immaculatum: sed, ut ita dicam, parcum curratum. Sicut enim porcus in immunditiis: sic senex iacuit in vitiis, et sicut porcus siliquis pascit, sic senex fabulis et rumoribus delectatur. *Hugo de claustr. anim.* lib. III, cap.. *X*.

Difficile est peccati consuetudinem vincere: pravus usus vix aboletur: assidua consuetudo vitium in naturam convertit. Animus sceleribus adstrictus, vix ab eis divelli potest. *Isid. lib. I Soliloq.*

Si aurum tibi offeram: non mihi dicis, cras veniam: sed jam exigis, nemo differt, nemo excusat; redemptio animae promittitur, et nemo festinat. *Amb. ser. de eleem. et jejun.*

Dico omnes ignorare Deum, qui nolunt converti ad eum. Neque enim ob aliud procul dubio renuunt, nisi quia gravem et severum imaginantur, et quod plus est, durum et implacabilem, qui misericors est: ferum et terribilem, qui amabilis est; et mentitur iniquitas sibi, formans sibi idolum pro eo, quod non est sibi. *Ber. sup. Cant.*

Ut sit homo aliquid, convertat se ad illum a quo creatus est, recedendo enim frigescit, recedendo tenebrescit, accedendo clarescit, a quo enim habet, ut sit apud illum, habet, ut bene sit. Ergo qui vult simul esse cum Deo, non ab illo recedat, sed ad illum accedat. *Aug. sup. Psal.* LXX.

Usitata culpa obligat mentem, ut nequequam surgere possit ad rectitudinem, conatur et labitur: quia ubi diu sponte perstitit, et ibi cum noluerit, coacte cedit. *Greg. hom. XXXI.*

Ille, qui Deum, dum inveniendi tempus est, non quaesierit, in aeternum invenire non potest. *Aug. ser. CCXXI de temp.*

Qui tempus poenitentiae datum negligit, frustra ante tribunal Christi preces effudit. Festinare debet ad Deum convertendo dum potest unusquisque, ne si, dum potest, noluerit, cum voluerit non possit. *Aug. ser. LXXI ad Fratr. in Erem.*

Gratia venit, et vadit, pertransit, nisi ea bene utaris. Agnosce periculum si adhuc resistis. Noli differre tuam conversionem neque usque ad senectutem, neque usque ad mortem, difficultatem enim habet talis conversio; difficile convertitur qui in malo inveteratur. Postquam Propheta dixit in persona juvenum: *Factum est cor meum tamquam cera liquescens*; subdit in persona senum. *Aruit tanquam testa virtus mea* , et *lingua mea adhaesit faucibus meis* (*Psal.* XXI). Non debemus nostram conversionem differre usque ad mortem, quia talis conversio sicut incerta, sic ut vocitatur D. Augustinus , *numquid damnabitur*, *sed non dico salvabit* (*Aug. Hom.* I). In extremis constituti, videntur potius poenitere timore poene quam amore justitiae. Vis de dubio liberare ? nunc respondeas opus est gratiae. Admitte Jesum suamque gratiam in domum cordis tui, quem hactenus repulisti; ut gratia, et dictaminibus divinis medeatur. At quoties vocavit te Deus per suam gratiam, et quoties despexisti ? Vocat te Deus post se, ut eum sequens, semper eum habeas in oculis tuis, ut videas et premas vestigia ejus. Vide dignitatem muneris, indignitatem tuam: caritatem ejus , ingratitudinem et obstinationem tuam. Quid erit tibi si amplius non voceris a Deo? Amplius noli resistere: de hoc solum esto sollicitus, ut Jesum sequaris. Hodie si vocem ejus audis, hodie suam gratiam ultro donatur; hodie dic confitenter, hodie sequar te mi Jesu; faxit Deus !

15. Vota Baptismatis

Ex sacris Scripturis

Masculus, cujus praeputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. *Gen.* XVII, 14.

Et effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab universis idolis vestris mundabo vos. *Ezech.* XXXVI, 25.

In die illa erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatae. *Zach.* XIII, 1.

Euntes docete omnes gentes ; baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. *Matth.* XXVIII, 19.

Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vere non crediderit, condemnabitur. *Marc.* XVI, 16.

Amen dico tibi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. *Joan.* III, 5.

An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? *Rom.* VI, 3.

Et haec quidem fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. *I Cor.* VI, 11.

Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. *Galat.* III, 27.

Ut illam (*Ecclesiam*) sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi: sed ut sit sancta, et immaculata. *Ephes.* V, 26. 27.

Et vos cum mortui essetis in delictis, et praeputio carnis vestrae, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta: delens quod adversum nos erat chyrographum decreti, quod erat contrarium nobis, etc. *Coloss.* II, 13. 14.

Non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitae aeternae. *Tit.* III, 5. 6. 7.

Quod et vos nunc similis formae salvos facit baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi. *I Pet.* III, 21.

Ex Ss. Patribus

Quando Levita te interrogavit: abronuncias diabolo, et operibus ejus: quid respondisti? abrenuncio. Abrenuncias saeculo, et voluptatibus ejus? quid respondisti? abrenuncio. Memor esto sermonis tui, et nunquam tibi excidat tuae series cautionis. Si chyrographum homini dederis, teneris adstrictus, et reluctantem te foenerator adstringit: si recusas, vadit ad Judicem, atque illic tua cautione convinceris. *Ambr. lib. I de sacr.*

Deligeris, et deprehenderis, o Christiane, quando aliud agis, aliud profiteris, fidelis in nomine, aliud demonstrans in opere; renunciasti diabolo, et operibus ejus, non hominibus, sed Deo, et Angelis conscribentibus tenetur in Coelo chyrographum tuum. Renunciato non solum vocibus, sed etiam moribus, non tantum sono linguae, sed et actu vitae. *Aug. Tract. de Symb.*

Tantum valet baptismus per hominem contemptibilem, quantum per Apostolum datus, ita nec istius, nec illius, sed Christi cognoscitur. Invenimus itaque dictum ab Apostolis, et gloriam meam, et evangelium meum, et ministerium meum: quamvis utique a Do-

mino impertitum, atque donatum. Baptisma autem meum nemo eorum dixit omnino. Non enim omnes ministrant aequaliter , et in evagelizando alius alio melius operatur, alius autem alio magis, vel minus baptizatus dici non potest, sive ab inferiore, sive a majore baptizetur. *Aug. de uni. bapt.* lib. V.

Sicut sine calceamentis, vel vestimentis vestrum nemo in forum descendere eligunt, ita sine verbo hoc numquam in forum prodeas, sed cum ad januae vestibula transgressurus , hoc potius loquere verbum. Abrenuntio tibi Satana; et conjungor tibi Christe. Nec unquam absque hac voce exeas: haec erit tibi baculus, haec armatura, haec turris inexpugnabilis. *Chrys. hom. XXI ad Pop. Antioch.*

Idem salutiferae curationis auxilium, circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod baptismus agere revelante gratiae tempore consuevit; excepto quod regni coelestis januam necdum intrare poterant, donec adveniens benedictionem daret, et sic qui legem dedit, ut videri posset Deus deorum in Sion; tantum in sinu Abrahae post mortem beata requie consolati, supernae pacis ingressum spe faelici expectabant. *Beda sup. illud post. quam consum. sunt dies oct.*

Unde tu, Christiane, dilicatus es miles, si putas te posse sine pugna vincere, sine certamine triumphare ? Exere vires , fortiter dimica, atrociter in praelis iste concerta. Considera pactum, conditionem attende, militiam nosce, pactum, quod spopondisti, conditionem, qua accepisti, militiam cui nomen dedisti. *Chrys. ser. de Martyr.*

Christiani suscipientes baptismum diabolo, mundo, et pompis ejus renuntiarunt. Quid pulchrius Angelo gratiae splendoribus illustrato ? quid tam defaecatum , nitidum ac purum quam gratiae splendor, qui recens baptizatis affulget ? Angelicus splendor , baptismatis splendor, baptismatis gratiae splendoris affinis est, et ob splendoris affinitatem et cognationem, ad hoc sublimissimum gratiae baptismatis fastigium promovere Deus exambit. Angeli igitur praeclaram baptismi gratiam celebrant, propter cognationis splendorem, suosque alumnos ad tam puram sanctitatem, et virtutis eminentiam extollere satagunt, ut primam baptismi gratiam aemulentur. Et tamen cum homines in baptismate ob gratiae splendoribus sint sicut Angeli qui in sua creatione fuerunt in gratia conditi, ita et baptizati sicut in propria spirituali regeneratione sanctificati, et tam excellentem dignitatem negligunt , parvipendunt , deturpant. At proh dolor ! Christiani suscipientes baptismum dia-

bolo mundo, pompis ejus renuntiarunt; et tamen multi sunt Christiani promissionis in baptismo factae immemores, pauci facti exequentes. Quid tibi, o Christiane, quid tibi Sacerdos, cum pompis diaboli quibus renuntiasti in baptismo, et multo magis in ordinatione? Et quod est magis deflendum, perversi illi Christiani post renunciationem factam diabolo, et pompis ejus, ad diabolum, et pompam ejus redeunt: baptismo etiam renuntiant, et consequenter se Christianos esse negant. Considera, emenda etc.

16. Hypocrisis

Ex Sacris Scripturis

Sic viae omnium, qui obliviscuntur Deum, et spes hypocritae peribit. *Job.* VIII, 13.

Congregatio enim hypocritae sterilis, et ignis divorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. *Job.* XV, 34.

Hoc scio a principio, ex quo positus est homo super terram, quod laus impiorum brevis sit, et gaudium hypocritae ad instar puncti. Si ascenderit usque ad coelum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit: quasi sterquilinium in fine perdetur: et qui eum viderant, dicent: Ubi est? etc. *Job.* XX, 4 et seq.

Quae est enim spes hypocritae si avare rapiat, et non liberet Deus animam eius? Numquid Deus audiet clamorem ejus, cum venerit super eum angustia? . . . Tollet eum ventus urens, et auferet, et velut turbo rapiet eum de loco suo. *Job.* XXVII, 8, 9, 21.

Simulatores, et callidi provocant iram Dei, neque clamabunt cum vincti fuerint. Morietur in tempestate anima eorum, et vita eorum inter effeminatos. *Job.* XXXVI, 13, 14.

Generatio, quae sibi munda videtur, et tamen non est lota a sordibus suis. Generatio, cujus excelsi sunt oculi, et palpebrae ejus in alta surrectae. *Prov.* XXX, 12, 13.

Ne accesseris, ad illum (*Dominum*), duplici corde. Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, et non scandalizeris labis tuiis. *Eccli.* XXXVI, 37.

Quia omnis hypocrita est, et nequam. *Isa.* IX, 17.

Qui dicunt recede a me, non appropingues mihi quia immundus es: isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die. *Isa.* LXV, 5.

Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est: in ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias. *Jerem.* IX, 8.

Cum autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritae tristes: ex-

terminat enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis quia receperunt mercedem suam. *Matth.* VI, 2, 16.

Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te sicut hypocritae faciunt in synagogis, et in vicis ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam . . . . Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui. *Matth.* VII, 5.

Hypocritae, bene prophetavit de vobis Isajas, dicens: Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe est a me. *Matth.* XV, 7.

Vae vobis, Scribae, et Pharisaei hypocritae; quia similes estis sepulcris dealbatis, quae a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia. *Matth.* XXIII, 27.

Attendite a fermento Pharisaeorum, quod est hypocrisis. *Luc.* XII, 1.

Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa: erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, etc. . . . Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. *II Tim.* III, 1, . . 5.

Deponentes igitur omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et omnes detractiones. Sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem. *I Pet.* II, 1, 2.

Ex Ss. Patribus

Quisquis appetit videri, quod non est, hypocrita est: simulat enim justum, nec exhibet: quia totum fructum in laude hominum ponit. *Aug. lib. de ser. Dom. in monte.*

Hi sunt oves habitu, actu vulpes, et crudelitate lupi; hi, qui boni videri, non esse, mali non videri, sed esse volunt; mali sunt, et boni videri volunt, ne soli sint mali; mali videri timent, ne parum sint mali; etenim minus semper malitia palam nocuit, nec unquam bonus, nisi boni simulatione deceptus est. *Ber. ser.* LXVI.

Vult hypocrita scire divina eloquia, nec tamen facere, vult recte loqui, nec tamen vivere; hypocrita sanctus esse non appetit, sed vocari. *Greg in mor.*

Hypocrita foris candidus, intus sordidus; amator vanae gloriae verba Sanctorum habet, vitam non habet. *Bern. de ord. vitae.*

Simulata aequitas non est aequitas, sed duplex iniquitas: quia iniquitas est et simulatio. *Aug. sup. Psal.* XXIII.

Si castum me simulo, et aliud est in conscientia, habeo gloriam mercenariam, sed supplicia peccatoris, et in comparatione duorum malorum, levius est in alium aperte peccare, quam simulare, et fingere sanctitatem. *Hier. sup. illud. Matth. XII. Populus hic lab. etc.*

Diversi coloris est omnis hypocrita, aliis adulatur, aliis detrahit, mordax ut canis, dolosus, ut vulpes, superbus ut leo. *Isid. Hisp. lib. III, de sum. bono.*

Hypocritarum facies rationalis, sed corpus bestiale est, quia valde iniqua sunt, quae sub boni specie moliuntur. *Greg. lib. XXXIII, moral.*

Quam multos hypocritas sub habitu monachorum usquequaque dispersit callidissimus hostis, circumeuntes provincias omnes petunt, omnes exigunt, aut sumptus lucrose egestatis, aut simulato pretium sanctitatis. *Aug. sup. cap. XXVII, Job.*

Qualis hypocrita imperitis innotescit, talis vult ab omnibus extimari, et paratior est mori, quam corripi. Hypocrita quod vitiis est plenus, quasi tot stercoribus in conspectu aeterni judicis illius pectus foetet. Hypocritarum corda diabolus tacitus tenet, et quasi ipse quietus ibi dormit, ubi eos quos possidet, quiescere non permittit. *Greg.* lib. VIII *Moral.*

Hypocritae quo exterius hominibus placent, eo se interius aspicere negligunt, totosque se in verbis proximorum fundunt, et sanctos se esse aextimant, quia sic se haberi ab hominibus pensant. *Greg.* lib. II *Moral.*

Tolle hoc vitium de clero, ut non velit hominibus apparere, et sine labore omnia vitia resecantur. Ex hoc vitio nascitur, ut ne velit inter se meliorem habere. *Greg. hom. III sup. Matth.*

Simon crucem portans nequaquam moritur, quia omnis hypocrita corpus quidem per abstinentiam affligit, sed tamen ad amorem gloriae mundo vivit. *Greg. lib. VIII, Moral.*

Hypocrita per arrogantiam depravatur, cum paratior est mori quam corripi . . . . Qui etiam in peccatis gravisssimis moriuntur. Sanctos se esse reputant: quia sanctos se reputari aestimant. Student enim non virtutes colere, sed vitia tolerare. *Greg. lib. VIII, Moral.*

Seneca eo damnabilius colebat idola, quo illa quae mendaciter agebat, sic agere, ut cum populo veraciter agere existimaretur. *Aug. lib. VI de Civ. Dei.*

Hypocrita qui Latine dicitur simulator, avarus est, qui dum inique agens, desiderat de sanctitate venerari, laudem vitae rapit alienae. *Aug. sup. cap. XXVII Job.*

Hypocrita ut animadvertit Paschasius (*Lib.IV in Matth.*) histrionem significat seu simulatorem, qui in theatris alienam personam simulat, seu qui ficta persona fallit spectatores. Hanc hypocritae descriptionem mutuavit Paschasius a d. Augustino (*Ser. LIX de Temp.*), qui sio in praesentia materia loquitur. Hypocrita graeco sermone simulator interpretatur: nomen autem Hypocritae translatum est a specie eorum, qui in spectaculis recta facie incedunt, distinguentes vultum coeruleo, niveoque colore, et caeteris pigmentis, habentes simulacra oris lucentia, gypsata, et vario colore distincta, nonnunquam colla et manus creta perungentes, ut ad personae colorem pervenirent, et populum, dum in lucis agerent, fallerent, modo in specie viri, modo in forma foeminae, et reliquis praestigiis. Hinc hypocrita transfiguratur in Angelum lucis , quia cum sit tenebrosus, lucidus vult apparere ad modum Angeli, qui sese ostendit hominibus sub specie candida, lucida, decora; et cum sit mendax, injustus , impius , fingit tamen veritatem , justitiam et pietatem. Bene igitur hypocrita per cygnum potest denotari. Cygnus candidis plumis indutus, nigerrimam habet carnem: quapropter Judaeis prohibuit Deus ne de carnibus cygni ederent.(*Lev.II*) Sic hypocritae qui animam sic solent habere, qui dum castitatem exterius praedicant, interius teterrima labe luxuriae emaculantur: exterius transfigurati in Angelos lucis, interius tenebrosi tamquam daemones. En verum hypocritarum specimen, qui sunt simulacra argentea , idola deaurata, habentia parum faci , multum deformitatis, parum auri, multum luti, superficiem pietatis et religionis, veritatem sceleris et impietatis ; exterius pulchrum et pretiosum, interius vile et egenum; foris Christianam virtutem, intus pharisaicam iniquitatem. Ideo Phariseos Christus hypocritas pronuntiabat, dicens illos calicis et catini (idest corpus) exteriora emundare; interiora autem ipsorum (id est animam) plena esse rapina et iniquitate. Plurimi hodie similes sunt Pharisaeis, qui munditiei et ornatus exterioris maximam curam gerunt, animae vero decoris nullam : quin imo vermibus ac sanie, indicibilique graveolentia, cupiditatibus scilicet absurdis atque improbis sceleribus repleni. Et sicut sepulcrum, quandiu clausum est, pulchrum videtur foris; si vero fuerit apertum, horribile est: sic et simulatores bonorum, quandiu non cognoscuntur, laudabiles sunt, cum vero cogniti fuerint, inveniuntur abominabiles. Quam orribile malum ! Forsitan et tu unus ex illis es ! In posterum, exterius tuum cum interiori concordet; operibus pietatis incumbe . . . non perversa, sed recta intentione age , ut Deo placeas, proximum aedifices, et coelestem tibi compares beatitudinem.

17. Sollicitudo temporalium

Ex Sacris Scripturis

Quod si dixeritis: Quid comedemus anno septimo, si non severimus, neque collegerimus fruges nostras? Dabo benedictionem meam vobis (*inquit Dominus*) anno sexto, et faciet (*terra*) fructus trium annorum. *Levit.* XXV, 20, 21.

Afflixit te (*Deus*) penuria, et dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu et patres tui; ut ostenderet tibi, quod non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei. *Deut.* VIII, 3.

Junior fui, etenim senui: et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quaerens panem. *Psal.* XXXVI, 25.

Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet: non dabit in aeternum fluctuationem justo. *Psal.* LIV, 22.

Oculi omnium in te sperant, Domine: et tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam: et imples animal benedictione. *Psal.* CXLIV, 15, 16.

Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animae vestrae, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini. Nonne anima plus est, quam esca, et corpus plus, quam vestimentum? *Matth.* VI, 25.

Quaerite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus: et haec omnia adiicientur vobis. Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi: sufficit diei malitia sua. *Idem* ibid. 33, 34.

Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris. *Matth.* X, 9.

At illi (*discipuli*) cogitabant intra se, dicentes: Quia panes non accepimus. Sciens autem Jesus, dixit: Quid cogitatis inter vos modicae fidei, quia panes non habetis? etc. *Matth.* XVI, 7, 8.

Cum autem inducent vos in synagogas, etc. nolite solliciti esse qualiter, aut quid respondeatis, aut quod dicatis. Spiritus enim Sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere . . . Ideo dico vobis: Nolite sollici esse animae vestrae quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Anima est plus quam esca, et corpus plus quam vestimentum. *Luc.* XII, 11, 12, . . . 22, . . 26, . . 29.

Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui cum etc. *I Cor.* VII, 32.

Nihil solliciti sitis: sed in omni oratione, et obsecratione cum gratiarum actione, petitiones vestrae innotescant apud Deum. *Philipp.* IV, 6.

Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti sumus. *I Tim.* VI, 8.

Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. *Hebr.* XIII, 14.

Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. *I Pet.* V, 7.

Ex Ss. Patribus

Preoccupatum quippe secularibus desideriis animum delectatio sancta declinat, nec misceri poterunt vana veris, aeterna caducis, spiritualia corporibus, summa imis: ut pariter sapiat, quae sursum sunt, et quae super terram. *Bern. in ser. XIV.*

Nequaquam ulterioris diei cura te conterat: hujus enim diei spatium te visurum nescis; quam ob causam illius sollicitudine torqueris? *Gris. in Matth.*

Qui habuit tui curam, antequam esses, quomodo non habebit curam, cum jam hoc es, quod voluit, ut esses: jam enim fidelis es, jam ambulas in via justitiae..., nusquam tibi deest, tu illi noli deesse, tu tibi noli deesse. *Aug. in Psal.* XXXIX, 18.

Amant perversi homines pro hujus mundi gloria tribulationes, cunctisque pro ea sudoribus libenter serviunt, et gravium laborum jugo devotissime colla submittunt, quod bene sub Effraim specie Osea prophetante describitur, qui ait: Effraim vitula docta diligens trituram. Vitula enim triturae laboribus assueta, relaxata, plerumque ad eumdem laboris usum etiam non compulsa revertitur. Ita pravorum mens hujusmodi servitio dedita, et rerum temporalium fatigationibus assueta: etiam si sibi libere vacare liceat, subesse tamen terrenis sudoribus festinat. *Greg. in Moral.*

Qui rebus temporalibus occupantur, tunc bene exteriora disponunt, cum sollicite ad interiora refugiunt, cum nequaquam perturbationum strepitas diligunt, sed apud semetipsos intus in tranquillitatis sinum requiescunt. *Idem ibid.*

Quid per porros et caepas exprimitur, quae plerumque qui comedunt, lachrymas emittunt, nisi difficultas vitae praesentis, quae a delictoribus suis, etsi non sine luctu agatur, tamen cum lachrymis agitur? Manna sibi deferentes cum peponibus ac carnibus, porro caepasque quaesierunt; quia videlicet perversae mentes dulcia per gratiam quietis dona despiciunt, et pro carnalibus voluptatibus laboriosa hujus mundi itinera etiam lachrymis plena concupiscunt, contemnunt habere, ubi spiritualiter gaudeant, et desideranter appetunt, ubi carnaliter gemant. *Idem ibid.*

O infaelix anima, quid sollicita es erga plurima? porro cum

unum sit necessarium, dilige unum in quo sunt omnia, et ibi fige cor tuum, et desiderium. Nam faelices illius civitatis cives, cujus participes in idipsum, mundus enim transit, et concupiscentias ejus. *Ricc. de Sanct. Vict. sup. Da nob. hod.*

Non omnis sollicitudo est prohibita. Est enim quaedam necessaria, quam facit caritas, de qua dicitur. Qui praeest in sollicitudine; et est nociva quam facit cupiditas, dum timet aut possessa dispereant, aut elaborata non contingant, et ideo nunquam dicunt satis, et solum de corpore cogitant diu noctuque. Dominus hanc superfluam sollicitudinem saepe saepius prohibet in Evangelio proponens duo exempla, dicens: *Nonne anima plus est quam esca? et corpus plus quam vestimentum* (*Matth.* VI). Qui dedit majora, idest animam, providebit minora, idest escam et vestes. Et haec generaliter pro cunctis Christi fidelibus; quid autem pro Sacerdotibus? Forsitan et tu ignoras quia ea conditione Sacerdotes et Clerici, Christi militiae nomen dant, ut, expediti ab omni saeculi praesentis impedimento, intrepide in vocationem persistentes, palmam victoriae, ab eo Rege, qui de antiquo hoste triumphavit, suscipere mereantur. Haec attendens sancta Ecclesia sollicita cavet, ne Sacerdotes, aliique sacris ministeriis adscripti, rerum saecularium procurationibus implicarentur. Apostoli quoque, crescente in diebus credentium numero dixerunt. *Non est aequum, nos derelinguere verbum Dei et ministrare mensis.* Negotiis saecularibus intentus tanto insensibilior intus efficieris, quanto ad ea, quae foris sunt, studiosior fueris. Terrenorum et divinorum curae difficile simul inesse possunt in pectore humano. Ecce universa vanitas et afflictio spiritus. Demus nos nobiliori et fecundiori negotiationi; negotiemur, donec veniat Dominus Jesus, judex noster; negotiemur pro animabus nostris. Quam felix haec negotiatio! Centuplum accipiemus et vitam aeternam possidebimus.

18. Sudor Sanguinis Christo in horto

Ex Sacris Scripturis

Dixitque ad eum (*Dominus ad Cain*): Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. *Gen.* IV, 10.

Idcirco ubi immolabitur holocaustum, mactabitur et victima pro delicto: sanguis ejus per gyrum altaris fundetur. *Lev.* VII, 2.

Terra ne operias sanguinem meum, neque inveniat in te locum latendi clamor meus. *Job.* XVI, 19.

Quae utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem. *Psal.* XXIX, 9.

Traditus sum, et non aegredibar: oculi mei languerunt prae inopia. *Psal.* LXXXVII, 9.

Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis occidetis, et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in Synagogis vestris, et persequimini de civitate in civitatem: ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariae filii Barachiae, quam occidistis inter templum et altare, etc. *Matth.* XXIII,34,35.

Apparuit autem illi Angelus de coelo confortans eum. Et factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor ejus, sicut guttae sanguinis decurrentis in terram. *Luc.* XXII, 43, 44.

Si enim sanguinis hircorum et taurorum, et cinis vitulae aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguinis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emendabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi? *Hebr.* IX, 13, 14.

Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi. *Hebr.* X, 19.

Accessistis ad . . . testamenti novi mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem melius loquentem, quam Abel. *Hebr.* XII, 24.

Secundum praescientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam, et aspersionem sanguinis Jesu Christi. *I Petr.* I, 2.

Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis . . . sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati. *I Petr.* I, 18.

Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus: quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione, etc. *Apoc.* V, 9.

Ex Ss. Patribus

Tota siquidem animi intentione dirigebatur ad crucem, quanquam caro viriliter repugnaret. Qualis conflictus, qualis pugna, quale spectaculum! impellebat spiritus, reclamabat natura ipsa passibilis poenarum immanitate perterrita. *Lauerent. Justin. de triumph. Christ. agon.* cap. VI.

Dicit Christus homini aegro: Bibe calicem tentationum et tribulationum, ut saneris et vivas. Et ne responderet ei languidus: Non possum, non fero non bibo; prior bibit medicus sanus, ut bibere non dubitaret aegratus. Quid enim amarum est in tali poculo quod ille non biberit? *Aug. ser. XVIII, in Matth.*

Factus in agonia orabat. Ubi quidem non solis oculis, sed quasi membris omnibus flevisse videtur: ut totum corpus ejus, quod est Ecclesia, totis lacrymis corporis purgaretur. *Bern. ser. III Dom. Palm.*

Loquitur aspersio sanguinis Christo, quia Patrem interpellat pro nobis, et ideo loquitur melius, quam sanguis Abel, de quo dictum fuerat: vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Sanguis Abel mortem parricidae fratris petiit: sanguis autem Christi vitam persecutoribus impetravit. Sanguis Abel expetit vindictam, sanguis Christi misericordiam. *Athan. in Heb.* XII.

Considera eum et, quanta nunc est animae suae angustia, et compatere ei. *Bon. med.* cap. LXXX.

Confortatus est, sed tali confortatione, quae dolorem non minuit sed magis auxit, confortatus est fructus magnitudine, non subtracti doloris amaritudine. *Beda in Luc.* XXII.

Vae tibi amaritudo peccatorum nostrorum, propter quae solvenda tanta amaritudo necessaria est. *Bern. ser. II de Dom. pas.*

Me miserum! quomodo sic insensata facta est anima mea? Quomodo sic induruit cor meum, ut non indesinenter lugeant oculi mei? *Aug. medit.* cap. XXXIV.

Assistat hic anima devota, et ne pereant, pretiosas guttas suscipiat, et rubicundum Dilecti sui corpus fletu abluat. *Beda ser. de Pass. Dom.*

Ego, ego sum tui causa doloris, ego tui cruciatus labor, ego superbivi, tu humiliaris, ego tumui, tu attenuaris, ego inobedieno extiti, tu obediens scelus inobedientiae luis. *Aug. med.* cap. VII.

Pretiosus ille sanguis tanta fuit virtute, ut velut quoddam diluvium solutare orbem terrarum a suis sordibus expurgaret. *Cassiodor. in psal.* CXXIX.

Antiquitus sigillabatur pax sanguine hostiae in sacrificio immolatae. Christus est victima pacis, quae sanguine nunc in horto fundens, sanguine immaculati illius agni signatur. Reatum penae aeternae in Adamo contraximus, et hanc obbligationem propriis sceleribus auximus, et subsignavimus, quibus cum solvendo non essemus apti in immensum auctum foenus, et per quotidiana peccata, velut infinite incrementatum. Cum nullus autem valeret tantum solvere debitum, Christus Dominus mediator vitae suo sanguine mundavit maculas peccati. Ipse pacificavit saguine suo, non modo quae in terris, sed quae in caelis sunt: disciplina pacis nostrae super eum; sic ipse punitus, tu repropitiatus. Quo te duxit mei causa miserricors Deus! Infirmitas mea est, et ut curer, medicus

sudat. Clamabat vindictam terra animae meae ob peccata mea, nec aliud expectare poteram. Aspergit eam Jesus sanguine misericordiae suae ut misericordiam clamet. Misericordia, mi Deus! Plantaveras tibi vineam electam animam meam, sed quia facta est sterilis, rigas eam tuo sanguine. O quantum me amasti Deus meus! Quam parum tibi reddo! Tu sanguinem fundis, ego sudorem tibi negabo?

19. Examen conscientiae

Ex Sacris Scripturis

Fecit et labrum aeneum cum basi sua de speculis mulierum, quae excubabant in ostio tabernaculi. *Exod.* XXXVIII, 8.

Dixit autem Nathan ad David: Tu es ille vir.... Tu enim fecisti abscondite: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, et in conspectu solis.Et dixit David ad Nathan: peccavi Domino. *II Reg.* XII, 7 ...12, 13.

Accedite ad eum et illuminamini: et facies vestrae non confundentur. *Psal.* XXXIII, 5.

Noluit intelligere ut bene ageret. *Psal.* XXXV, 3.

Et meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar et scopebam spiritum meum, *Psal.* LVI, 6.

Et clamavit leo: super speculam Domini ego sum, stans jugiter per diem: et super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus. *Isa.* XXI, 8.

Recogitabo tibi omnes annos meas in amaritudine animae meae. *Isa.* XXXVIII, 15.

Statue tibi speculum, pone tibi amaritudines: dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulasti: revertere virgo Israel, revertere ad civitates tuas istas. *Jer.* XXXI, 21.

Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter. *Jer.* LXXXVIII, 10.

Sedebit solitarius, et tacebit quia levavit super se. *Thren.*III, 28.

Et dixit (*Dominus*) ad me: Fili hominis, fode parietem. Et cum fodissem parietem, apparuit ostium unum. *Ezech.* VIII, 8.

Et ecce mulier, quae erat in civitate peccatrix, ut cognovit, quod accubuisset in domo Pharisei, attulit alabastrum ungenti. Et stans retro secus pedes ejus, lacrymis coepit rigare pedes eius et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat. *Luc.* VII, 37, 38.

Quae mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam

unam, nonne accendit lucernam, et evertit domum, et quaerit diligenter, donec inveniat? *Luc.* XV, 8.

Quod si nosmetipsos diiudicaremus, non utique iudicaremur. *I Cor.* XI, 31.

Ex Ss. Patribus

O homo, discuta mentem, prospice singula segreta cordis; quid cor peccavit mala appetendo, oculos vanitatem videndo, os falsitatem dicendo, auris mendacia audiendo, manus verbera perpetrando. *Aug. ad frat. in Erem.*

Disce tibi praeesse, et vitam ordinare, et mores componere, teipsum apud temetipsum judicare, saepe etiam condemnare, nec impunitum dimittere. Sedeat judicans justitia, stet rea, et seipsum accusans conscientia. Nemo te plus diligit, nemo fidelius judicabit. Mane praeteritae noctis fac a temetipso excussionem, et venturae diei tu tibi indicito cautionem, vesperae praeteritae diei rationem exige, et supervenientis noctis fac indictionem. *Ber. de int. dom.* cap. XXXI.

Perpendite, quae dico, fratres, negotiator saecularis damna, et lucra quotidie computat, et si quidem damna perpessus fuerit, ea resarcire sollicite studet; sic etiam tu, carissime, serio facias, ac cures; diebus singulis, vesper, et mane examina, considera quo pacto se habeat negotiatio tua, ac mercimoniae ratio. *Ephr. de vit. beat.*

Hoc est primum opus necessarium, volenti redire ad Deum, ut cognoscat peccata sua. *Vinq. Fer. Ser. II in Sab. post Dom. II quadr.*

Exigitur ad remissionem, ut quis diligentiam adhibeat, ad remomorandum singula peccata mortalia, ut singula detestentur. *Thom. q. LXVXI*, art. I.

Discutite vos sine dolo, sine adulatione sine palpitatione. *Aug. Ser. V de Verb. Apost.*

Haec duo sibi invicem conjuncta sunt, ut cognoscere se non possit, nisi poenitoas, poenitere nisi cognoscat. *Bern. de int. dom.* cap. XXXI.

Non audes dicere te non esse peccatorem: discute conscientiam tuam; ascende tribunal mentis tuae, noli tibi parcere, examina te; loquatur tibi medulla cordis tui. *Aug. in Psal.* CI.

Cum nulla scientia melior sit illa, quae cognoscit homo seipsum, discutiamus cogitationes, locutiones, atque opera nostra: examinemus quae fecimus, si secundum quod debuimus, ea fecerimus. Val-

de siquidem est necessaria circumspectio examinationis. *Aug. lib. de Spir. et Anim.* cap. LI.

Statue te ante te, tanquam alium, et sic temetipsum plange, plora iniquitates, et peccata quibus Deum offendisti. *Ber. medit. de cognit. hum. condit.*

Stude cognoscere te, quia multo melior, et laudabilior es, si te agnoscis, quam, si te neglecto cognosceres cursum syderum, vires herbarum, complexionem hominum, naturas animalium, et haberes omnium coelestium et terrestrium notitia. *Idem ibid.*

Oportet a poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri. *Conc. Trid. de poen.* cap. 5.

Omisso hoc examine venit quod tam multi, sunt infirmi, et dormiunt in peccatis. Quis enim nostrum dicere potest: Mundus sum, peccatum non habeo? Qui hoc dicit, ipse se seducit, et veritas in eo non est, quia nunquam, et ut par est, examinat propriam conscientiam. Nihil enim magis ad perfectionem tuam confert, quam diligenter et sine adulatione examinare tuam conscientiam. Si onera tua, si officia Sacerdotum vel Clericorum diligentius excusseris, et conscientiae tuae sinus ac latebras exploraveris, quantas in ea videbis abominationes, quas ignoras ob defectum examinis. Si vero nonnisi rarissime, et velociter quasi in ictu oculis redis ad cor examinando conscientiam tuam, mirum non est, si temetipsum excaecans nihil invenis; invenires certo certius multa peccata, quae nunc pro meris scrupulis habes, post brevem diligentiam examinis. Si enim negligenter agis, in examinando conscientiam tuam, ipsa medicamenta convertis in vulnera, et inde habebis judicium unde poteras habere remedium, quia non judicasti causam tuam. Quando tu detigis, Deus tegit; quando tu celas, Deus revelat; ut autem possis bene revelare, debes bene examinare. Omnis alia scientia enim saepe vanitati servit, et inducit ad malum: suorum autem scelerum notitia utilissima est, quia tumorem animi deponit, et ad contritionem inducit: et hac de causa utilius est homini si delictorum, quam si bonorum operum recordatur: quoniam ex recordatione bonorum operum tumescit, et tumendo illorum meritum perdit; delictorum autem memoria est superbiae fraenum, humilitatis incentivum, ut Apostoli comprobatur exemplo, qui licet a suis sceleribus absolutus, gratia sanctificatus, et ad Apostolicam dignitatem sublimatus, revocans tamen ad memoria praeterita, et jam condonata delicta, se Apostolico honore indignum profitetur: *Jam non sum dignus*, in-

quit, *vocari Apostolus quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei* (*I Cor.* V). Inquisitio, et inspectio delictorum peccatores inducit ad postulandam delictorum veniam: idcirco Regius Vates iniquitatis suae postulat indulgentiam, quia iniquitatem se fecisse cognoscit. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam ... quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper* (*Psal.* L). Quid igitur restat, et quid concludendum? Nisi, ut totus incumbas huic operi tam sancto, tam necessario?

20. Visitatio SS. Sacramenti

Ex Sacris Scripturis

Custodiatur in futuras retro generationes ut noverint panem, quo alui eos in solitudine. *Exod.* XVI, 32.

Reminiscentur, et convertentur ad Dominum universi fines terrae: et adorabunt in conspectu ejus universae familiae gentium. *Psal.* XXI, 27.

Etenim passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi ubi ponat pullos suos: Altaria tua, Domine virtutum, Rex meus, et Deus meus. *Psal.* LXXXIII, 3, 4.

Exaltate Dominum Deum nostrum: et adorate scabellum pedum ejus: quoniam sanctum est. *Psal.* XCVIII, 5.

Non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec taedium convictus illius, sed laetitiam et gaudium. *Sap.* VIII. 16.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. *Isa.* XII, 3.

Omnes sitientes venite ad aquas; et qui non habetis argentum, properate, emite, et comedite: venite emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum, et lac. *Isa.* LV, 1.

Viae Sion lugent eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem. *Thren.* I, 4.

In illa die erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris, et menstruatae. *Zacc.* XVI, 1.

Trahe me post te, curremus in odorem unquentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua: exsultabimus et laetabimur in te, meliores uberum tuorum super vinum: recti diligunt te.*Cant.*I,3.

Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. *Matth.* XI, 28.

Et ecce vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consumationem saeculi *Matth.* XXVIII, 20.

Ubicumqne fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilae. *Luc.* XVII, 37.

Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. *Hebr.* IV, 16.

Ex Ss. Patribus

Quid enim excusabimus, aut quam veniam obtinebimus, si cum ipse nostra causa descendit de Coelis, nos ad illum, vel ex aedibus exire gravemur? *Gris. hom. de S. Philog.*

Qui tribulationem carnis habent, veniant ad mensam potentis, et tribulationes fient consolationes. *Gris. sup. psal.* XXII.

Est hoc altissimum, et dignissimum Sacramentum salus animae et corporis, medicina spiritualis languoris, in quo vitia mea curantur, passiones fraenantur, tentationes vincuntur, et minuuntur, gratia major infunditur, virtus incepta augetur, firmatur fides, spes roboratur, et caritas dilatatur. *De imit. Chr.* lib. IV, cap. IV.

Quotiescumque ad hoc sacramentum accedo, decoquor cum immutor; digeror cum trasformor, unior cum conformor. *Bern. ser. LXI in Cant.*

Christus ergo per mysterium suum tibi semper videatur in ore; Christus per sui amoris incendium tibi semper vivat in mente. *Petr. Dam. Ep. I* cap. III.

Non indiget nostra servitute, nos indigemus ejus dominio. *Aug. in Psal.* XV.

Per haec mysteria coelum terra factum est; quid enim in coelo est, quod magis honestat quam ipse Christus? At hic per hoc sacramentum in terra est, et nobiscumque versatur. *Isid. Clar. Orat.* XX.

Tuta habitatio paradisus; dulce pabulum Verbum, habeo ego Verbum, sed in carne: veritas mihi opponitur, sed in sacramento. *Bern. Ser. XXXIII in Cant.*

Qui vulnus habet, medicinam requirit: vulnus est, quia sub peccato sumus: medicina est, caeleste et venerabile sacramentum. *Ambr. de sacrament.*

Deus lucem habitat inaccesibilem: hanc enim mortales videre nequeunt absque jactura vitae. Deum enim nemo videbit et vivet. Neque Deus tantum in sua natura divina, est viatoribus invisibilis, sed etiam gloria dominici corporis nequit videri absque detrimento, ideoque illam occultat Christus in sacramento. Non quod non sit praesens viatoribus qui degunt in terra, non secus ac comprehensoribus qui regnant in coelis, sed quia non eodem modo

praesens est. Sed volens conversari cum hominibus, sub forma servi suam occultavit majestatem, ut posset obtinere tuam adorationem. Christus sub velis sacramenti suam occultans gloriam, erudit nos habere erga seipsum confidentiam,fiduciam, conversationem frequentem. Ad quid enim voluit manere nobiscum diu noctuque in sacramento? quam ob causam declaravit suas delicias esse cum filiis hominum? nisi ut nos aeque ac ipse delicias nostras haberemus, conversari saepe saepius cum ipso? Crede viva fide, carnem, sanguinem, animam Christi, Deitatem velatam et quidquid est Deus, esse in SS. Eucharistia, sive vi verborum, sive per concomitantiam. Non deberet ergo hic cibus omnem tuum appetitum satiari! Toties hoc pasceris, et tamen ad caepas Aegipti, ad delectamenta sensuum, ad creata suspiras et pervolas, et horas non consumas in adorationem SS. Sacramenti. O pudor!

21. Horror peccati

Ex Sacris Scripturis

Non sic impii, non sic: sed tamquam pulvis, quem projicit ventus a facie terrae. Ideo non resurgent impii in judicio: neque peccatores in concilio justorum. Quoniam novit Dominus viam justorum: et iter impiorum peribit. *Psal.* I, 4 et seqq.

Quoniam tu (*Deus*) percussisti omnes adversantes . . . dentes peccatorum contrivisti. *Psal.* III, 7.

Consumetur nequitia peccatorum. *Psal.* VII, 119.

In operibus manuum suarum comprehensus est peccator. Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes, quae obliviscuntur Deum. *Psal.* IX, 16, 17.

Pluet super peccatores laqueos: ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum. *Psal.* X, 6.

Quia peccatores peribunt. *Psal.* XXXVI, 20.

Iniquitates suae capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur. *Prov.* V, 22.

Leo venationi insidiatur semper: sic peccata operantibus iniquitatem. *Eccli.* XXVII, 11.

Auditae coeli, et auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est: filios enutrivi, et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. *Isa.* I, 2.

Haec dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Vos vidistis omne malum illud, quod adduxi super Jerusalem, et super omnes urbes Juda: et ecce desertae sunt hodie: et non est in eis habitator: propter malitiam, quam fecerunt, ut me ad iracundiam provocarent.

. . . Et non poterat Dominus ultra portare propter malitiam studiorum vestrorum, et propter abominationes, quas fecistis: et facta est terra vestra in desolationem, et in stuporem, et in maledictum, etc. *Jerem.* XLIV, 2, 3, . . 22.

Profunde peccaverunt . . . recordabitur iniquitatis eorum (*Deus*), et visitabit peccata eorum . . . Abalienati sunt in confusionem, et facti sunt abominabiles. *Oseae* IX, 9, 10.

Amen, amen dico vobis quia omnis, qui facit peccatum, servus est peccati. *Joan.* VIII, 34.

Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere. *Joan.* VIII, 44.

Scimus autem, quia peccatores Deus non audit. *Joan.* IX, 31.

Ex Ss. Patribus

Unusquisque peccando animam suam diabolo vendit, accepta tamquam pretio dulcedine temporalis voluptatis. *Aug. in epist. ad Rom.*

Etsi multi gehennam omnium malorum supremum, atque ultimum putant, ego tamen sic censeo, sic assidue praedicabo, multo acerbius esse Christum offendere, quam gehennae malis vexari. *Gris. hom. XXVII in Matth.*

Malorum omnium causam constat esse peccatum; ex peccato tristitia, ex peccato tumultus, ex peccato bella, morbi, atque omnes quotquot nos premunt passiones. *Gris. hom. V de poen.*

Nullum peccatum committi potest nisi dum appetuntur ea, quae Christus contempsit, aut fugiuntur quae ipse sustinuit. *Aug. de ver. Relig.*

Sicut quandiu cadaveris materia est, vermes pascuntur ex putredine, sic ex ipsa materia peccatorum supplicia gignuntur. *Hier. lib. in Isa.* cap. XIV.

In peccato nihil magis tam impium, quam in eo stare, et in casu nihil pejus est, quam in eo jacere. *Cass. de pecc.*

Peccare humanum est, perdurare autem in flagitiis non humanum sed penitus diabolicum! *Gris. ep. V ad Theod.*

Qui pectus suum tundit, et se non corrigit, peccata solidat, non tollit. *Aug. in quod. ser.*

Tanto majus peccatum esse cognoscitur, quanto major, qui peccat habetur. Crescit enim delicti cumulus juxta ordinem meritorum: et saepe quod minoribus ignoscitur, majoribus imprectatur. *Isid. de sum. bon.* lib. II, cap. XVIII.

Vide ne rursus tibimetipsis crucifigas Filium Dei, rursus fabri-

cans crucem, in qua crucifigatur ille, qui resurgens ex mortuis jam non moritur. *Pet. Dam. ser. XLVII.*

Nunc autem et ipsum Deum premit peccator, voluntas propria, omnino enim vellet Deum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut nescire. Vult ergo eum non esse Deum, quia vult eum aut impotentem, aut injustum esse, aut insipientem. Crudelis plane et omnino execranda malitia, quae Dei potentiam, justitiam, sapientiam perire desiderat. *Ber. serm. III de Temp. Pass.*

Peccator divinam praesentiam, potentiam, et scientiam non recognoscit, neque formidat. Non praesentiam, nam ejus immensitatem restringit, nube involvit, coeli cancellis claudit, aiens: *Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, circa cardines coeli ambulat* (*Job.* XXII); quasi non sit extra illos, neque terram involvat ejus immensitas. Non judiciariam potentiam, aiens, *derelinquit Dominus terram* (*Eccles.* VIII); quasi nullo modo curet quae fiunt in terra. Non denique conspectum et scientiam, aiens: *non videt Dominus* (*Eccles.* VIII). Dei tollens omnem scientiam, oculumque ejus semper apertum, non vigilem, sed sopitum fingens: hinc tollere a Deo immensitatem, omniscentiam, et omnipotentiam est velle Deum destruere. Et non tibi videtur peccatum esse horribilem! Adde quod anima enim tua erat induta ante peccatum veste polymita, hoc est omni virtutum genere, ac varietate ditata. Perpende! Quam decora vestis, non humana, sed divina arte contexta. Quam stupenda, et rara vestis; cujus sartor est Spiritus Sanctus; cujus pretium Christi merita; cujus tinctura, et murex, Verbi humanati sanguis; cujus decor est gratia; cujus materia est charitas, caeteras fere virtutes secum habens adnexas. At per peccatum despoliantur interiores homines, id est, animae scelerosae de justitia in iniquitatem cadentes; exuuntur gratia sanctificante, caritate caeterisque virtutibus moralibus, supernaturalibus, quibus velut gemmis et auro intexta erat praetiosa, et decora justitiae vestis. Quantum malum!

22. Detractio

Ex Sacris Scripturis

Diis non detrahes, et principi populi tui non maledices. *Exod.* XXII, 28.

Quare ergo non timuistis detrahere servo meo Moysi? *Num.* XII, 8.

Noli ire cum eis, neque maledicas populo, quia benedictus est. *Num.* XXII, 12.

Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum. *Psal.* XIII, 3.

Qui loquitur veritatem in corde suo: qui non egit dolum in lingua sua: nec fecit proximo suo malum, et opprobrium non accepit adversus proximos suos. *Psal.* XIV, 3.

Prohibe linguam tuam a malo. *Psal.* XXXIII, 13.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem. *Psal.* XXXVII, 20.

Quia exacuerunt, ut gladium linguas suas: intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum. *Psal.* LXIII, 4.

Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar. *Psal.* C,5.

Remove a te os pravum, et detrahentia labia sint procul a te. *Prov.* IV, 24.

Abscondunt odium labia mendacia: qui profert contumeliam insipiens est. *Prov.* X, 18.

Cum defecerint ligna, extinguetur ignis: et susurrone subtracto, jurgia conquiescent. *Prov.* XXVI, 20.

Custodite ergo vos a murmuratione, quae nihil prodest, et a detractione parcite linguae. *Sap.* I, 11.

Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occulto detrahit. *Eccles.* X, 11.

In cogitatione tua regi ne detrahas, et in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti; quia et aves coeli portabunt vocem tuam, et qui habet pennas, annuntiabit sententiam. *Eccles.* X, 20.

Susurro coinquinabit animam suam, et in omnibus odietur. *Eccli.* XXI, 31.

Detractores Deo odibiles, etc. *Rom.* I, 30.

Deponentes igitur omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et omnes detractiones. Sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite; ut in eo crescatis in salutem: si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus. *I Pet.* II, 1 et seqq.

Nolite detrahere alterutrum, fratres. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, et judicat legem. *Jacob.* IV, 11.

Ex Ss. Patribus

Leo leoni parcit, lupus lupum non comedit, et quasi omnes ferae crudeles aliis feris, sui generis parcunt; solus detractor sibi similes satagit divorare. *Laur. Just. apud Bern. Sen.* tom. I, ser. XXIX.

Detrahens, fraternas carnes comedisti, proximi carnem momordisti: unde et Paulus terruit dicens: Si autem vos invicem morde-

tis, et comeditis, videte ne ab invicem consumamini. *Chrys. hom. III ad Pop.*

Admirabile verbum protulit dicens; gladius triceps lingua detractoris, ne hujusmodi linguam mucrone illo, quo dominicum latus confossum est, crudeliorem dicere voceris. *Clim. de Scal. Parad.* grad. X, tom. II.

Detractio est secreta bona occultare, occulta bona denigrare, bona in mala invertere, bonis mala miscere, occulta mala manifestare, audita mala augmentare, atque falsa crimina imponere, quae sunt septem draconis, id est, detractionis capita. *Bernard. Sen.* tom. II, ser. XXIX, cap. VII.

Fit detractio per malevolentiam, cum quisque non solum voce, ac ore corporis profert, quod contigit in aliquem, sed etiam tacitus talem vult credi. *Aug. lib. de Mendoc.* cap. X.

Detractor et libens auditor, uterque Diabolum portat in lingua. Si pauper es, vilem et abiectum te reputat: si dives, abitiosum, avarum et cupidum: si affabilis, dissolutum: si praedicator vel doctor, honoris et humani favoris quaesitorem: si tacens, inutilem: si jejunans, hypocritam: si comedens, voratorem. *Ber. in ser.* IV.

Omnem, qui palam veretur dicere, quod in aure loquitur, suspectum habeas : quod si coram te judicare ille renuerit, delatorem judices, non accusatorem. *Ber. de consid.*

Dentes dicti sunt a demendo, ideo pulchre linguae detrahentium dentes vocantur, quia sicut illi ciborum partes demunt: ita et isti opiniones hominum corrudunt. *Cassi. sup. Psal.* VII.

Numquid non vipera est lingua detractoris ferocissima? plane nimirum, quae tam laetaliter inficiat flatu uno. Numquid non lancea est lingua ista? profecto acutissima, quae tres penetrat ictu uno. *Ber. in ser.*

Sicut sagitta, si mittatur contra duram materiam, nonnunquam in mittentem revertitur, et vulnerat vulnerantem : ita detractor, quum tristem faciem viderat audientis, imo non audientis, sed obturantis aures suas, ne audiat sanguinem: illico conticescit, pallet vultus, haerent labia, saliva siccatur. *Hier. in ep. ad Rus. mona.*

Pejor est detractio in magnis viris, quam in plebeis. *Aug. lib. III cont. Petol.*

Si hilari vultu detractorem audieris, tu illi das fomitem detrahendi: si vero tristi, ut ait quidam, discit non libenter dicere, quod dicit non libenter audiri. *Aug. sup. illud Psal. Pro eo ut me dilig. detrah.*

Multi sunt detractores qui palam et imprudenter diffamant, et

gloriantur se esse tales. Et quandoque verbis communibus, quandoque verbis apertis, quandoque derisionibus, quandoque sibilis, quandoque simulatis atque mutatis vocibus, quandoque libellis famosis, quandoque cantilenis, quandoque literis, quandoque nutibus et signis, detractor vibrat tela, quibus ferit, et aliorum famam cruentat. Et sicut tradux, nova pampinorum ambitione vitem propagat, sic aures, et linguae convitia, quae exceperunt, amplificant, et publicant per novos traduces linguarum, et aurium. Et uti massa nivis ita grandescit, ut in torrentes, rivos, imo et fluvios, rapido cursu diffluat: quemadmodum scintilla magnum efficit incendium, sic detractionis verba mirum in modum aucta, in aures serpit, vires acquirit eundo. Vide hinc quam magnum malum sit detrahere. Cogitasti ne haec aliquando? Imo sic mecum examina, et reflecte. Susurrator pejor fure, quoniam majus infert nocumentum proximo quam fur; namque fur tollit bona exteriora, susurrator autem famam. Tollens autem famam tollit fundamentum bonorum, quae quis potest comparare, imo et sperare: aufert enim famulis, quos fures vocat, salarium, quod lucrati fuissent serviendo; advocatis, quos ignaros proclamat, facultates, quas fuissènt consecuti patrocinando: Concionatori, quem dissolutum, vel imperitum, decantat, fructum spiritualem, quem comparasset praedicando. Hinc non immerito detractor primaevae praevaricationis aemulator venenum, et sicut originalis culpa serpit in omne genus humanum, ita detractio longe, lateque propagatur. Et si vitiis aliquando parcit, virtus perpetuo insectatur. Imo murmurator unus, saepe circulum integrum ad murmur trahit. Cave tu incipias, cave incipiente alio prosequeris. Facies, si assuescas aliorum actiones apud te in bonum interpretari. Ad judicia Dei respice, hominum condemnas. Isti corticem vident, Deus medullam. Noli timere hos susurrones, et adverte etiam bonos quandoque suas formare censuras zelo indiscreto.

23. Simplicitas

Ex Sacris Scripturis

Dixitque ad eum (*Abimelech*) Deus: Et ego scio, quod simplici corde feceris, et ideo custodivi te, ne peccares in me, et non dimisi ut tangeres, etc. *Gen.* XX, 6.

Scio, Deus meus, quod probes corda, et simplicitatem diligas, unde et ego in simplicitate cordis mei laetus obtuli universa haec, etc. *I Par.* XXIX, 17.

Dixitque Dominus ad eum (*Satanam*): Nunquid considerasti ser-

vum meum Job, quod non sit ei similis in terra, homo simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo? *Job* I, 8.

Simplicitas justorum dirigit eos: et supplantatio perversorum vastabit illos. *Prov.* XI, 3.

Justus, qui ambulat in simplicitate sua, beatos post se filios derelinquet. *Prov.* XX, 7.

Melior est pauper ambulans in simplicitate sua, quam dives in pravis itineribus . . . Qui ambulat simpliciter salvus erit. *Prov.* XXVIII, 6, . . 18.

Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae. *Matth.* X, 16.

Volo vos sapientes esse in bono, et simplices in malo. *Rom.* XVI, 19.

Et ego, cum venissiem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiae annuntians vobis testimonium Christi. *I Cor.* II, 1.

Nam gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae, quod in simplicitate cordis, et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei, conversati sumus in hoc mundo. *II Cor.* I, 12.

Ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem, quae operatur per nos gratiarum actionem Deo. *II Cor.* IX, 11.

Timeo autem, ne, sicut serpens Hevam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, et excidant a semplicitate, quae est in Christo. *II Cor.* XI, 3.

Ut sitis sine querela, et simplices filii Dei, sine reprehensione. *Philipp.* II, 15.

Simplici ex corde invicem diligite attentius. *I Pet.* I, 22.

Ex Ss. Patribus

Ut interior oculus vere simplex sit, duo sunt necessaria, caritas in intentione, et in electione veritas. *Ber. de praec. et disp.*

Nihil simplici corde felicius, quia quo innocentiam erga alios exhibet, nihil est, quod pati ab aliis formidet, habet enim quasi arcem quandam fortitudinis, simplicitatem suam. *Greg.* lib. XII *Moral.*

Quis sanctior potest esse, quam qui verae simplicitatis virtutem tenens numquam aliud corde premit, aliud ore vultuve mentitur? *Hier. ad Demetr.* I.

Simplicitas spiritualium plurimum est veneranda, quia se nec extollere noverunt, et conscia puritate magis Deo, quam hominibus placere contendunt. *Justin. in Cant.*

Simplicitas apud Deum in summo pretio est. *Damasc. lib. I Paral.*

Nihil divitius viro simplici. Quid enim simplicitate, divitius? quae sicut bonus paterfamilias satis sibi abundat, et sua puritate contenta, non quaerit alienum, nec abrodit, sed de caeteris fingit, nec se in artes varias saepe commutat, sicut astutia: quae ut sit cauta, timet omnia, nec suis consiliis credit, versat ipsa suas sententias, simplicitas autem timere nihil novit. *Hier. sup. Oseam.*

Omnibus nobis in conversionis initio, nulla virtus magis necessaria est, quam simplicitas humilis, et gravitas verecunda. *Ber. in quod. ser.*

Nihil simplici corde felicius: quia ex quo innocentiam erga alios exhibet, nihil est, quod pati ab aliis formidet. Habet enim quasi artem quandam simplicitatem suam, nec suspectus est, pati, quod se fecisse non meminit. At contra mens prava semper in laboribus est, quia autem molitur mala quae inferat: aut maluit, ne sibi haec ab aliis inferantur. *Greg. in Moral. tract. illud Estote prud.*

Simplicitas sine rectitudine dissoluta est, et stulta: rectitudo autem sine semplicitate austera nimirum existit et dura; verum utraque virtus conjuncta, perfectum reddit hominem. *Ber. serm. IV de temp.*

Ista simplicitas respicienda est quantum ad aspectum,et affectum. Si simplicitatem amas debes habere aspectum simplicem, scilicet ut ipsum ad Deum dirigas tantum, et tunc totum corpus, idest congeries operum, erit lucidum, hoc est Deo gratum, unde ait Christus: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit* (*Matth.* VI). Istam simplicitatem aspectus non habes, si cum uno oculo vis respicere in coelum, et cum alio in terram; idest si vis simul diligere Deum et mundum. Time ne eveniat in te, quod in aquila. Aquila enim pullos quos videt, coelum aspicere tanquam proprios nutrit, quos autem ad terram tanquam degeneres abiicit. Debes habere simplicitatem affectus, ut simplici corde non duplici proximum diligas: *Simplici ex corde invicem diligite attentius*, ait Petrus (*I Petr.* I). Istam simplicitatem affectus non habes quidem, si in ore simulas dilectionem, et in corde servas rancorem; et ideo non habes simplicitatem columbinam, quae caret felle amaritudinis, et rancoris. At tu habitu et specie externa, qui hac simplicitate cares, videris pius et religiosus, pie ac sancte loqueris, Ecclesiae et morum reformationem clamitas, impia tua dogmata suavi sermone, et blandiloquentia insinuas, in omnibus

profiteris Christianum, cum sis nequissimus opere; pro te feris sanctimoniam, et turpiter vivis; mundum spernendum praedicas, et post terrena anhelas: jejuniis insistere iactas, et gulae indulges. Es cunctis urbanus, verbis byssinis obsequium et amicitiam polliceris, mel in ore gestas; at interiora plena sunt dolo, et dum fidelitatem promittis, fraudes, proditiones et insidias mediteris. Ubi est, quaeso illa simplicitas Christiana? Sepone illusiones, cum de Deo, aut de virtute agitur. Frustra excusas te verbis, ubi te facta accusant.

24. Peccatorum poena

Ex Sacris Scripturis

Dominus patiens, et multae misericordiae auferens iniquitatem et scelera, nullumque innoxium derelinquens; qui visitas peccata patrum in filios in tertiam et quartam generationem. *Num.* XIV, 18.

Feceruntque filii Israel malum in conspectu Domini et servierunt Baalim . . . Iratusque Dominus contra Israel tradidit eos in manus diripientium, qui ceperunt eos, et vendiderunt hostibus, etc. *Judic.* II, 11, 14.

Peccavimus in conspectu tuo, et idcirco tradidisti nos in manus inimicorum nostrorum. *Esther* XIV, 6.

Vultus autem Domini super facientes mala: ut perdat de terra memoriam eorum. *Psal.* XXXIII, 16.

Justitia elevat gentem: miseros autem facit populos peccatum. *Prov.* XIV, 34.

Vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis: dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. Super quo percutiam vos ultra, addentes praevaricationem? omne caput languidum, et omne cor moerens. *Isai.* I, 4, 5.

Terra vestra deserta, civitates vestrae succensae igni: regionem vestram coram vobis alieni devorant, et desolabitur sicut in vastitate hostili. *Isai.* I, 7.

Quis dedit in direptionem Jacob, et Israel vastantibus? nonne Dominus ipse cui peccavimus? Et noluerunt in viis ejus ambulare . . . Et effudit super eum indignationem furoris sui, et forte bellum, etc. *Isai.* XLII, 24.

Elevare, elevare, consurge Jerusalem, quae bibisti de manu Domini calicem irae ejus: usque ad fundum calicis soporis bibisti, et potasti usque ad feces . . . Haec dicit Deus: Ecce tuli de ma-

nu tua calicem soporis fundum calicis indignationis meae, non adiicies, ut bibas illum ultra. *Isai.* LI, 17, . . 22.

Sed iniquitates vestrae diviserunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret. *Isai.* LIX, 2.

Quam ob rem prohibitae sunt stillae pluviarum, et serotinus imber non fuit: frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. *Jerem.* III, 3.

Non est uva in vitibus, et non sunt ficus in ficulnea, folium defluxit: et dedit eis, quae praetergressa sunt. . . Convenite, et ingrediamur civitatem munitam, et sileamus ibi: quia Dominus Deus noster silere nos fecit, et potum dedit nobis aquam fellis: peccavimus enim Domino. Expectavimus pacem, et non erat bonum: tempus medelae et ecce formido. *Jerem.* VIII, 13 et seqq.

Scito et vide quia malum est et amarum reliquisse te Dominum, et non esse timorem Dei apud te, dicit Dominus exercituum. *Jerem.* XIX, 19.

Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. *Rom.* XIV, 21.

Ex Ss. Patribus

Quare patimur multa mala a creaturis, quas fecit Deus, nisi quia offendimus Deum? De poena tua peccatum tuum accusa non Judicem. *Aug. tract. I. in Joan.*

Intueatur ergo quisque animam suam: si peccat, moritur; peccatum mors est animae. *Aug. tract. XLIV in Joan.*

O homo, vita animae tuae Deus est. Quomodo moritur corpus amissa anima, quae vita ejus est; sic moritur anima, amisso Deo, quia vita est ejus. *Aug. tract. XLVII in Joan.*

Illa est poena peccati justissima ut amittat unusquisque illud, quo bene uti noluit, cum sine ulla difficultate posset, si vellet: idest, ut qui sciens recte non facit, amittat scire quid rectum sit: et qui rectum facere cum posset, noluit, amittat posse, cum velit. *Aug. de lib. arbitr.* lib. III.

Hoc dicimus quod tantum unusquisque a divinitate repellitur, quantum ejus peccata cumulantur. Quantitas enim delicti mensura est repudii, quia tantum a Deo reus longior redditur, quantum numeroso crimine dilatatur. *Cassi. sup. Psal. V expel. eos.*

Juste puniuntur, qui licitis abutuntur: justius vero puniuntur, qui aliena rapere conantur: sic Satanas coelum, sic protoplastus perdidit paradisum. *Hugo de anim.* lib. II.

Calamitatum nomina philosophantibus sunt tantum nomina, vera autem calamitas Deum offendere. *Chrys. hom. V ad Popul.*

Proprii reatus conscientia non me requiscere sinit, sed de die in diem vehementer me torquet. *Ber. tract. de Inter. Do.* cap. XVIII.

Conscientia mala contristat animum, eamque Deo exibet immundam, Angelis foedam, sibi ipsi turbatam et inquietam. *Idem ibid.*

Nulla poena gravior mala conscientia, quoniam nunquam securus est reus animus, mens enim malae conscientiae propriis agitatur stimulis. *Isid. Solil.* II.

Quidquid vis, potes fugere, homo, praeter conscientiam tuam. Intra in domum tuam, requiesce in lecto tuo, intra interiora, interius nihil potes habere, quo fugias a conscientia tua, si rodent te peccata tua. *Aug. in Psal. XXX.*

Deus ante supplicium infligit: peccatum enim in se continet poenam, antequam puniatur. *Chrys. in Psal.* CXXIV.

Nihil enim est quod majoris doloris sit, quam culpae reatus. *Ambr. lib. I de Arca, et Noe*, cap. I.

Magna est velut mare contritio tua. Quid per mare nisi conscientia prava accipitur, quam ut memoria praeteritorum scelerum, et delectatio praesentium huc illucque impellendo exagitat? . . . Et quia in hac tanta contradictione, illa qualiscumque miserae delectationis dulcedo, semper admixto dolore inficitur, recte prava conscientia non solum inquietudine, sed etiam amaritudine, mare appellatur. *Ugo Victor. sup. Jerem.* cap. II.

Neque enim mihi dixeris peccatorum mensa sumptuosa frui, vestis circumdari sericis, mancipiorum greges circumferre, alias submovere in foro: sed explica mihi istius conscientiam, et videbis intus gravem peccatorum tumultum, ingementem metum, tempestatum turbinem. *Chrys. hom. I de Lazar.*

Ex praefatis colligenda sunt: a peccatis oriri calamitates publicas, quae tanquam ob iram et offensam Dei incidere solent, ut fulmina, grandines, aurae pestilentes, hiatus, motusque terrarum, diluvia, bella, cunctaeque maledictiones, plagae, strages, et flagella, quae sacer dinumerat textus (*Deut.* XXXVIII). An non ob nefanda crimina orientales Christiani a regno Hierosolymitano a Saracenis ejecti sunt? An non ob Graecorum scelera Constantinopolitanum imperium ab Otthomanis debellatum, et occupatum est? An non ob flagitia Christianorum hac tempestate publicas videmus calamitates? Disce strages, quibus punitur peccatum, ex sacris paginis: lege illas in historiis tum sacris, tum prophanis, vide illas tuis oculis in tota Europa, bello, fame, et peste devastata, et

scito justissimam esse tantam poenam ob Dei offensam. Deus ille cujus natura bonitas, illud tot tantisque cladibus flagellat. Quot hac aetate terrae motus, qui domos, urbes, et provincias subvertunt? quot naufragia quae naves et classes integras absorbent, quot incendia, quae arces munitissimas, et civitates opulentissimas reducunt in cineres? Tot bella, tot clades, quae a terra, aqua, et igne accidunt, sunt ut plurimum signa irae Dei, qui ad punienda peccata utitur elementis. Adde quod cuncta ista flagella, quibus in hoc seculo puniuntur peccata et peccatores, esse duntaxat guttam irae divinae. In altero seculo justitiae et severitatis torrens inundat. Nam quemadmodum in caelo Deus potat Beatos torrente voluptatis, ita in inferno *spiritus ejus quasi torrens inundans ad perdendas gentes in nihilum* (*Job.* XIX). Clades quas his diebus patimur denotat, *Calix in manu Domini plenus mixto, veruntamen fex ejus non est exinanita bibent omnes peccatores* (*Psal.* LXXIV). Sed tot flagella a Deo immissa in peccatores esse tot admonitiones, quae nos a peccatis dimovere debent. Nos agnoscere publicarum calamitatum auctores nos esse, et ideo, dolere de peccatis, et per poenitentiam placare Deum, quem nostris peccatis provocavimus. Quapropter, Christiane, si divitiarum amor, et summa egestas, ad quam redactus,et omnia mala quas perpessus es propter peccata, non te retraxit a culpa, saltem contumeliae, infamiae et damnationis metus a delictis te avertant; et propter peccata depauperaris, infamaris, damnaris. Haec diu noctuque meditare, et non peccabis.

23. Tribulatio

Ex Sacris Scripturis

Merito haec patimur (*dicebant fratres Joseph*), quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustias animae illius, dum deprecaretur nos, et non audivimus: idcirco venit super nos ista tribulatio. *Gen.* XLII, 21.

Et omne quod potest transire per flammas, igne purgabitur. *Num.* XXXI, 23.

Pane tribulationis, et aqua angustiae *jussus est propheta Michaeas sustentari in carcere, quia noluit Achab respondere juxta voluntatem. III Reg.* XXII, 27.

De populo suo loquens Judith, dicebat; Memores esse debent, quomodo Abraham pater noster tentatus est, et per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. *Judith.* VIII, 22.

Beatus homo, qui corripitur a Deo: increpationem ergo Domini

ne reprobes: quia ipse vulnerat, et medetur: percutit, et manus ejus sanabunt. In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum. *Job* V, 17, et seq.

Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde: et humiles spiritu salvabit. Multae tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus. *Psal.* XXXIII, 19, 20.

Invoca me (*ait Dominus*) in die tribulationis: eruam te, et honorificabis me. *Psal.* XLIX, 15.

Bonum mihi quia humiliasti me (*Deus*) ut discam justificationes tuas. *Psal.* CXVIII, 71.

Disciplina Domini, fili mi, ne abjicias: nec deficias cum ab eo corriperis: quem enim diligit Dominus, corripit: et quasi pater in filio complaceat sibi. *Prov.* III, 11, 12.

Sicut igne probatur argentum, et aurum in camino: ita corda probat Dominus. *Prov.* XVII, 3.

In paucis vexati, in multis (*justi*) bene disponentur: quoniam Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se. Tamquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum. *Sap.* III, 5, 6.

Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia, et timore, et praepara animam tuam ad tentationem. . . Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe: et in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles, in comino humiliationis. *Eccli.* II, 1, . . 4, 5.

Vasa figuli probatur fornax, et homines justos tentatio tribulationis. *Eccli.* XXVII, 6.

Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluviae in tempore siccitatis. *Eccli.* XXXV, 26.

Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. *Matth.* V, 10.

Tunc tradent vos in tribulationem, et occident vos: et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. *Matth.* XXIV, 9.

Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo . . . . Tristitia vestra vertetur in gaudium. *Joan.* XVI, 2, 20.

Ego enim (*ait Paulus*), non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum propter nomen Domini Jesu. *Act.* XXII, 13.

Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis: scientes, quod probatio fidei vestrae patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet etc. *Jacob.* I, 2, 3, 4.

Ex Ss. Patribus

Nullus servus Christi sine tribulatione est. Si putas te non ha-

bere persecutiones, nondum coepisti esse Christianus. *Aug. in ser.* XV.

Quod te Dominus permisit pati, flagellum corrigentis est, non poena damnantis. Ad haereditatem sempiternam erudimur, et flagellari didignamur? *Aug. sup. Joan.* cap. VI.

Omnipotens electorum suorum adversarios temporaliter permittit exercere, ut per malorum saevitiam purgetur vita bonorum. Nunquam quippe Dominus adversarios bonis permittet, nisi in quantum prodesse viderit. Nam dum injusti saeviunt, justi purgantur, et utilitati innocentium militat vita pravorum, dum hanc et premendo humiliat, et humiliando semper ad melius format: quia mala reproborum bonos, dum cruciant, purgant. Utilitati justorum militat etiam potestas pravorum. *Greg. in Moral.* III.

Flagellum interius et exterius glorificat. Creatorem compellit nolentem, erudit ignorantem, custodit virtutem, protegit infirmantem excitat torpentem, humiliat superbientem, purgat poenitentem, coronat innocentem, initiat ad mortem semper viventem. *Aug. sup. Psalm.* LII.

Electis suis ad se pergentibus Dominus hujus mundi iter asperum facit, ne dum quisque vitae praesentis requie quasi viae amaenitate pascitur, magis eum diu pergere, quam citius pervenire delegit: ne dum oblectatur in via, obliviscatur, quod desiderabat in patria. *Greg. sup. hom. Hom. quid fecit.*

Mala Lazari purgavit ignis inopiae, et bona divitis remuneravit felicitas transeuntis vitae: illum paupertas afflixit et torsit: istum abundatia remuneravit et repulit. *Greg. hom. XL.*

Parva toleramus, si recordemur, quid biberit ad patibulum, qui nos invitat ad coelum. *Cass. sup. Psal.* LXI.

Forsitan temporaliter te punit, ut aeternae mortis ardores poena redimat temporalis: in aedificatione enim temporali omnes lapides prius malleis tundantur, ne in illorum positione sonus mallei audiretur; nec in horreo Domini reponitur granum, donec flagellis aut triturantium pedibus sit excussum: sic et vivi lapides, qui ponendi sunt in illa coelesti Hierusalem, quae aedificatur, ut civitas, variis infortuniorum concussionibus potiuntur, priusquam in aedificio coelestis habitaculi collocentur. *Pet. Chrysol. in ser.XIV.*

Nemo quantum profecerit nisi inter adversa, cognoscit: quia unusquisque superni doni gratiam in tranquillitate quietis percipit, sed quantum perceperit, in adversitate perturbationis ostendit. *Greg. supr. Job* cap. VII.

Plerumque postquam in hoc mundo non possumus obtinere quod volumus; postquam in desideriis terrenis de impossibilitate lassamur, nec mentem ad Deum reducimus, tunc placere incipit, quod

displicebat, et quae nobis amara fuerant, praecepta repente dulcescunt in memoria, peccatrix anima, quae ad altera conata esse non potuit, decernit esse fideliter conjux. Qui ergo hujus mundi adversitatibus fracti ad Dei amorem redeunt, atque a praesentis vitae desideriis corriguntur: quid isti, fratres carissimi, nisi ut intrent, compelluntur? *Greg. in hom. Homo quidam fecit coen. mag.*

Tribulatio quam homines patiuntur tripliciter potest considerari. Aut prout est praeterita, et tunc relinquit rancorem in corde. Aut prout est praesens, et tunc habet annexum dolorem. Aut prout dubitatur, et tunc habet timorem. Et sub his tribus respectibus tribulatio est quaedam tempestas, quae mentem conturbat. Est sicut quaedam pluvia quae multas lacrymas generat. Est quoddam nubilum, quod mentem obscurat. Unde tribulatio facit nos recurrere ad Christum, et Chrtstus nostris orationibus excitatus expellit omnem tempestatem, et succedit mira tranquillitas. Expellit omnem pluviam lacrymarum, et remanet mira jucunditas. Expellit omnem nubilum, et remanet mira serenitas. Hinc quod lima ferro, et flagellum grano, et fornax auro, hoc est tribulatio viro justo. Merito persecutores apes vocantur a Regio Vate: *Circumdederunt me sicut apes* (*Psal.* XXI). Licet enim apes pungant, tamen mella componunt. Sic etiam quamvis caro justi tribulationibus crucietur, tamen ejus anima dulcedine gratiae saginatur. Hinc persecutores vocantur torcularia, et mola, sancti vero qui tribulationem patiuntur vocantur vinum et oleum. Quod idem est ac dicere, quod illi te persequentur apud Deum, velut mòlae aut torcularia deputantur. Tu vero quasi oliva, et quasi uva legitima, parvo tempore pressuram molarum sustinere cogeris, sed postea vel sine fine remunerabit opprobrium, vel tu felici consummatione transibis ad regnum. Adde quod Verus Christianus est, qui profitetur doctrinam Christi, virtutes a Christo preceptas operatur, qui ad Christi exemplum patitur persecutiones, adversitates, et cruces. Christus enim in sua passione pro nobis passus est in omnibus adversis, nobis volens relinquere exemplum ut sequamur vestigia ipsius. Quid enim justius, quam ut christiani Christum imitentur? Discipulus non est super magistrum, quia cum magister perpessus sit persecutiones, multo magis discipuli eadem experiri debebunt. Edocti Christiani a perfecto illo magistro ostendere debent in adversis, quae divinus ille doctor toleranda docet. Viriliter igitur in tribulationibus age, et confortetur cor tuum, omnia sustinendo, ut aeternam possis comparare mercedem.

26. Zelus animarum

Ex sacris Scripturis

Unus de filiis Israel intravit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem, vidente Moyse. . . . Quod cum vidisset Phinees . . . surrexit de medio multitudinis, et arrepto pugione, ingressus est post virum Israelitem in lupanar, et perfodit ambos simul, virum scilicet, et mulierem, in locis genitalibus. . . . Phinees (*inquit Deus*) . . . avertit iram meam a filiis Israel: quia zelo meo commotus est contra eos, ut non ipse delerem filios Israel in zelo meo. *Num.* XXV, 6 et seqq.

Dixitque Samuel: Adducite ad me Agag regem Amalec. Et oblatus est ei Agag pinguissimus et tremens. Et dixit Agag: Siccine superat, amara mors? Et ait Samuel: Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus; sic absque liberis erit inter mulieres mater tua. Et in frustra concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis. *I Reg.* XV, 32, 33.

Dixitque Elias ad eos (*filios Israel*): Apprehendite prophetas Baal, et ne unus quidem effugiat ex eis. Quos cum apprehendissent, duxit eos Elias ad torrentem Cison, et interfecit eos ibi. *III Reg.* XVIII, 40.

Ecce sermo Domini ad eum (*Eliam*), dixitque illi: Quid hic agis Elia? At ille respondit: Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia derelinquerunt pactum tuum filii Israel: altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, et quaerunt animam meam, ut auferant eam. *III Reg.* XIX, 9, 10.

De Jerusalem quoque egredientur reliquiae, et quod salvetur de monte Sion: zelus Domini exercituum faciet hoc. *IV Reg.* XIX, 31.

Spiritus itaque Dei induit Zachariam filium Jojadae sacerdotem, et stetit in conspectu populi, et dixit eis . . . Quare transgredimini praeceptum Domini, quod vobis non proderit: et dereliquistis Dominum, ut derelinqueret vos? *II Paral.* XXIV, 20.

Et ut cessavit loqui verba haec (*Mathatias*), accessit quidam Judaeus in omnium oculis sacrificare idolis super aram in civitate Modin secundum jussum regis: et vidit Mathatias, et doluit, et contremuerunt renes ejus, et accensus est furor ejus secundum judicium legis, et insiliens trucidavit eum super aram: sed et virum, quem rex Antiochus miserat, qui cogebat immolare, occidit in ipso tempore, et aram destruxit, et zelatus est legem, sicut fecit Phinees Zamri filio Salomi. Et exclamavit Mathatias voce magna in civitate, dicens: Omnis, qui zelum habet legis, statuens

testamentum, exeat post me. Et fugit ipse, et filii ejus in montes, et reliquerunt quaecumque habebant in civitate. *I Mach.* II, 23 et seqq.

Quoniam zelus domus tuae comedit me: et opprobria exprobantium tibi ceciderunt super me. *Psal.* LXVIII, 10.

Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum? et plorabo die ac nocte interfectos filiae populi mei. *Jerem.* IX, 1.

Et introivit Jesus in templum Dei, et ejiciebat omnes vendentes, et ementes in templo, et mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit. *Matth.* XXI, 12.

Dure increpabat Dominus Scribas et Pharisaeos, dum dicebat illis: Vae vobis Scribae et Pharisaei hypocritae, etc. *et octies istud vae repetit iratissime et indignanter. Matth.* XXIII, 13.

Æmulor enim vos (*ait Paulus*) Dei emulatione, etc. *II Cor.* II, 2.

Ex Ss. Patribus

Zelus Domus Dei comeditur, qui omnia perversa, quae videt, cupit emendare: et si emendare non potest, tolerat, ac gemit. *Aug. in Joan.* XIII.

Cogita quamobrem Propheta, quamobrem Apostolus, quamobrem Justi, quamobrem Angeli frequenter missi sunt, quamobrem ipse Primogenitus filius, ac Verbum Dei advenit; an non ut homines servaret? an non ut eos errantes reduceret? hoc idem fac; agas tu quoque pro viribus tuis, omneque studium, ac sollicitudinem impendas ad reducendum eos, qui aberrarunt. *Chrys. adv. Jud.* tract. V.

Nullum valde magnum potest esse officium, quando nullum in proximos lucrum confertur; quod ostendit, qui totum reddidit talentum, et supplicio affectus est, quoniam id non auxit. Tu igitur, mi frater, quamvis fame conficiaris, quamvis cinerem comedas, quamvis semper lacrymis madeas, si nihil cuiquam proficias, nihil magnum facis. *Chrys. in I Cor. hom.* XXV.

Perditorum animas Deum nostrum de manu vestra scitote requirere, si tantum nefas, in quantum possibilitas exigit, emendare negligetis. *Chrys.* lib. III *ad vitup. Mon. vitae.*

Haec perfecta caritatis regula est; hic certissimus terminus, hoc supremum omnium cacumen, quaerere, quae communem omnium comprehendunt utilitatem. *Chrys. hom.* XXV *in I Cor.* II.

Etsi immensas pecunias pauperibus eroges, plus tamen efficieris, si unam converteris animam. *Chrys. hom.* III *in I Cor.*

Christus omnibus omnia factus est, pauper pauperibus, flens,

flentibus, esuriens esurientibus, sitiens sitientibus: in carcere cum paupere est, cum Maria flet, cum Apostolis epulatur, cum Samaritana sitit. *Ambr. lib. IV in Luc.*

Hoc erat, quod tribulabat ipsum (*Paulum*), et angebat, ac sauciabat ejus mentem, quod in singulis infirmis haec pateretur, quicumque illi essent: non enim de majoribus quidem dicebat, minores autem dispiciebat, sed etiam abjectum inter necessarios ponebat: ideo dicebat: Quis infirmatur ? quisquis fuerit. *Chrys. Hom. XX.*

Caeterum inter fratres, atque conservos, ubi communis spes, metus, dolor, gaudium, passio (quia communis spiritus de communi domino, et patre) quid tu hos aliud, quam te opinaris, eorum compatiens miseriis ? *Tert.* lib. I *de Poen.* X.

Ut hominem gestaret Christus, salus hominis fuit causa, scilicet ad restituendum quod perierat. Homo perierat, hominem restitui oportuerat. *Tert. lib. de Fug. in Pers.* XII.

Nullum magnum potest esse officium, quando nullum in proximo lucrum. *Chrys. hom. XXV in I Cor.*

Cum fides aestuat, zelus in Sacerdote accenditur, tum in Deum, tum in proximum. In Deum, quem super omnia, et propter seipsum diligit: in proximum, quem propter Deum amat, quia non zelat qui non amat. Multa autem te stimulare debent ad zelum salutis animarum ; ut perversum daemonum emuleris zelum. Uti autem daemones epulantur, dum homines ad peccatum inducunt; ita esca justorum lauta est conversio peccatorum. Etenim si in naturali corpore, quando patitur unum membrum, alia compatiuntur membra, quanto magis in religione, ubi cuncti fideles idem mysticum componunt corpus, sibi mutuo debent zelari ? Ut lucretur animam,quam Deus constituit amoris sui reginam, cujus salus potior est universo orbe, juxta humanatae sapientiae judicium? *Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur,animae vero suae detrimentum patiatur?* (*Matth.* XVI) thesaurum ostendit Dominus, ne deseras lucrum. Christi ergo imitare exemplum, qui ad operandam hominis salutem humanatus est; et tu fac ut conserves immensum pretium quod pro animarum salute solvit Christus, zelando gloriam ejus et salutem animarum, quas redemit pretiosissimo sanguine suo. Huic uni vaca, huic stude , huic te totum impende; zelo animarum. Et ad instar Salvatoris, qui amore proximi flagrans totam suam adhibuit curam, in captanda animarum salute , et pro eorum salute zelavit usque ad effusionem sanguinis. Vis ne in coelo clarescere et de manu Dei aeternitatis coro-

nam gloriae recipere? Quaere hoc solum, salutem animarum; hoc unum te moveat, salus proximi. Sed tibi zelo et solida virtute opus est; ne, dum quaeris alienam salutem, perdas tuam.

27. Murmur

Ex sacris Scripturis

Et dixerunt ad Moysen (*filii Israel, videntes Pharaonem et Ægyptios appropinquare*): Forsitan non erant sepulchra in Ægypto, ideo tulisti nos, ut moreremur in solitudine? quid hoc facere voluisti, ut educeres nos ex Ægypto? etc. *Exod.* XIV, 11.

Et murmuravit populus (*Israel*) contra Moysen, dicens: Quid bibemus? *Exod.* XV, 24.

Et mane videbitis (*dixerunt Israelitis Moyses et Aaron*) gloriam Domini: audivit enim murmur vestrum contra Dominum: nos vero quid sumus, quia mussitastis contra nos? Et ait Moyses: Dabit vobis Dominus vespere carnes edere, et mane panes in saturitate: eo quod audierit murmurationes vestras, quibus murmurati estis contra eum: nos enim quid sumus? nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. *Exod.* XVI, 7, 8.

Interea ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore, contra Dominum: quod cum audisset Dominus, iratus est. Et accensus in eos ignis Domini, devoravit extremam castrorum partem. *Num.* XI, 1.

Cur eduxisti nos de Egypto, ut moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquae: anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo. Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas et mortes plurimorum, venerunt ad Moysen, atque dixerunt: Peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum, et te: ora, ut tollat a nobis serpentes. *Num.* XXI, 5. et seqq.

Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant. *Psal.* V.

Circumdederunt me sicut apes. *Psal.* XVII.

Circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me. *Psal.* XXI.

Ecce loquentur in ore suo, et gladius in labiis eorum. *Psal.* LVIII, 8.

Os tuum abundavit malitia: et lingua tua concinnabat dolos. Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, et adversus filium matris tuae ponebas scandalum.. *Psal.* XLIX, 19, 20.

Exacuerunt ut gladium linguas suas; intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum. *Psal.* LXIII, 4.

Homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur pravo corde machinatur malum, et omni tempore jurgia seminat. *Prov.* VI, 12 et seqq.

Abominatio hominum detractor. *Prov.* XXIV, 9.

Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit. *Eccles.* X, 11.

Custodite ergo vos a murmuratione, quae nihil prodest, et a detractione parcite linguae, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit: etc. *Sap.* I, 11.

Multi ceciderunt in ore gladii: sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam. *Eccli.* XXVIII, 22.

Pharisaei dicebant discipulis ejus (*Christi*): Quare cum publicanis et peccatoribus manducat Magister vester? *Matth.* IX, 11.

Mercenarii murmurabant adversus patrem familiam dicentes: Hi novissimi una hora fecerunt, etc. *Matth.* XX, 11, 12.

Murmurabant ergo Judaei de illo, quia dixisset: Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi etc. Respondit ergo Jesus, et dixit eis: Nolite murmurare in invicem *Joan.* VI, 41. 43.

Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt; et perierunt ab exterminatore. *I Cor.* X, 10.

Omnia autem facite sine murmurationibus, et haesitationibus. *Philipp.* II, 14.

Hi sunt murmuratores querelosi, secundum desideria sua ambulantes, et os eorum loquitur superbia mirantes personas quaestus causa. *Judae* v. 16.

Ex Ss. Patribus

De nulla re magis Deum offendisse ille populus Judaicus dicitur, quam contra Deum murmurando. *Aug. sup. Joan.* tract. XXVI.

Si is, qui murmurat secundum animam mortuus est, qui instigat, quomodo vivit? *Ber. de Consid.*

Qui contra suprapositam sibi potestatem murmurat, liquet quod illam redarguit, qui eandem homini potestatem dedit. *Gregor. in Moral.*

Discat non murmurare qui mala patitur: etiam si ignoret, cur mola patitur. Per hoc quisque se juste pati arbitretur, quia ab illo judicatur, cujus nunquam injusta judicia sunt. *Isid. de sum. bon.* lib. III.

Regnum coelorum nullus murmurans accipit: et nullus qui accipit, murmurare potest. *Tert. de Cor. Mil.* lib. I.

Qui murmurat, inchoatum bonum perdit; et se ab inobedientia non absolvit. *Aug. in Psal.* CXXXII.

Omnes murmuratores magnificae descripti sunt quodam loco scripturarum, praecordia fatui, sicut rota carri: carrum faenum portat, et murmurat: non enim potest rota quiescere a murmure, sicut sunt multi fratres, qui non habitant in unum, nisi corpore. *Greg. Magn. hom. XIX in Evang.*

Majora vulnera sunt linguae, quam gladii: gladius corpus interficit, detractor animam. *Aug. ser. XLV ad Fratr.*

Quemadmodum enim serpens mordens venenum infert, sic detrahens, pectoris sui virus in fratrem effundit, et nihil habet amplius a serpente. *Hieron. in Eccles.* cap. X.

Apes mel habent in ore et vulnus in aculeo, et omnes qui lingua blandiuntur, sed latenter ex malitia feriunt, apes sunt, quia loquendo dulcedinem mellis proponunt, sed occulte feriendo vulnus inferunt. *Greg. Pap. hom. IX in Ezech.*

Hi qui alienae vitae detractione pascuntur, alienis procul dubio carnibus saturantur. . . Carnes quippe conferre ad vescendum, est in collocatione derogationis vicissim proximum vitia dicere. *Idem ibid.*

Si haec in nobis esset diligentia, ne passim obtrectatoribus crederemus, jam omnes detrahere timerent, ne non tam alios, quam se ipsos detrahendo facerent; sed hoc ideo grave malum est, idcirco in multis fervet hoc vitium, quia poene ab omnibus libenter auditur. *Paulin. ep. ad Caelent.*

Non modo nemini detrahamus, sed ne detractioni quidem aurem praebeamus. *Chrys. in Psal. LX.*

Inter res exteriores maximum bonum est honor: tum quia ad honorem consequendum, et vituperium vitandum, alia omnia posthabentur: tum etiam quia *bonum est mihi magis mori*, inquit Apostolus, *quam ut gloriam meam quasi evacuet* (*I Cor.* IX). Tum quia Deus qui saepe saepius in sacris paginis hominem hortatur ad bonum temporale, imo et ipsius vitae contemptum, mandat ei diligentem famae solicitudinem: *Curam habe de bono nomine* (*Eccl.* XLI). Tum quia fama est fundamentum bonorum fortunae, largiturque vitam civilem, vita naturali longe praestantiorem. Bene detractor comparatur furi: uterque enim tollit, et furatur in abscondito: hic substantiam, ille famam, uterque poena et confusione mulctandus: attamen maiorem poenam, et confusionem meretur susurro, quam fur; quia fur tantum res furatur, susurro famam boni nominis aufert, quae melior est omni temporali possessione. Tenentur per consequens uterque ad restitutionem, unde concludit D. Bonaventura: *Profecto tenetur detractor ad restitu-*

tionem bonae famae quam abstulit. Majus bonum aufert detractor, quam raptor, et non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. (*Bonav. in Conc.* part. I, sect. III). Viperam ergo considera, quae post morsum ad aquam currit, quam nisi invenerit, expirat. Idem accidit detractori , qui post emissum linguae venenum, si ad aquas poenitentiae non accurrit, illarumque damnum non reparat, aeternae mancipatur morti. Quantum fieri potest, quia impossibile est, ut detractor reparare possit omne damnum, quod attulit, famam restituat. Et ideo quomodo reparabit omne damnum, quod attulit vitae naturali, vitae spirituali tot audientium , quorum animas gladio linguae interfecit? Quomodo praeteritis, futuris, et longe a se distantibus innocentiam laesi demonstrabit? Sicut nunquam ita sanatur vulnus, quin appareat in carne cicatrix; ita mens , quae semel praebuit consensum detractioni , nunquam ab hujusmodi opinione ita sanatur, quin aliqua remaneat impressio. O quam ingens causa malorum ! Inferiores adversus superiores linguas suas diabolo commodarunt , vel potius diabolus linguam suam commodavit inferioribus ut de superioribus murmurent. Hac diaboli lingua loquebantur et murmurabant discipuli Joannis. *Quare nos, et Pharisaei jejunamus frequenter : discipuli autem tui non jejunant?* (*Matth.* IX). Saepe saepius plures inferiores superiorem pulsant dicentes : Cur facit illud ? cur non facit hoc ? cur haec locutus est ? cur talia permittit, aut non punit ? Quid ergo faciendum ? *Custodite ergo a murmuratione* (*Sap.* I). . . Examina. Quoties murmurasti ? Contra quem. Cur ? Corrige, emenda ; et liberaberis, si bene in posterum de proximo loqueris; et proximum laudando, Deum benedicendo, coelestem tibi comparabis felicitatem.

28. Christus Judae osculo traditus

Ex Sacris Scripturis

Astiterunt regis terrae , et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus. *Psal.* II, 2.

Etenim homo pacis meae in quo speravi: qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem. *Psal.* XL, 9.

Tu vero homo unanimis, dux meus et notus meus : Qui simul mecum dolces capiebas cibos: in domo Dei ambulavimus cum consensu. *Psal.* LIV, 13, 14.

Os peccatoris et os dolosi super me apertum est. *Psal.* CVIII, 1.

Avaro nihil est iniquius quam amare pecuniam : hic enim et

animam suam venalem habet; quoniam in vita sua proiecit intima sua. *Eccli.* X, 9. 10.

Quid vultis mihi dare, et ego eum vobis tradam. *Matth.* XXVI, 15.

Et confestim accedens ad Jesum, dixit: Ave, Rabbi. Et osculatus est eum. *Matth.* XXVI, 49.

Dederat autem traditor ejus signum eis, dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est; tenete eum, et ducite caute. *Marc.* XIV, 44.

Adhuc eo loquente, ecce turba: et qui vocabatur Judas, unus de duodecim, antecedebat eos: et appropinguavit Jesu, ut oscularet eum. Jesus autem dixit illi: Juda, osculo Filium hominis tradis? *Luc.* XXII, 47.

Ut adimpleretur scriptura: Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum. *Joan.* XIII, 18.

Judas ergo cum accepisset cohortem a principibus et pharisaeis ministros, venit illuc cum lanternis et facibus et armis. *Joan.* XVIII, 3.

Fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum. *Act.* I, 16.

Ex Ss. Patribus

O signum sacrilegum! O Juda pro pignore amoris vulnus infligis? pacis argumento, mortem immittis? *Aug. ser. CL de temp.*

Os, in quo dolus inventus non est, ori, quod abundavit malitia, dupliciter applicuisti, et illum commovisti, dicens: *amice etc.* et horrore sceleris tui cor impii ferire voluisti. *Ber. ser. de Pass. Dom.*

O demens? verbo eum Jesus prosternit, nec tamen conversus est. *Gris. hom. LXXXII in Joan.*

Multi sceleris Judae exhorrent, nec tamen cavent; Dominum vendit, qui ejus amore neclecto, terrena pro illo diligere, et curare, convincitur. *Beda in Mar. XIV.*

Quanquam inemendabilem Judae duritiam non ignoraret, non tamen cessavit, quae sua sunt facere, admonendo, et quasi miserum lacrymando. *Gris. hom. LXXXI in Joan.*

Si quis te adulatur, si quasi consulentis animo venenum propinat fraternae detractionis, et odium seminare conatur, si denique iniquum aliquid tamquam justum persuadere tentat, Judas est, osculo te prodit. *Bern. serm. II de s. And.*

Judas inter duodecim electus est, ne ipse duodecimus numerus esset sine malo: hoc ad exemplum nostrae patientiae, quoniam necesse erat, ut inter malos viveremus, *Aug. in psal.* X.

Quid de Juda dicimus, qui prodidit eum, cui capulabatur sua-

vitate convivii? qui edebat panes meos, ampliavit super me supplantationem. Alibi: Qui simul mecum dulces capiebas cibos. Gentiles hoc custodire: hostes plerumque, latrones etiam, ut parcant iis, cum quibus recordentur se iniisse convivium. Ferae ipsae pabulorum societate mitescunt. Unde propter hujusmodi affectum gratia convivalis, si verba consideremus, non otiose dulces cibos dixit: qui edebat panes meos magnificavit super me supplantationem. *Ambr. in Psal.* XL.

Hoc est quod ait: Magnificavit super me supplantationem. Quo verbo insultantis jactantiam declaravit. Levavit ergo Judas super Christum calcaneum suum. Et utique ei pedes laverat Christus; sed quod lavit gratia, inquinavit perfidia. *Idem ibid.*

Quasi vile tradens mancipium, in potestate ementium posuit, quantum vellent illi dare. *Hier. in cap. XXVI Matth.*

Amice ad quid venisti? Innocens Agnus Dei, quid tibi, et lupo illi? quae conventio tui ad Belial? Sed et hoc benignitatis tuae, Domine, fuit, ut omnia illa exhiberes quae pravis cordis pertinaciam emollire possent. *Bern. Ser. VII de vita et pass. Dom.*

Beneficiis cunctos Judaeos cumulaverat Christus, sed praesertim Judam Iscariotem, quem in suum discipulum elegerat; at in Juda reperitur ingratitudinis consummatio. Judas enim avaritia aestuans paciscitur cum scribis, et phariseis, a quibus pro traditione triginta argenteos recepit. Imprudens; et imperitus mercator, vendis tam vili pretio presiosissimum Christi sanguinem in quo consummatam ostendis ingratitudinem! Fuerat enim a Salvatore apostolorum numero adscriptus, sacerdotali charactere insignitus, dominico corpore cibatus, potestate patrandi miracula donatus; et quasi haec omnia nihil essent, tot beneficiorum immemor, suum tradidit magistrum: et tanto criminosior quod sub symbolo pacis, fidelitatis, et honoris suam occultat perfidiam. Et Christus dum Judae praeviderat avaritiam, traditionem, perfidiam, saevitiam, ille tanquam infensissimum inimicum cogitabat quomodo eum traderet. Quot sunt qui Judae proditionem imitantur! Praeterea Jesus vocat Judas amicum, ut amicum faciat. Ad quid venerit, rogat, ut in se regressus cogitet, quam grande scelus moliatur. O infinita Dei misericordia, quanta non agis ut peccatorem reducas! Non vocat latronem, sceleratum, sacrilegum, sed amicum. Non attendit, quid Judae scelus merebatur sed quod suam decebat bonitatem. Sed si ita blanditur hosti, quid faciet fideli servo? Confide, et spera.

29. Adulatio

Ex Sacris Scripturis

Laudatur peccator in desideriis animae suae. *Psal.* X, 3.

Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. *Psal.* CXL, 5.

Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. *Prov.* I, 10.

Vir iniquus lactat amicum suum, et ducit eum per viam non bonam. *Prov.* XVI, 29.

Qui justificat impium, et qui condemnat justum, uterque abominabilis est apud Deum. *Prov.* XVII, 15.

Qui dicunt impio: justus es: maledicent eis popoli. *Prov.* XXIV, 22.

Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudolenta oscula blandientis. *Prov.* XXVII, 6.

Qui benedicit proximo suo voce grandi, de nocte consurgens maledicenti similis erit. *Prov.* XXVII, 14.

Qui derelingunt legem laudant impium . . . Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum, magis quam ille, qui per linguae blandimenta decipit. *Prov.* XXVIII, 4, 23.

Melius est a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi. *Eccles.* VII, 6.

Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressum tuorum dissipant. *Isa.* III, 12.

Vae qui iustificatis impium. *Isa.* V, 23.

In malitia sua laetificaverunt regem, et in mendaciis suis principes. *Oseae* VII, 3.

Magister, scimus, quia verax es. *Matth.* XXII, 16.

Populus autem acclamabat (*Herodi*): Dei (*sunt*) voces, et non hominis. *Act.* XII, 22.

An quaero hominibus placere? *Galat.* I, 10.

Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis. *I Thess.* II, 5.

Ex Ss. Patribus

Adulatio est fallaci laude seductio. Duo sunt genera persecutorum; scilicet vituperantium, et adulantium: sed plus perseguitur lingua adulatoris, quam manus persequentis. *Aug. sup. Psal. LIX.*

Non sic adulandum est principibus, ut sanctarum scripturarum veritas negligatur, nec generalis increpatio unius personae iniuria est. *Hier. sup. Isa.* lib. VII.

Adulatio omnes applaudit, omnibus salve dicit, prodigos vocat liberales, avoros ait esse parcos, et ad rem attendas: lascivos appellat urbanos, et aulicos: obstinatis, et pervicacibus constantiae titulum assignat. *Greg. lib. XXX Moral.*

Nihil est, quod tam facile corrumpat mentes hominum; nihil quod tam dulci et molli ulnere animum feriat: in multis isto maximo tempore, regnat hoc vitium adulationis. *Hier. ep. XIV ad Celan.*

Adulantium linquae ligant homines in peccatis, delectat enim ea facere, in quibus non solum non metuitur repraehensor, sed etiam laudatur operator. *Aug. sup. Psal. IX.*

Si quis te adulatur, venenum propinat, Judas est, osculo te prodit. *Ber. ser. II de S. Andr.*

Et adulari, et adulationibus deliniri cordatis viris fugiendum: ambo enim ista, ut hominum risum missum faciam, et incurabile vitium et intolerandum cruciatum parturiunt. *Isid. Pel. lib. III ep. CCLXXXI.*

Cum aliquis actus moribus populi, ut placeat eis, quibus aures pruriunt loquitur, quae gratanter accipiunt, loquitur quae vicina sunt voluptati, talis magister consuit cervicalia sub omni cubito manus. *Org. hom. sup. Ezech.*

Adulator amicus in obsequio, hostis in animo, comptus in verbo, turpis in facto, laetus ad propria, fragilis ad adversa, inflatus ad obsequia, anxius ad opprobria, immoderatus ad gaudia, facilis ad humana, difficilis ad honesta. *Hugo de San. Vict.*

Oleum peccatoris, est dilectio simulata verborum, quae adulationibus et blandimentis nostras mentes velut olei pinguedo, libenter ingrediens, rigorem veritatis emollit, et ad noxia cogitationes amoris ficti, vel potius ostentationis perducit. *Cas. ssup. illud psal. oleum peccatoris non imp.*

Adulator omnis virtutis inimicus est, et quasi clavum figit in oculo illius, cum quo sermonem conferit: eoque magis cavendus est, qui sub amantis specie nocere non desinit, donec rationis obfundat acumen, et modicum illud luminis, quod adesse videbatur, extinguit. *Chrys. in Policral. de vestig. Philos.* lib. III.

Magis optabo a quolibet repraehendi, quam ab adulante laudari. Nullus enim repraehensor formidandus est amatori veritatis. Laudator vero errat et confirmat errorem et adulans illicit in errorem. *Aug.* lib. II *de Trin.*

Sicut sumenda sunt amara salubria; ita semper vitanda est perniciosa dulcedo. *Aug. de Doct. Chris.*

Duo sunt genera persecutorum; scilicet lingua laudantium, et

manus persequentium, seu vituperantium. Plus vero persequitur lingua adulatorum, quam manus persecutorum. Unde Christus tam dure reprehendit adulatores, ut eos non laudatores, sed tentatores vocabat, dicens: *Quid me tentatis hypocritae?* (*Matth.* XXII) Adulator est sicut aucupium animas capientes. Homo enim qui fictis, blandisque, sermonibus amico loquitur, rete expandit gressibus ejus. Debemus nos oculatos esse, et tunc sicut *frustra jacitur rete ante oculos pennatorum* (*Prov.* I), sic adulator ante oculos videntium. Adulatores sunt sicut Syrenae dulces, animas in peccatis dormire facientes in delubris voluptatis. Syrenae sunt pisces maris habentes speciem mulieris, quae ita dulciter cantant, quod nautas obdormire faciunt, et sic naufragium patiuntur: sed sapientes nautae aures claudunt, et sic evadunt. Syrenae istae adulatores sunt, qui peccatores in peccatis dormire faciunt. Unde Deus per Isaiam: *Populе meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant* (*Isa.* III). Nos ergo ad patriam festinantes, mortiferos syrenarum cantus, surda debemus aure pertransire. Merito igitur tandem adulatores scorpionibus et apibus comparantur. Scorpio enim facie blanditur, sed cauda pungit. Apis mel portat in ore, sed pungit a posteriori parte. Tales sunt adulatores in facie laudant, et in absentia vituperant. Ideo tales scorpiones et apes sunt expellendi. Quis unquam juxta viperam securus somnum capit? . . . Adde quod adulator salutis suae oblitus, integram non praestat veritatem, sed tacendo et dissimulando, velut dividendo interficit. Ne hoc solum, sed ad suum dedecus mentiuntur adulatores, dum falsas virtutes praedicant; de quibus dici potest: *Labia dolosa in corde, et corde locuti sunt.* (*Psal.* II). Bene ergo labium adulationum, labium divisum, seu divisionum nominatur; quia adulatoris labium divisum est ab ejus corde, aliud ore loquitur, aliud corde versatur, et mente tractat. Ehu, quam ab illa perfectione distant hujusce aetatis christiani, et quod pejus homines Deo dicati, qui etiam vitia laudibus cumulant. Sed forsitan tu non ex illis qui adularis, sed potius qui amas adulari. At et tu credis adulationes hominum? Oh quam distas a virtute, a veritate! Intus teipsum considera, non qualis sis, aliis credas. Talis est fragilitas humanae conditionis, ut cito tibi placeant, qui te bonum virum praedicant, qui prudentem, qui sanctum, etc. *Sed meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis* (*Prov.* XXVII). Et forsitan non sis modica laudatione contentus: et quidquid tibi adulatio sine pudore concessit, tamquam debitum habes, et sic facis illos adulatores mentiri. Tu vero si verberaberis a lingua dolosa, humili et tranquillo animo dic: *Domine libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa.* (*Psal.* CXIX).

MARTIUS

1. Salutis momentum

Ex sacris Scripturis

Custodi igitur temetipsum et animam tuam sollicite. *Deut.* IV, 9.

Judices et magistratos constitues in omnibus portis tuis. *Deut.* XVI, 18.

Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me. *Psal.* XXIX, 2.

Sana (*Domine*) animam meam quia peccavi tibi. *Psal.* XL, 4.

Qui (*Deus*) sanat contritos corde: et alligat contritiones eorum. *Psal.* CXLVI, 3.

Salus animae in sanctitate justitiae melior est omni auro. *Eccli.* XXX, 15.

Miserere animae tuae placens Deo, et contine. *Eccli.* XXX, 24.

Ecce Deus noster iste, expectavimus eum, et salvabit nos. *Isa.* XXV, 9.

Sana me, Domine, et sanabor: salvum me fac, et salvus ero: quoniam laus mea tu es. *Jerem.* XVII, 14.

Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? *Matth.* XVI, 25. 26.

Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea. *Luc.* X, 42.

Beatus qui vigilat, et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, et videant turpitudinem ejus. *Apoc.* XVI, 15.

Ex Ss. Patribus

Tria sunt, quae ab initio, et ante adventum Christi, et post ad salutem obtinendam necessaria fuerunt; scilicet fides, sacramenta fidei, et opera bona, quae tria ita cohaerent, ut salutis effectum habere non possint, si simul non fuerint, quia nec fides meritum habet, si dum potest operari, negligitur, nec opus bonum est aliquid, si sine fide sit; et rursus fides operans, hominem sanctificare non sufficit: si eam, quae in sacramentis Dei constat,

sanctificationem concipere contemnit. *Hug. de san. Vict.* lib. I, par. X.

Nullum credimus ad salutem, nisi Deo invitante venire; nullum invitatum ad salutem, nisi Deo auxiliante, operari; nullum nisi orantem auxilium promereri, nullum volente Deo perire, sed permissum. *Aug. lib. de diffinit.*

Miser homo, ut miserum pascas corpus, et vestias, et carnis voluptatibus, quae post paucos dies a vermis devorabitur, satisfacias, sollicitus laboras, discurris, vigilas, et somnum non capis oculis, ut repleas ventrem; et pro anima tua, quae Deo presentanda est in Coelis, cur non sollicitus fatigaris? *Bern. serm. de mis. hum. vitae.*

Quidquid pro carne laboramus, totum peribit; hoc solum perire non poterit, quod unusquisque pro salute animae in Coelis reposuit. *Caes. Arel. hom. XVII in Bib. PP.*

Praeter salutem tuam nihil cogites, quoniam in acquisitione salutis tuae nemo est tibi germanior, nemo propinquior te ipso. *Bern. de int. domo* cap. LXV.

Lege et percurre omnia, non est salus animae, nisi in Deo, et bona vita. *Kemp.* cap. XVII.

Serio vult Deus salutem hominum, in hoc summa voluntatis ejus consistit: propter hoc disciplinam statuit: praecepta tum affirmativa, tum negativa dedit; quae ut implere possimus, opus est Dei voluntate. Et sicut voluntate antecedenti, cunctis vult Deus hominibus salutem, ita eis gratiam sufficientem ad salutem impertitur. Quod autem Deus omnium velit salutem ex ipsius Dei bonitate, ex eo quod pro hominibus fecit, ostenditur. Nisi enim Deus quantum est ex se, vellet omnium hominum salutem, ejus bonitas esset imperfecta, exigua, et exhausta, quod absurdum et contra fidem. Hinc supposita perfecta Dei bonitate, concludendum est a Deo institutum hominem non ad damnationem, sed ad salutem. Hinc solus homo suae damnationis auctor existit, non per ignorantiam; quia Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; nec per infirmitatem; quia Deus nulli denegat auxilium sufficiens; sed per malitiam, abutens propria voluntate, contra voluntatem Dei. At non contra Dei voluntatem, sed potius secundum Dei placitum incedere Sacerdotem oportet; maxime cum Verbum divinum humanam accepit naturam ob animarum salutem. Christus enim sive meditatur, sive deprecatur, sive loquitur, sive miracula operatur, sive patitur, salutem animarum respicit, quae est finis incarnationis, nativitatis, vitae mortis ejus! Veri Christiani Dei beneficium

salutem suam scilicet, honorant, et de Verbi incarnatione utilitatem captant; quia salus animarum, quae fuit praecipuum opus Christi redemptoris, debet etiam esse praecipuum negotium christianorum. Memento regnum coelorum, aliud non quaerere pretium, nisi te ipsum; tantum valet, quantum habes, offer teipsum, et habebis illum. *Regnum enim coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (*Matth.* XI). Quid ergo respondent operationes tuae? Venalis est vita aeterna, eme si vis. Emisti hactenus regnum coelorum? Quid habes quod non sit a Deo? Cur non illi omnia? Cur tibi, cur sensibus omnia immolas, et ad assequendum regnum coelorum quod vim patitur, nihil omnino perpatras? *Violenti rapiunt illud.*

2. Jesus Christus

Ex Sacris Scripturis

Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium. *Gen.* XLIX, 10.

Videbo eum, sed non modo: intuebor illum, sed non prope. Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel, et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth, etc. *Num.* XXIV, 17.

Dominus formidabunt adversarii ejus, et super ipsos in coelis tonabit: Dominus judicabit fines terrae, et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui. *I Reg.* II, 10.

Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversum Christum ejus. . . Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te, etc. *Psal.* II, 2, . . 7.

Candor est enim lucis aeternae, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius. *Sap.* VII, 26.

Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel: butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum. *Isa.* VII, 14.

Parvulus enim natus est nobis, et Filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus: et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis. *Isa.* IX, 6.

Et ecce vox de coelis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. *Matth.* III, 17.

In ipso vita erat, et vita erat lux hominum. . . Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Et vidimus gloriam ejus, glo-

riam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis. *Joan.* I, 4, . . 14.

Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem: qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum. *Joan.* V, 23.

Iterum ergo locutus est eis Jesus, dicens: Ego sum lux mundi: qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae. *Joan.* VIII, 12.

Et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in Spiritu, apparuit Angelis, praedicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. *I Tim.* III, 16.

In hoc cognoscitur Spiritus Dei: omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est, etc. *I Joan.* IV, 2.

Ex Ss. Patribus

Ego sum via, veritas, et vita, tanquam diceret: quo vis ire? ego sum via: quid vis scire? ego sum veritas: ubi vis permanere? ego sum vita. Ambulare vis? ego sum via, falli non vis ergo sum veritas, mori non vis, ego sum vita. *Aug. de ver. relig.*

Christum alloquimur, cum oramus: Christum audimus, cum divina legimus oracula. *Amb. lib. I offic.* cap. XX.

Omnia Christus est nobis. Si vulnus curare desideras, medicus est. Si febribus aestuas, fons est. Si gravaris iniquitate, justitia est. Si auxilio indiges, virtus est. Si mortem times, vita est. Si coelum desideras, via est. Si tenebras fugis, lux est. Si cibum quaeris alimentum est. *Amb. lib. III de Virg.*

Christus modo orat pro nobis, orat in nobis, et oratur a nobis; ut Sacerdos noster orat pro nobis: ut Caput nostrum orat in nobis: ut Deus oratur a nobis. *Aug. ser. IV de S. Steph.*

Tibi convivium Christus sit, cognitio tua Christus, gaudium Christus, desiderium Christus, lectio Christus, quies Christus. *Hier. ep. XIII.*

Habeatur Christus in corde, habeatur et in operatione signaculum Christi, ut ejus in nobis semper vivat memoria, ut subrepentium cogitationum prava compescat. *Pet. Dam. ser. XXXIX de I Cass.*

Christus sit confabulator tuus, Christus tibi contubernalis sit, et convivia: Christus ipse tuae sint deliciae, ipse quotidianae refectionis epulum, ipse tibi sit intime dulcedinis alimentum. Cum illo simul lege, cum ille jugiter psalle, cum illo denique te in pavimento oratura prosterne: cum illo te rege, cum illo te dormitu-

ram lectulus capiat, cum eodem sopor inveniat. *Pet. Dam. ep. VI ad Agn. Imp.*

Christus sit omne, quod loquitur, omne quod delectatur, omne quod sapit, omne quos vivit; Christum spiret, Christum flagitet, Christum aestuet, Christum pronunciet, Christum assidua meditatione pertractet. *Pet. Dam. ser: LXXIII de vit. ling.*

Christus Jesus potest considerari, vel ut homo Deus, vel ut Dei filius, vel ut caput Ecclesiae, sive militantis in terra, sive triumphantis in coelo, vel ut Redemptor hominum. Sub primo respectu respicit unionem hypostaticam ex qua resultat compositum illud ineffabilae naturae divinae, et humanae in eadem persona Verbi. Sub secundo respectu respicit Patrem aeternum; cujus est Filius naturalis, non solum ut Deus, sed etiam ut homo: sub tertio respectu respicit cunctos homines et Angelos qui sunt membra corporis Ecclesiae: sub quarto respectu cunctos respicit peccatores, pro quibus in circumcisione sese exinanivit, et in specie peccatoris apparuit: sub quovis autem respectu est plenus gratia. Ut homo Deus est plenus gratia substantialis unionis, quae cum sit in Christo principium meriti a divina liberalitate gratis accepit; ut Dei filius est plenus gratia summa, quae dicitur gratia singularitatis, quia absque ulla mensura eam accepit, estque tanta ut major nequeat dari. Ut caput Ecclesiae est plenus gratia universalis, de qua omnes homines et Angeli suam acceperunt sanctitatem et gloriam. Ut Redemptor hominum est plenus gratia medicinali, qua replet vacuum, quod in eorum anima Adami praestiterat culpa. Et ideo sub quovis respectu Christus Jesus plenus gratia, in humana natura exinanivit semetipsum, apparens in specie, et forma peccatoris, ut peccatores salvos faceret. Hinc si primus homo peccando et se, et suos posteros vendiderat. *Venditi estis*, dixit Deus per Isaiam, *iniquitatibus vestris* (*Isa.* L), venditionem ab Adamo factam propriis sceleribus nos firmavimus; et sic ille initium induxit debiti, nos foenus auximus posterioribus peccatis. Jesus Christus ut emtor redimeret homines peccatores, peccatoris assumpsit formam, quod innuit Apostolus aiens: *Qui non noverat peccatum pro nobis peccatum fecit* (*I Cor.* II), initum rescidit contractum ut ait Apostolus: *Delens quod adversum nos chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci* (*Coloss.* II), et solvens omne debitum ad quod adstricti eramus, demonstrans ardentem amorem, et magnam liberalitatem. Haec omnia in Christo Jesu; et in Christianis et in Sacerdotibus quid? Multi sunt tepentes Christiani, et Sacerdotes

etiam multo plures, qui Christum Jesum in ore duntaxant habent, nunquam manu, seu in opere referunt. Homo referens Christum Jesum in manibus et operibus efficitur inde promtior ad laborem: inde ardentior ad amorem: inde ad obedientiam paratior, inde ad bona omnia sollicitior. In posterum si cor tuum est rectum cum Jesu Christo, da illi manum tuam, et sic ejus sigillo munitam in fronte semper Christum confitearis, in corde semper diliges, in brachio semper opereris. Amen.

3. Praesentia Dei

Ex Sacris Scripuris

Beati viri tui et beati servi tui, qui stant coram te semper. *III Reg*. X. 8.

Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto. *III Reg*. XVII, 1.

Omnia enim corda scrutatur Dominus, et universas mentium cogitationes intelligit. *I Par*. XXVIII, 9.

Judas vero (*Macchabaeus*), et qui cum eo erant, invocato Deo, per orationes congressi sunt (*cum hoste*); manu quidem pugnantes, sed Dominus cordibus orantes, prostraverunt non minus triginta quinque millia, praesentia Dei magnifice delectati. *II Macch*. XIII, 26, 27.

Providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam a dextris est mihi, ne commovear. *Psal*. XV, 8.

Quo ibo a spiritu tuo (*Deus*) et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in coelum, tu illic es: si descendero in infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris: Etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua. *Psal*. CXXXVIII, 6, et seq.

Non dicas: a Deo abscondar; et ex summo quis mei memorabitur?...Ecce coelum et coeli coelorum, abyssus, et universa terra, et quae in eis sunt, in conspectu illius commovebuntur. Montes simul et colles, et fundamenta terrae: cum conspexerit illa Deus, tremore concutientur...et omne cor intelligitur ab illo. *Eccli*. XVI, 16, et seq.

Quis me videt? Tenebrae circumdant me, et parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me: quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altissimus. *Eccli*. XXIII, 25, 26.

Et non cognovi quoniam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes.

Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita: sic et post perfectum respicit omnia. *Eccli.* XXIII, 27. . . 29.

Pravum est cor omnium, et inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, et probans renes: qui do unicuique juxta viam suam, et juxta fructum adinventionum suarum. *Jer.* XVII, 9, 10.

Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in cospectu Domini. *Dan.* XIII, 23.

Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi. *Matth.* XXVIII, 20.

Ex Ss. Patribus

Creator omnium Deus pater omnipotens ubique est, et ubique totus est, in parte non est, quoniam ubique est, et tunc minus invenitur, quando is, qui ubique totus est in parte quaeritur. *Greg.* lib. II *Moral.*

Ipse timendus est in publico, ipse in secreto; procedis, videris; lucerna ardet? videt te; in cubile intras? videt te; in corde versaris? videt te; si peccare vis, quaere ubi te non videat, et fac quod vis. *Aug. ser. XLVI de ver. Dom.*

Si videmus mente semper Deum, et ad eum convertimus mentem nostram, omnia nobis facilia apparebunt, omnia portabilia, omnia sustinebimus, omnibus superiores efficiemur. *Gris. hom. XXVI ad Heb.*

Deus nusquam deest, et tamen ab iniquorum cogitationibus longe est; nec tamen ibi abest, ubi longe est, quia ubi non est per gratiam, adest per vindictam. *Greg. hom. VIII in Ezech.*

Certe quando peccamus, si cogitaremus Deum videre, et esse praesentem, numquam quod ei displicet faceremus. *Hier.* lib. III *in Ezech.*

Deus totus oculus est, quia omnia videt, totus manus est, quia omnia operatur, totus pes est, quia ubique est. *Aug. Epis.* cap. XXXVI.

Nunquam deest: et tamen ab iniquorum cogitationibus longe est, nec tamen ibi deest ubi longe est; quoniam ubi non est per gratiam, adest per vindictam. Deus ubique praesens est, et vix inveniri potest, stantem sequimur, et apprehendere non valemus. *Greg. hom. VIII sup. Ezech.*

Non parum apprehendisti, hoc tibi de Deo compertum sit, qui non clauditur loco, et nusquam non sit, qui non concluditur loco. *Ber. de Consid.* lib. V.

Quis ex sua parte Dei amorem adimplere desiderat, omnia debet tentare, ut illam unionem cum Deo indissolubilem reddat; habens scilicet Deum praesentem in omnia. Multum insudare non debes, ut hanc Dei praesentiam in omnibus habeas; sufficit tantum aspicere quae nos circumstant. Totum hoc quod sumus Dei praedicat praesentiam, nihil enim magis divinam praesentiam commendat, quam admiranda compago humani corporis. Totum in quo sumus, Dei praesentiam exhibet, et mundus velut liber divinitatis, praedicat speculum divinorum, in quo se ipsum depinxit Deus. In hoc libro studuerunt non solum sancti, sed etiam veteres philosophi. Mundus igitur et creaturae sunt Dei specula quae divinas repraehesentant perfectiones, et praedicando perfectiones ejus tacito sermone innuunt: *Deus est praesens*. At proh dolor! in sacro hoc libro Dei praesentiam non legunt impii, obturant aures, ne audiant creaturarum voces, et Deum non venerantur quem ignorare non possunt esse praesentem. Tyranni quantumvis crudeles nunquam potuerunt dividere hominem a semetipso, neque separe alimentum a corpore, in quod jam per nutritionem fuerat immutatum. Valuerunt quidem avellere oculos a capite, mammillas a pectore, cor a stomacho, a vaginis ungulas; et cum Deus sit omnibus totus, separare praesentiam ejus, rumpere nexus inter seipsos et Deum, amittere praesentiam ejus nunquam potuerunt! Si vere es Dei amans, omni momento dicere debes cum Sponsa: *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam* (*Cant.* III). Quantumvis fortuna me adversis exagitet, prospera polliceatur; etsi mundus sua mihi offerat bona, et minatur mala, licet omnia vana hujus saeculi animum disturbent, et daemones cunctam insumant malitiam, non omittam Dei praesentiam, sed illi inseparabiliter adhaerebo. Si hanc praesentiam habebis in posterum, mens concipere debet cogitationes de Deo, de Deo proferre sermones; manus facere operationes Deo conformes etc. At dic mihi potest ne maior concipi injustitia, dum omnia quae placent semper ob oculos habemus de Deo nihil? Deus prope est, imo praesens, tecum est, intus est. Sacer intra nos spiritus sedet, malorum, bonorumque nostrorum observator, et custos, hic prout a nobis tractatus est, ita nos et ipse tractabit. *Quaere ergo Deum*, ait Apostolus (*Act.* XVII, 27), *quamvis non longe sit ob unoquoque nostrum*; In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus.

4. Exercitia spiritualia

Ex Sacris Scripturis

Justum est igitur ut aliquando provideam etiam domui meae. *Gen.* XXX, 30.

Et insiliet in te Spiritus Domini, et prophetabis cum eis, et mutaberis in virum alterum . . . Veneruntque ad praedictum collem . . . et insiluit super eum Spiritus Domini, et prophetavit in medio eorum. *I Reg.* X, 6. . . 10.

Et exivit ut lavaret pedes suos, et ecce piscis immanis exivit ad devorandum eum. . . . Tunc dixit ei Angelus: Extentera hunc piscem; et cor ejus, et fel, et iecur repone tibi: sunt enim haec necessaria ad medicamenta utiliter. *Tob.* VI, 2, 5.

Et det vobis cor omnibus, ut colatis eum, et faciatis ejus voluntatem corde magno et animo volenti. *II Machab.* I, 3.

Utque hoc factum est, et tempus affluit, quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur. *II Macchab.* I, 22.

Et meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar et scopebam spiritum meum. *Psal.* LXXVI, 6.

Similis factus sum pellicano solitudinis: sicut nycticorax in domicilio: sicut passer solitarius in tecto. *Psal.* CI; 7, 8.

Vade ergo et comede in laetitia panem tuum, et bibe cum gaudio vinum tuum. *Eccli.* IX. 7.

Ecce constitui te hodie. . . ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et aedifices, et plantes. *Jer.* I, 10.

Scrutemur vias nostras, et quaeramus, et revertamur ad Dominum. *Thren.* III, 40.

Si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi! *Luc.* XIX, 42.

Rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis, ut operam detis ut quieti sitis, et ut vestrum negotium agatis. *I Thess.* VI, 10, 11.

In medio plateae ejus, et ex utraque parte fluminis signum vitae, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, et folia ligni ad sanitatem gentium. *Apocal.* XXII, 2.

Qui justus est justificetur adhuc: et sanctus sanctificetur adhuc. *Apocal.* XXII, 11.

Ex Ss. Patribus

Praeparare et disponere animam ad tollendas affectiones omnes

male ordinatas; et iis sublatis, ad quaerendam voluntatem Dei, et circa vitae suae institutionem, et salutem animae, exercitia vocantur spiritualia. *S. Ign. Loy. Annal. I.*

Cella terra sancta, et locus sanctus est, in qua Dominus, et servus ejus saepe colloquuntur sicut vir ad amicum suum; in qua crebro fidelis anima Verbo Dei conjungitur, sponsa sponso sociatur, terrenis caelestia, humanis divina uniuntur. *Bern. de vit. solit.*

Viximus multum tempus mundo, reliquum vivemus et nobis ipsis. Ecquid animae aequiparabile? Quid regno Caelorum comparandum? *Bas. hom. in Sanct. Bap.* § III.

Ut tutius in cella habites, tres tibi deputatae sunt custodes; scilicet Deus, conscientia, et spiritualis Pater; Deo debes pietatem, cui te totum impendas; conscientiae tuae honorem, coram qua peccare erubescas; patri spirituali obedientiam caritatis, ad quem in omnibus recurras. *Bern. de vit. solit.*

Dum per varias actiones vitae hujus sollicitudo distenditur, necesse est, de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere; unde magna divinae pietatis dignatione, provisum est, ut ad reparandam mentium securitatem aliquot dierum nobis exercitatio moderetur. *Leo ser. IV de Quoad.*

Sit tibi vel oratio assidua, vel lectio: nunc tu cum Deo loquere, nunc Deus tecum. Ille te praeceptis tuis instruat, ille disponat. *Cypr. lib. ad Donat.*

Pedes qui sunt animae affectiones, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi esse non possunt, quin vanitati, aliquando voluptati, aut curiositati, plusquam oporteret cedat animus vel ad horam: in multis enim offendimus omnes. *Bern. in Coen. Dom.*

Sanctus Carolus Cardinalis, Archiepiscopus Mediolanensis, bis singulis annis saltem ab urbe discedebat, seque in remotis, solitariisque locis colligens, plures dies, totus ab omni alia occupatione liber, tum superioris temporis errata dolebat, dum se se spiritualibus, divinisque contemplationibus ad majorem sanctitatem incitabat. Inde caelesti pobulo refectis animae viribus, ad sua curricula rediens, alacrisque descendebat. *Vita S. Caroli* lib. VII.

Per quietem mentis homo a tumultu mundanorum avertitur, et Deo unitur, et ideo in gratia conservatur. Unde Angelus dixit Arsenio: Si vis salvus fieri fuge homines, tace, quiesce. *Et sedete in civitate* (sic Christus Apostolis suis), quoadusque induamini virtute ex alto. (*Luc.* XXIV.) Expende verba, cape mysteria; quae a te exigitur ad reformationem spiritus praeparatio! Monet sedere,

indicans quietem maxime animi, a creaturis, a suis passionibus, ab omnibus negotiis, et manere, et animam disponere ad gratiam divinam capessendam. Facile acquiescas gratiae Dei, et induaris virtute ex alto, quando cognoscas te esse omnino nudum, et sine gratia ejus nihil boni. Recide alias inutiles occupationes, quae spiritum dissipant, conscientiam tuam gravant; et da dies animae, si dedisti corpori annum. Sanctae quietis dulcedinem persuadet Christus, et tamen vesana iniquorum mens plus assequi aspera carnaliter, quam tenere blanda spiritualiter gaudet, et dum in continuis distractionibus consumat dies et annos, nunquam vel rarissime sedet, ordinat, componit negotia animae! In istis visibilibus nugis, quas intuemur, cor extra se spargitur, et quidquid intrinsecus agatur, obliviscitur, dum extrinsecus occupatur. At nunc misericors Deus, quos suos tenere diligit, eos sollicite ab exterioribus actionibus avocat: *Ecce ego lactabo eam, et ducam in solitudinem, et loquor ad cor ejus* (*Oseae* II). Dic mihi quando erit tempus putationis, scilicet tollere malum, et plantare bonum? Sed malum, quod nemo videt, nemo arguit, et ut possis videre, debes meditari. Secede ergo te non tantum ab hominibus, sed a rebus omnibus, et solum hoc tempore de Deo cogita. Examina hoc tempore exercitiorum cogitationes tuas, voluntates, affectus, passiones. Quotidie quaeram potius, quid faciam, quam quid docebo, quid loquar? Scientiis, et verbis non obtinetur coelum, sed factis. Vis acquiescere doctrinae Domini? Sede, in quiete spirituali ad pedes ejus per humilitatem. Confluunt aquae gratiarum ad humilitatis convallem. Audi cum prompta obedientia quid loquatur Dominus Jesus. Quod nunc potes, non differre extra hoc tempus. Hodie quaerit te Deus, a quo forsitan reiicitur. O quoties te quaesivit Deus! Quid debes tantae bonitati? Generosa utere resolutione, sciens esse nune tempus acceptabile, dies salutis.

5. Voluptas

Ex Sacris Scripturis

Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. *Job* XXI, 12, 13.

Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via. Fuge ab ea, nec transeas per illam; declina, et deserere eam. *Prov*: IV, 14. 15.

Dixi ego in corde meo: Vadam, et affluam deliciis, et fruar bo-

nis. Et vidi, quod hoc quoque esset vanitas. Risum reputavi errorem: et gaudio dixi: Quid frustra deciperis? *Eccles.* II, 1, 2.

Dixerunt enim (*impii*) cogitantes apud se non recte. Exiguum, et cum taedio est tempus vitae nostrae, et non est refrigerium in fine hominis, et non est qui agnitus sit reversus ab inferis: quia ex nihilo nati sumus, et post hoc erimus, tamquam non fuerimus, etc. . . Venite ergo, et fruamur bonis, quae sunt, et utamur creatura tamquam in juventute celeriter. Vino praetioso et unguentis nos impleamus: et non praetereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. *Sap.* II, 1, . . 6, . . 8 et seq.

Vae vobis, qui ridetis nunc; quia lugebitis, et flebitis. *Luc.* VI, 25.

Mortificate ergo membra vestra, quae sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quae est simulacrorum servitus. *Coloss.* III, 5.

Juvenilia autem desideria fuge: sectare vero justitiam, fidem, spem, caritatem, et pacem cum iis, qui invocant Dominum de corde puro. *II Tim.* II, 22.

Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo: quoniam omne, quod in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbiae vitae: quae non est ex Patre, sed ex mundo est. Et mundus transit, et concupiscentia eius. *Joan.* II, 15.

Unde bella et lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quae militant in membris vestris? Concupiscitis et non habetis: occiditis et zelatis, et non potestis adipisci: litigatis, et belligeratis, et non habetis: . . . et in concupiscentiis vestris insumatis. *Jacob.* IV, 1, 2, . . 3.

Ex Ss. Patribus

Minus voluptatibus stimulatur qui non est ubi frequentia est voluptatum. Minus avaritiae molestias patitur, qui divitias non videt. *Aug. de sing. cler.*

Nihil prodigae satis est voluptati: semper famem patitur sui, qui alimentis perpetuis nescit impleri. *Amb. sup. Luc.* lib. VI.

Non decipiamus nos ipsos: detur enim, quod per totam vitam nostram voluptati vacaverimus: sed quid ad infinita saecula? hic enim et bona et mala finem habent; illic autem immortales poenae; hic si ardeat corpus, egreditur anima; illic incorrupto resurgente corpore semper anima comparetur: peccatores enim incorrupti resurgent, non ut honorentur, sed ut immortaliter in tormentis permaneant. *Gris. hom. XXII ad pop. Antioch.*

Semper voluptas famem sui habet, et transacta non satiat. *Hier. in ep. ad Rom.*

Voluptas est veluti quaedam hamus diaboli ad perniciem nos trahens. Voluptas mater est peccati, peccatum autem stimulus mortis. Voluptas nutrix est aeterni vermis, quae ad tempus quidem demulcet fruentem, ac postea felle amariores retributiones facit. *Aug. lib. VI, ep. XLII.*

Sicut piscator hamo capit pisces, sic diabolus homines voluptate. *Aug. ep. XXXVI.*

Infelix commercium, pro tam brevi gaudio, caelesti privari regno. *Aug. de con. mund.* cap. VII.

Voluptas est cum quadam lubrica suavitate ad illicita foedae mentis inclinatio. *Isid. in Synon.*

Licet saepe in medio carnalium Deus protegat vitam electorum, tamen satis rarum est, ut quisque inter saeculi voluptates positus, a vitii maneat illibatus, in quibus etsi non cito implicetur, aliquando tamen attrahitur, nec enim diu potest esse securus, qui periculo fuerit proximus. *Isid. de sum. bon.* lib. III.

Quid prosunt divitiae? quid epulae, quid diliciae, et ab his et illis parta voluptas? non liberabunt a morte, non defendent a verme, non eripient a foetore. *Tert. lib. de Spect.* XXVII.

Malum omnium facilius vincitur, quam voluptas; quia illud quidquid est, horridum est, hoc vero blandum est. *Cypr. de Bon. Pud.*

Delicatus es Christiane, si et in saeculo voluptatem concupiscis, imo nimium stultus, si hoc existimas voluptatem. *Tert. lib. de Spect.* XXVIII.

Hanc voluptatis concupiscentiam auctores tum sacri, quam prophani uno ore adfirmant esse contemnendam. Apud Platonem, qui cogitationum sublimitate meruit nuncupari divinus; *Voluptas*, inquit, *est malorum esca, qua homines capiuntur, ut hamo pisces.* Apud Ciceronem, qui ob miram qua pollet eloquentiam, vocitatur Orator; *malorum omnium mater voluptas, cujus blanditiis corrumpuntur, quae bona sunt.* Apud Moralem Philosophum, velut latro habetur voluptas: *Voluptatem habe tanquam latronem.* Ab Ænea vocitatur voluptas: *Mors mellea.* A Marco Tullio: *Capitalior pestis.* A Pythagoricis: *Malorum omnium fons.* Clemens Alexandrinus appellat: *improbitatis et vitii metropolim* (lib. VII *Strom.*). Quia ad illam omnia confluunt ut ad metropolim cives. Gregorius Nyssenus, *patronam* (*Orat.* VI), eo quod omnium prope vitiorum suscipiat patrocinium. Gregorius Nazianzenus, *flammam* (*Orat.* VIII) ratio-

nem fumo suo obscurantem, et ardore suo voluntatem sufflammantem. Verum quantumvis voluptas rationis lumini adversetur; quantumvis sit flamma virtutes comburens, pestis animum inficiens; latro strangulans, et mortem afferens; tyrannus in servitutem redigens; hamus homines capiens; criminum parens, vitiorum metropolis, malorum omnium fons, et scaturigo: homines hoc nomen quieti et tranquillitate dederunt, eam appetunt, ambulant in ea, gaudent, in ea avocantur, in ea etiam gloriantur; sine qua vita expetenda esse videatur. Ignorant, miseri, veram voluptatem non esse sitam in his falsis oblectationibus. Vera voluptas quae est sanctorum, tranquillitate non angustia est tractanda; voluptas vera humana hujus saeculi saeva est, rosas in spinas, suavitates in saevitias convertens. Voluptas humana hujus saeculi saeva est, et quo magis crescit cupido temporalium, eo magis crescit saevitia cordis. *Coronemus nos rosis* (sic insipientes voluptatibus implicati) *antequam marcescant: nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra* (*Sap.* II). Quid in coronis floride roseis, quid herbaceis pratorum lasciviis? In rosis latent spinarum radices, non pungunt, quia lenes sunt spinarum radices: hactenus spinae non sunt, sed rosae, quae pulchritudine nitent, et suavitate fragant; sed quia cum rosis nascuntur, et adolescunt spinae, expecta tantisper, et pulchrum et lene rosetum commutatum videbis in rude spinetum, quod attractantium manus cruenter lacerat. Sic voluptates humanae in spinas commutantur, blanditiae in crudelitatem. Nobis enim militandum est, et quidem genere militiae, quo nunquam otium datur. Debellandae sunt ergo in primis voluptates, quae saeva quoque ingenia rapuerunt. Dic, quanto urget voluptas, dic: Si voluptati cessero, cedendum est dolori, cedendum est simul labori, cedendum est paupertati. Scito non tantum in coelo, ubi absterget Deus omnem lagrimam, sed etiam in hac vita comitatur, vel sequitur incomparabilis consolatio. At vae tibi qui rides cum mundo, quia in aeternum lugebis et flebis.

6. Ignorantia

Ex Sacris Scripturis

Et immisit in eos Dominus leones, et ecce interficiunt eos, eo quod ignorent ritum Dei terrae. *IV Reg.* XVII, 26.

Et quia nullus intelligit in aeternum peribunt. *Job.* IV, 20.

Qui dixerunt Deo: Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. *Job* XXI, 14.

Usquequo . . . imprudentes odibunt scientiam? *Prov.* I, 22.

Et qui evitat discere incidet in mala. *Prov.* XVII, 16.

Ubi non est scientia animae non est bonum. *Prov.* XIX, 2.

Sed et in via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos aestimat. *Eccles.* X, 3.

Neminem enim diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia inhabitat. *Sap.* VII, 28.

Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei. *Sap.* XIII, 1.

Rex insipiens perdet populum suum: et civitates inabitabuntur per sensum potentium. *Eccli.* X, 3.

Non erudietur qui non est sapiens in bono: cor fatui quasi vas confractum, et omnem sapientiam non tenebit. *Eccli.* XXI,14,17.

Propterea captivus ductus est populus meus quia non habuit scientiam. *Isa.* V, 13.

Non est enim populus sapiens, propterea non miserebitur ejus, qui fecit eum, et qui formavit eum, non parcet ei. *Isa.* XXVII, 11.

Verbum . . . Domini projecerunt, et sapientia nulla est in eis. *Jerem.* VIII, 9.

Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi: et oblita es legis Dei tui obliviscar filiorum tuorum et ego. . . . Et populus non intelligens, vopulabit. *Oseae* IV, 6, . . 14.

Et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam. *Baruch.* III, 28.

Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire. *I Cor.* VIII, 2.

Si quis autem ignorat ignorabitur. *I Cor.* XIV, 38.

Hoc igitur dico, et testificor in Domino, ut jam non ambuletis, sicut et Gentes ambulant in vanitate sensus sui. *Ephes.* IV, 17.

Ex Ss. Patribus

Melius est nescire, quam errare: melior est fidelis ignorantia, quam temeraria scientia. *Aug. in definit.*

Multa scienda nesciuntur, aut sciendi incuria, aut sciendi desidia, aut inquirendi verecundia; et quidem hujusmodi ignorantia non habet excusationem. *Ber. sup. XII grat. humil.*

Ordinis ignorantia conturbat negotiorum naturam, formamque meritorum. Statutis facere contraria, non est intelligere, sed ignorare. *Ambr. sup. Beat. immacul.*

Non est parum scire, quod nescias, frustra sibi de infirmitate vel ignorantia blandiuntur, qui, ut liberius peccent, libenter ignorant vel infirmantur. *Bern. sup. XII grad. hum.*

Tolerabilius est Deo quempiam cum ignorantia in humilitate jacere, quam cum elatione alta sapere. *Greg.* lib. XVII. *Moral.*

Cum nostram ignorantiam cognoscimus, levius aliena onera toleramus: nunquam Deus mentem deserit, qui in peccatis se veraciter cognoscit. *Greg.* lib. I *Moral.*

Ignorantia sui initium omnis peccati: ignorantia Dei consummatio omnis peccati. *Bern. in Cant.* ser. XXVII.

O utinam saperes, et intelligeres, ac novissima provideres: saperes quae Dei sunt, profecto inferna horrores, superna appeteres, quae ad manus sunt, contemneres. *Bern. in cap. IV Cant.*

Otium stultitiam, labor scientiam generat. Scientiae labor in tria dividitur, scilicet in laborem disciplinae, exercitii, et doctrinae. In pueritia labor disciplinae, in juventute exercitii, in senio doctrinae: ut quae nescit, in pueritia discat, quae didicit, in juventute ad usum ducat, quod adduxerit, in senio doceat. *Hugo de claust. anim.* lib. II.

Si inscitia vix in laicis videtur tolerabilis, quando magis in eis qui praesunt, nec minima excusatione digna est? Quomodo excusari posset in eo, qui ex officio, se magistrum infantium et doctorem insipientium profitetur? Ignorantia presbyterorum est mater malorum. Literis carens Sacerdos, nec discernere valens inter sacrum et profanum ad officium suum aptus non est. Ignorantia tanquam pestis a statu nostro abjicienda. Ad arentem enim fontem quis perget, ut hauriat aquas? Magnum certe dedecus Ecclesiae, inscium videre Presbyterum, qui ad se confluentibus tenetur monita propinare salutis. Quam multipliciter et miserabiliter experitur Ecclesia, quid periculi sit, ubi Pastor non invenit pascua, ubi Dux ignorat itineris viam, ubi Vicarius nescit Domini voluntatem! Maxime vero plus est studendum in libro conscientiae, quam in libro scientiae, ut possis veram eliminare ignorantiam. Ibi enim perfecte se homo videt, et cognoscit, sed qui ibi non studet se non videt, quod maxima ignorantia est. Quando quisque se minus videt, tanto minus sibi displicet, et quanto majoris gratiae lumen recipit, tanto amplius reprehensibilem se esse cognoscit. Argue te et statue te contra faciem tuam. Modo te non vides, et ignoras teipsum; facias ut videas te, quia si videres te et displiceres tibi, placeres Deo: quia vero non te vides, placuisti tibi, displicebis et Deo et tibi. Vaca ergo studio sancto, vaca recto fine ac ordine, vaca cum oratione. Non scruteris temerarie mysteria. *Qui enim scrutator est majestatis opprimetur ab ea* (*Prov.*XXV). Vaca lectioni sed non sine humilitate; melius est enim nescire, quam errare; et melior

est fidelis ignorantia, quam temeraria scientia. Utilis lectio, utilis est et eruditio ; sed multo magis necessaria est unctio, quae obtinetur oratione ad Deum, qui est scientiarum Dominus, docetque omnem scientiam.

7. Spes

Ex Sacris Scripturis

Et reversus est populus (*Israel*) ad castra: dixeruntque majores natu de Israel: Quare percussit nos Dominus hodie coram Philistiim? Afferamus ad nos de Silo arcam foederis Domini, et veniat in medium nostri, ut salvet nos de manu inimicorum nostrorum. *I Reg.* IV, 3.

Etiam si occiderit me (*Deus*), in ipso sperabo. *Job* XIII, 15.

Sperent in te qui noverunt nomen tuum ; quoniam non dereliquisti quaerentes te, Domine. *Psal.* IX, 11.

Ego autem in misericordia tua speravi (*Domine*). Exultabitur cor meum in salutari tuo, cantabo Domino, qui bona tribuit mihi: et psallam nomini Domini Altissimi. *Psal.* XII, 6.

In te (*Domine*) speraverunt patres nostri: speraverunt, et liberasti eos. . . Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre: spes mea ab uberibus matris meae, etc. *Psal.* XXI, 5, . . 10.

Expecta Dominum viriliter age: et confortetur cor tuum, et sustine Dominum. *Psal.* XXVI, 14.

Sperantem autem in Domino misericordia circumdabit. *Psal.* XXXI, 10.

Spera in Domino, et fac bonitatem; et inhabita terram, et pasceris in divitiis ejus. *Psal.* XXXVI, 3.

In Deo salutare meum, et gloria mea: Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est. Sperate in eo, omnis congregatio populi etc. *Psal.* LXI, 8, 9.

Mihi autem adhaerere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam. *Psal.* LXXII, 28.

Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine: bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus. *Psal.* CXVII, 8, 9.

Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiae tuae. *Prov.* III, 5.

Respicite filii nationes hominum: et scitote quia nullus speravit in Domino, et confusus est. Quis enim permansit in mandatis ejus, et derelictus est? aut quis invocavit eum, et despexit illum? *Eccli.* II, 11, 12.

Benedictus vir, qui confidit in Domino; et erit Dominus fiducia ejus. *Jerem.* XVII, 7.

Nolite credere amico: et nolite confidere in duce: ab ea, quae dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui. . . . Ego autem ad Dominum aspiciam, expectabo Deum Salvatorem meum: audiet me Deus meus. *Mich.* VII, 5, . . 7.

Et in nomine ejus gentes sperabunt. *Matth.* XII, 21.

Spe . . . salvi facti sumus. Spes autem, quae videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus. *Rom.* VIII, 24, 25.

Non simus fidentes in nobis, sed in Deo. *II Cor.* I, 9.

Propter quod succincti lumbos mentis vestrae, sobrii perfecte sperate in eam, quae affertur vobis gratiam, in revelationem Jesu Christi. *I Petr.* I, 13.

Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum (*Deum*): quoniam ipsi cura est de vobis. *I Pet.* V, 7.

Et omnis qui habet hanc spem in eo (*Deo*), sanctificat se, sicut et ille sanctus est. *I Joan.* III, 3.

Ex Ss. Patribus

Si mihi praemia premittentur per te obtinenda, sperabo: si insurgant adversum me praelia, si saeviat mundus, si premat malignus, si ipsa caro adversus spiritum concupiscat, in te ego sperabo. *Bern. ser. IX sup. Qui habitat.*

Spes nostra tam certa est, quasi res jam perfecta sit: neque enim timemus, promittente Veritate; Veritas enim nec falli potest, nec fallere. *Aug. in Psal.* CXXXIII.

Tria considero, in quibus tota spes consistit; caritatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis. *Ber. in Psal. Qui habitat.*

Vita vere mortalis, spes est vitae immortalis. *Aug. sup. Psal.* III.

Si impius es, cogita publicanum; si immundus es, attende meretricem; si homicida es, perspicere latronem; si iniquus es, cogita blasphemum; considera Paulum prius persecutorem, postea annunciatorem. *Gris. hom. II in Psal. L.*

Nemo diffidat, nemo veterum conscius peccatorum desperet praemia divina. Novit Deus mutare sententiam, si tu noveris mutare delictum. *Ambr. in Luc.*

Sunt qui sperant quidem in Domino, quia sic de misericordia ejus sibi ipsis blandiuntur, ut a peccatis suis non emendentur; vana est omnino spes ista, et haec confundit, eo quia caritas desit. *Ber. ser. I in Psal. Qui habitat.*

In te Domine speravi; non in sapientia saeculi, non in divitiis mundi, non in viribus corporis, non in sanitate carnis, non in nobilitate sanguinis, non in tutamento principum, non in praesidiis amicorum. *Greg. in Psal.* III.

Dicit fides: parata sunt magna inexcogitabilia bona a Deo fidelibus suis: dicit spes: mihi illa servantur; nam tertia quidem charitas: curro ego, ait, ad illa. *Bern. ser. X super Qui habitat.*

Spes sine vita virtutum non est spes, sed praesumptio. *Ber. ser. I sup. Sal. Reg.*

Spes in aeternitatem animum erigit, et idcirco nulla mala, quae exterius tolerat, et sentit. *Greg. Moral.* lib. VI, cap. XIII.

Ne creatore desperare est, spem in creatura ponere. *Bern. ser. X, super Qui habitat.*

Tanta spes in Deum solidior surgit, quanto pro illo quisque graviora pertulerit. *Greg. Moral.* lib. X, cap. XII.

Frustra sperat, qui Deum non timet. *Aug. in Psal.* LXXXI.

Tu es Domine, spes mea: Quidquid agendum, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid optandum, tu es Domine, spes mea, haec una mihi omnium promissionum causa, mihi autem adhaerere Deo bonum est, et ponere in Domino Deo spem meam. *Bern. ser. X sup. Qui habitat.*

Qui est qui confunditur? Qui dicit, quod sperabam non inveni. Non immerito. Sperabas enim de homine. Maledictus autem, qui spem suam ponit in homine. Confunderis, quia fefellit te spes; fefellit spes posita in mendacio; omnis enim homo mendax. Si autem ponas spem in Deo tuo, non confunderis, quia ille, in quo posuisti, fallere te non potest. *Aug. in Psal.* XXXVI.

Spes fidei excitat credulitatem, patientiam reportat, fortitudinem animat, orationi efficaciam praestat, caritatis ignem sufflammat. Licet enim fides sit actio intellectus supernaturali lumine arcana Dei mysteria percipiens: spes vero est actus voluntatis objecta fidei perspicere non valens: dicitur fidei cognitio, quia fidei vigorem praestat, ejusque credulitatem firmat: sicque *spes est fidei gloria*, ait Veronensis Antistes. Est spes patientiae robur, quae spei vigore armata adversitates constanter portat, dolores laetanter tolerat, persecutores fidei fortiter debellat. *Si spem*, ait Ambrosius, *auferas, non potest perpetua esse patientia; nam patientiae radix spes est* (*Ambr. in Psal. CXVIII*). Fortitudinem animat ad condemnanda fortunae damna, ipsamque vitae corporalis jacturam. *Spes resurrectionis fastidium est mortis* (*Tert.* lib. I *ad Nat.* XIX), orationique efficaciam praestans. *Tertia ala est spes, quae*

in divinae pietatis observatur palatio (*Pet. Dam. Ser. LII*). Divinam misericordiam orans,et exorans; caritatis ignem sufflammans. Spes enim est expectatio futurae beatitudinis, quam homo non potest assequi, nisi virtute Dei; et ideo, qui sperat beatitudinem diligit. Si enim ut vult Apostolus ex spe coelestis praemii diligimus sanctos: *Dilectionem, quam habetis in sanctos propter spem, quae reposita est vobis in coelis* (*Coloss.* I); quanto magis spes est causa quare diligamus Deum tanquam principale objectum futurae beatitudinis, quam per ipsum,et ab ipso speramus in coelis? Sed neque beati in coelo, neque damnati in inferno, sed dumtaxat viatores valent elicere actus spei Christianae, et supernaturalis. Non quidem beati, quia spes est boni futuri, et absentis. *Spes quae videtur non est spes* (*Rom.* VIII). Neque etiam damnati, quia spes tetendit in bonum, quod apprehenditur possibile, et futurum. Damnati autem, utpote in malitia confirmati, certo sciunt se numquam beandos. Soli igitur viatores eliciunt actus spei, futuram beatitudinem sperantes. Ut speres in Deum, et ab illo aeternam expectes beatitudinem, necessarii tibi sunt actus spei, tum necessitate medii, tum necessitate praecepti. Necessitate medii Apostolus enim inquit: *Spem non habentes sunt sine Deo in hoc mundo* (*Ephes.* I). Necessitate etiam praecepti, quod nobis intimat Regius Vates. *Sacrificate sacrificium justitiae et sperate in Domino* (*Psal.* IV). Sed et Apostolus scribens ad Hebraeos (cap. VI), cupit ut spes quotidie augeatur, donec perficiatur, et consummetur: crescente enim sancta vita, crescit et spes, et quantum unusquisque majori morum probitate praeditus est, tanto magis sperat. Excita ergo et fove spem coelestis beatitudinis; expecta ab inexhausta Dei misericordia et largitate omnes quidem gratias. Quando in ministerii tui functionibus lassitudinem, fastidium, aut aliquod animi deliquium sentis, spem tuam in Deum erige. Ne tamen incauta securitate torpescas. Sicut enim non est sperandum sine Dei timore, ita nec timendum sine Dei auxilio. Spera, et dic confidenter: In te, Domine, speravi non confundar in aeternum.

8. Christus ad Annam

Ex Sacris Scripturis

Omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt labiis, et moverunt caput. . . Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me. *Psal.* XXI, 7, . . 12.

Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, et rugiens. *Psal.* XXI, 13.

Factus sum tamquam vas perditum: Quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu. In eo dum convenirent simul adversum me, accipere animam meam consiliati sunt. *Psal.* XXX, 12, 13.

Judica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta ab homine iniquo et doloso erue me. *Psal.* XLII, 1.

Irruerunt in me fortes. *Psal.* LVIII, 3.

Adversum me loquebantur qui sedebant in porta: et in me psallebant qui bibant vinum. *Psal.* LXVIII, 13.

A tribus timuit cor meum, et in quarto facies mea metuit; delaturam civitatis, et collectionem populi; calumniam mendacem: super mortem omnia graviora. *Eccl.* XXVI, 3.

Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obtumescet, et non aperiet os suum. *Isa.* LIII, 7.

Ego autem ecce in manibus vestris sum:... veruntamen scitote, et cognoscite, quod si occideritis me, sanguinem innocentem tradetis contra vosmetipsos, et contra civitatem istam et habitatores ejus. *Jerem.* XXVI, 14, 15.

Nunc vastaberis filia latronis: obsidionem posuerunt super nos, in virga percutient maxillam judicis Israel. *Mich.* V, 1.

Et adduxerunt eum ad Annam primum: erat enim socer Caiphae qui erat Pontifex anni illius. *Joan.* XVIII, 13.

Pontifex ergo interrogavit Jesum de discipulis suis, et de doctrina ejus. Respondit ei Jesus: Ego palam locutus sum mundo: Ego semper docui in Synagoga, et in Templo, quo omnes Judaei conveniunt; et in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos, qui audierunt, quid locutus sum ipsis: ecce hi sciunt, quae dixerim ego. Haec autem cum dixisset unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu. *Joan.* XVIII, 19, 20, 21, 22.

Percutiet te Deus, paries dealbate. Et tu sedens judicas me secundum legem, et contra legem, jubes me percuti? *Act.* XXIII, 3.

. . . Sustinetis enim si quis in servitutem redigit . . . . si quis in faciem vos caedit. *II Cor.* XI, 20.

Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. *I Pet.* II, 22.

Ex Ss. Patribus

In omnibus, quae illa popularis, et sacerdotalis insania contumeliose, et procaciter inferebat, nostrae diluebantur maculae, nostrae expiabantur offensae. *Leo ser. V de Pass.*

Cecidit Christus in terram, et ex ore sanguinem emisit; et in

veneranda maxilla digitorum impressio mansit cum livido colore. *Bonav. med. Pass.*

Creator, qui de pulvere terrae hominem per gratiam finxerat, a manibus, quas ipse formaverat, alapam accipit! *Cyp. ser. de Pass. Dom.*

Pius Jesus de discipulis nihil respondit, quia ab ipso fugerant, et id solum dicere poterat. Extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meae. *Bonav. med. Pass.*

Si cogitemus, quis acceperit alapam, nonne vellemus eum, qui percussit, aut coelesti igne consumi, aut alia graviori poena puniri? quid per potentiam non potuisset, per quam factus est mundus, nisi patientiam nos docere voluisset, qua vincitur mundus? *Aug. tract. CXIII in Joan.*

Unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu. Quid hoc impudentius? Exhorrescat coelum, contremiscat terra de Christi patientia, servorum impudentia. *Gris. hom. XXVIII in Joan.*

Tu homo, non sustinens ab homine tecum ejusdem naturae contumeliis affici, imitare Dominum tuum; si enim ille, cum Deus esset, toleravit pro te ab homine peccatore colapho caedi; tu indignaberis, quod alius tibi convicium dicat, et ultionem paras? *Ath. ser. de Pass. Dom.*

Grande miraculum stupore plenissimum est, cernere Christi Regis mansuetudinem; palma caesus a servo. Dominus patitur, irascitur servus, et Dominus in sua benignitate persistit! *Ephr. de Pass. Dom.*

Contremuerunt coeli, inhorruerunt fundamenta orbis terrarum; angeli et arcangeli obstupuerunt; Gabriel et Michael vultum suum contexerunt; cherubim in throno sub rota se absconderunt; seraphim in se mutuo alas in illa hora concusserunt, quando ille impietatis ac tenebrarum minister alapam dedit Domino majestati et gloriae. *Ephrem de Pass. Dom.*

Res admiratione dignissima est fratres, videre Christi Regis, ac Domini nostri clementiam: alapa quippe a servo percussus, prudentissime cum omni mansuetudine ac reverentia respondit. Indignatur servus, tolerat Dominus, servus ira concitatur, Dominus in sua benignitate permanet. *Idem ibid.*

Expaverunt Angeli omnes, cum daret minister iniquitatis alapam Domino majestatis. *S. Ephrem. de Pass. Dom.*

Quasi quemdam et nullius rei hominem deludentes. *Clem. Alex.*

Mirabantur Angeli, videntes undique Dei Filium attritum, despectum, agitatum, illusum. *Laur. Just. lib. de triumph. Ago. Chr.* cap. XIV.

Taceo, quod figitur, in hoc enim venerat: numquid lumen sub-

eunde morti, etiam contumeliis opus fuerat? sed saginari voluptate patientiae discessum volebat. *Aug. lib. I de Cons. Evang.* VI.

Quo plus conculcatur, et conteritur crocus eo suaviorem exhalat odorem, majoremque prae se fert decorem, et virtutem. Inter herbas mirificas horti sponsae reperitur crocus (*Cant.* IV): per crocum Anselmus aeternam intelligit sapientiam; Philo vero Carpathius virum patientem denotari existimat. Utrumque Christo competit, qui est sapientia genita, et admirandam prorsus demonstravit in responsis quas dedit in domo Annae, et patientiam quando servus insolens dedit ei alapam. Attende tantisper et considera. Postquam milites in horto Gethsemani comprehenderunt, et ligaverunt Jesum, duxerunt illum ad Annam Pontificem, qui Christum statim interrogat de doctrina, et discipulis. Huic interrogationi modeste, et humiliter respondit Salvator. Malchus Annae servus videns suum dominum ex Christi responsione confusum, immemor beneficii a Christo accepti, pro insolentia, et ingratitudine diabolica, coram omnibus dedit ei alapam. Dubium non est quin aeternus Pater tantam vindicasset temeritatem, nisi Agnus ille innocens, suam mitigasset iram, eique suum obtulisset Sanguinem, quo facilius tanti facinoris veniam impetraret. Oh patientia et amor Salvatoris. Sed ne hoc solum. Reus et sceleratus Anna, judicem Christum examinat. Stat modestissimus Judex Jesus ante reum. Qua superbia? quibus insanis irrisionibus interrogatur? quomodo ejus doctrina eluditur? Deus ab hominibus, justus a peccatoribus judicatur! Mereor, ut judicia me meliorum tolerem, qui innocens tulit judicia iniquorum. Et dum ad omnia silentem Jesum contemplaris, disce sancto silentio, longe minores tibi illatas, aut forte tantum apprehensas injurias tolerare.

9. Christi imitatio

Ex Sacris Scripturis

Describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar a Sacerdotibus Leviticae tribus. *Deut.* XVII, 18.

Et accenderunt lucernas, quae super candelabrum erant, et lucebant in templo. *I Mach.* IV, 50.

Et exemplo didici disciplinam. *Prov.* XXIV, 32.

Surge, illuminare, Jerusalem: quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. *Isa.* LX, 1.

Vidi et ecce candelabrum aureum totum, et lampas ejus super caput ipsius, etc. *Zach.* IV, 2.

Adhuc eo loquente ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite. *Matth.* XVII, 5.

Nam quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. *Rom.* VIII, 29.

Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut et ego Christi. Ideo misi ad vos Timothaeum, qui est filius meus carissimus, et fidelis in Domino: qui vos commonefaciet vias meas, quae sunt in Christo Jesu. *I Cor.* IV, 16, 17.

Imitatores mi estote, sicut et ego Christi. *I Cor.* XI, 1.

Christi bonus odor sumus Deo in iis, qui salvi fiunt, et in hii, qui pereunt: aliis quidem odor mortis in mortem; aliis autem odor vitae in vitam. *II Cor.* II, 15, 16.

Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos solvos fieri. *Act.* IV, 12.

Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus. *Rom.* VIII, 9.

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. *I Pet.* II, 21.

Qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. *I Joan.* II, 6.

Ex Ss. Patribus

Christus omnibus omnia factus est, pauper pauperibus, dives divitibus, flens flentibus, esurientibus esuriens, sitiens sitientibus: cum Maria flet, cum Apostolis epulatur, cum Samaritana sitit, in deserto esurit, ut cibus primi hominis quem praevaricatione gustaverat, jejunio Domini salveretur. *Amb. sup. Luc.* lib. IV.

Volantia animalia se vicissim ferunt alis suis, quia sanctorum mentes in eo quod superna appetunt, consideratis invicem alteris virtutibus excitantur. Ala enim sua me percussit Christus qui exemplo suo me ad melius accendit. *Greg. Moral.* lib. XXIV.

Ad hoc nobis de coelo Christus missus est, ut aperiret nobis vias virtutum, et erudiret nos per semetipsum, ut sicut ad imaginem ejus naturaliter creati sumus, ita ad morem ejus similitudinem per imitationem virtutis reformemur. *Amb. de Isaac et anima.*

Parum erat Deo, ut Filium suum daret demonstratorem viae, cum ipsum viam fecit, ut per illum ires regentem te, ambulantem per se. *Ephrem. ser.* II.

Tria sunt quae in Christo nobis expressa plenis viribus exerce-

re debemus, videlicet: I. improbare vivaciter saeculi vanitatem, quia et JESUS, ne Rex constitueretur a turbis, aufugit; II. exercere viriliter poenitentiam, quia JESUS sicut agnus occisus est; III. habere veraciter geminam caritatem; quia JESUS dedit semetipsum nobis, et pro inimicis oravit. *Bern. lib. Senten.*

Tota vita Christi in terris per hominem, quem gessit, disciplina morum fuit; omnia enim bona mundi Christus contempsit, quae contemnenda docuit; et omnia mala sustinuit, quae sustinenda praecepit, ut nec in iis quaereretur felicitas, nec in istis infelicitas timeretur. *Aug. de ver. Rel.*

Veri Christiani appellationem habemus, si Christum in vita nostra expressemus. *Greg. Niss. de perfect. Chr.*

Summum studium nostrum sit in vita Jesu Christi meditari. *Kemp. de imit. Chr.*

Quis non post illum libenter atque alacriter currat, qui et ab errore liberat, et errata dissimulat? qui deinde merita vivendo tradit, et praemia moriendo conquirit. *Ber. ser. IV in Cant.*

Esurivit Christus, qui omnes pascit, sitivit, per quem creatur omnis potus, et qui spiritualiter panis est esurientium, fonsque sitientium: ab itinere terrestri fatigatus est, qui seipsum nobis viam fecit in coelum: obmutuit coram convitiantibus, per quem mutus locutus est, et surdus audivit. Vinctus est qui de infirmitatum vinculis nos solvit: flagellatus est, qui omnium flagella dolorum ex hominum corporibus expulit. Crucifixus est, qui cruciatus nostros finivit. Mortuus est, qui mortuos suscitavit, sed et resurrexit nunquam moriturus, ne ab ipso quisquam sic discederet, et mortem condemneret quasi nunquam futurus. *Aug. de Catech. rudib.*

Omnes Christiani sunt filii Dei, filii virtutum, filii exemplorum, filii passionis, filii crucis, sed id particulariter Sacerdotibus competit. Cuncti Christiani tanquam discipuli Christi, exempla ejus imitari tenentur, et ideo tenentur imitari, patientiam, resignationem ad Dei voluntatem, humilitatem, caritatem, paupertatem etc. sed multo magis homines Deo dicati ad sectanda vestigia ejus tenentur, tamquam sectatores Christi. At proh dolor! quam pauci sunt hac aetate imitatores Christi! Quis enim potest dicere cum Apostolo: *Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto*? (*Gal.* VI).Quamvis autem ipse Christus quibuscumque hominibus sit magisterium et adjutorium ad capessendam aeternam salutem, ut loquitur Augustinus: Apostolorum autem et discipulorum suorum peculiari quadam ratione se Magistrum esse professus est. Ideo ad eos dixit: *Magister vester unus est Christus* (*Matth.* XXIX). Et ite-

rum per Joannem: *Vos vocatis me, Magister et Domine, et bene dicitis, sum etenim* (*Joan.*XIII). Quomodo vero magisterium illud erga ipsos exercuerit, ideo subdit: *Exemplum enim dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis* (*Joan.* XIII). Vita Jesu est liber vitae, via perlucida, speculum perfectionis. Luceat imago ejus in confessione nostra, luceat in lectione, luceat in operibus et factis. Sed multi imitatores Christi esse volunt in monte Tabor, pauci et forsitan ad exemplar ne unus quidem in Calvariae monte. Qui enim sunt hac aetate, qui ad exemplar Christi velint subire ludibria, verbera, injurias? qui studeant conformes fieri Christo patienti? qui cruces desiderent, quaerant et ferant? Esto imitator Christi. Non vivas tibi, sed ei qui pro te mortuus est. Cui enim justius vivas, quam ei, qui, si non fuisset mortuus, tu non viveres? Christum imitare in omnibus operibus tuis. Conditio optima est esse sub Christo, sub quo et pretiosa est servitus et gloriosa libertas. In omnibus conforma te Christo, et dic confidenter cum Petro: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes.* (*Joan.* V, 69).

10. Visitatio infirmorum

Ex Sacris Scripturis

His ita transactis, nuntiatum est Joseph, quod aegrotaret pater suus: qui, assumpsit duobus filiis, Manasse et Ephraim, ire perrexit. Dictumque est seni: Ecce filius tuus Joseph venit ad te. Qui confortatus sedit in lectulo. *Gen.* XLVIII, 1.

Porro Ochozias filius Joram rex Juda descendit invisere Joram filium Achab in Jezrael, quia aegrotabat ibi. *IV Reg.* VIII, 29.

Eliseus autem aegrotabat infirmitate, qua et mortuus est: descenditque ad eum Joas rex Israel, et flebat coram eo, dicebatque: Pater mi, pater mi, currus Israel, et auriga ejus. *IV Reg.* XIII, 14.

Igitur audientes tres amici Job omne malum, quod accidesset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphaz, Themanites, et Baldad Suhites, et Sophar Naamathites. Condixerant enim, ut pariter venientes, visitarent eum, et consolarentur. *Job* II, 11.

Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus: universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus. *Psal.* XL, 4.

Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit. *Eccli.* VII, 3.

Non desis plorantibus in consolatione, et cum lugentibus ambula. Non te pigeat visitare infirmum; ex his enim in dilectione firmaberis. *Eccli.* VII, 38.

Tunc dicet Rex (*Christus Judex*) his, qui a dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. . . Nudus, et cooperuistis me: infirmus, et visitastis me. *Matth.* XXV, 34, . . 36.

Tunc respondebunt ei justi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, et pavimus te: sitientem, et dedimus tibi potum: infirmum . . . et venimus ad te? etc. *Tunc respondebit eis*: Quamdiu fecistis uni ex fratribus meis minimis, mihi fecistis. *Matth.* XXV, 37.

Miserunt ergo sorores ejus (*Lazari*), ad eum, dicentes: Domine, ecce quem amas, infirmatur. Audiens autem Jesus, dixit eis: Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eum. *Joan.* XI, 3.

Et misit illos praedicare regnum Dei, et sanare infirmos. *Luc.* IX, 2.

Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt per exhortationem, qua exhortamur et ipsi a Deo. *II Cor.* I, 4.

Rogamus autem vos, fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. *Thess.* V, 14.

Ex Ss. Patribus

Cibum porrige, medicamentum adhibe, vulnus alliga, de calamitate aliquid percunctare, de patientia orationem habe. *Greg. Niss. Or.* XVII.

Cur anima tota diu anxiaris post Christum? indicabo tibi quem diligit anima tua; certe in infirmitate jacet, et ibi angustiatur, ibi torquetur; curre, et sibi ministra, et sibi comportere infirmanti. *Bonav. in Stim. div. Amor.* cap. I.

Qui veram ostendit corporis infirmitatem, humane tractandus est. *Aug. de oper. monac.*

In visitatione infirmorum quilibet se ibi modeste gerat, ac submissa voce loquatur, et de rebus, quae infirmum exhilarare, et consolari, nec non circumstantes aedificare possit. *Vinc. a Paul. de infirm.*

Quod si Parochus legittime impeditus, infirmorum, ut quando plures sunt, visitationi interdum vacare non potest, id praestandum curabit per alios Sacerdotes, si quos habet in Parochia sua, aut saltem per laicos homines pios, et christiana charitate praeditos. *Rit. Rom.* n. 3.

In primis autem spiritualem aegrotorum curam suscipiat, omnem-

que diligentiam in eo ponat, ut in viam salutis eos dirigat, atque a diabolicis insidiis salutarium adjumentorum praesidio defendat, ac tueatur. *Idem* n. 6.

Ad aegrotas mulieres etiam accedet, sed sibi comitem adjungere curabit virum vel Ecclesiasticum, vel laicum sanctae caritatis operibus deditum, et omnino nunquam erit in cubiculo solus; et cum necesse fuerit ob Poenitentiae Sacramentum ministrandi, patenti tamen ostio id praestabit. *Carl. Borrom.* II pars *Synod. Dioec. Eccles. Milan.*

Illos maxime visitandis et consolandis assiduam charitatem navabit, qui rerum omnium indigentia, et morbi acerbitate miserabilem in modum afflicti, curationem difficillimam experiuntur, quorum paupertatem, commotus zelo pietatis sublevabit. *Idem ibid.*

In quatuor modis infirmitates contingunt. Vel ut justis merita per patientiam augeatur, ut Job. Vel ad corriggenda peccata, sicut Mariae lepra, et paralytico. Vel ad gloriam Dei, ut caeco nato, et Lazaro. Vel ad initium poenae ut Herodi, quatenus hic videat, quod in inferno aequatur. Quocumque modo sit vel procedit infirmitas, caritas christiana moveat te, visitandos infirmos ut possis praestare adjumenta sive animae sive corporis. Singularis te cura teneat eorum, qui omnibus auxiliis sunt destituti; quibus, si non potes succurrere de tuo, per eleemosynas aliorum necessitatibus illorum subvenias. Christus Dominus ad filium Reguli ire noluit; ad salutem vero servi venire paratus fuit. Etsi modici proventus tui, exerce tamen misericordiam. Si tibi non est pecunia, potes tamen visitare, dare poculum aquae frigidae, praebere parum pecuniae, sicut vidua evangelica, ingemisce in corde tuo propter infirmos. Si nihil habes, collagryma: magnum est infirmo remedium miseratio ex animo collata. *Si multum tibi fuerit*, monebat Tobias, *abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit*, *etiam exiguum libenter impertiri stude* (*Tob.* IV). Visita aegrotantes tuae curae concreditos; accede eos ultro, ac quoties opus fuerit; hortare fideles, ut te vocent, cum aliquem aegrotare contingerit, praecipue si morbus gravior fuerit. Visita illos, et quae decet Sacerdotem Domini, cum honestate, scilicet et gravitate operare, ut tum aegris, tum domesticis verbo et exemplo prosis ad salutem. Quam maxime autem spiritualem aegrotantium curam suscipe, omnemque diligentiam in eo pone, ut in viam salutis eos dirigas. Ad circumstantes etiam aliquando dirigendo sermonem, ut a peccati facie fugiant veluti a facie colubri: incertam mortis horam bonis operibus praeveniant: et hoc, ut tua praesentia (dum ibi licuerit morari) etiam alios lucrifa-

ciat, et aedificet. Omnia autem curat exequi religiosa gravitate, ac magna omnium in Domino aedificatione. Proinde non debes oculos circumferre: ne curiosum te praebeas, nec levem: quo quidem vitium a Sacerdotali statu procul abesse debet; maxime autem si mulieres adsint, quas bono exemplo aedificabis. Omnia autem, quae tractantur spiritualia sint, vel de rebus ad salutem animae infirmi spectantibus. Examina, quo affectu demandata charitatis opera suscipias. Forte, et tu ibi curris, ubi proprium aliquod commodum affulget: et langues vel fugis,ubi proximo est succurrendum. Accedens ad aegrotum,in promptu habeas argumenta ad persuadendum apta.Exempla Christi patientis, et Sanctorum, ad consolandum, excitandum,et recreandum illum plurimum valent.Hortare eum,ut omnem spem suam in Deo ponat, peccatorum suorum dolorem eliciat, divinam misericordiam imploret, ac infirmitatem, tanquam paternam Dei visitationem, patienter ferat. Deinde cum prudentia et caritate illum ad confessionem inducas, et confitentem (si velit), audias, etiamsi velit totius vitae peccata confiteri. Alternatim etiam Rosarium B. Mariae, seu illius coronam recitari faciebat coram infirmo S. Philippus Nerius , submissa voce , ne infirmus molestia , afficiatur. Qua vero fiducia, si diligenter visitaveris infirmos, in hora mortis, Deo, non tibi, dans gloriam, dicere poteris. *Domine cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo: Quos dedisti mihi, custodivi: et nemo ex eis periit* (*Joan.* XVII).

11. Cura domesticorum

Ex Sacris Scripturis

Si emeris servum Hebraeum, sex annis serviet tibi: in septimo egredietur liber gratis... Qui percusserit servum suum, vel ancillam virga, et mortui fuerint in manibus ejus criminis reus erit . . . Si percusserit quispiam oculum servi sui, aut ancillae, et luscos eos fecerit, dimittet eos liberos, pro oculo quem eruit. *Exod.* XXI, 2, 20, 26.

Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane. *Levit.* XIX, 13.

Septimus dies sabbati est, id est, requies Domini Dei tui. Non facies in eo quidquam operis tu , et filius tuus, et filia, servus, et ancilla, et bos, et asinus, et omne jumentum tuum, et peregrinus, qui est intra portas tuas: ut requiescat servus tuus , et ancilla tua, sicut et tu. *Deut.* V, 14.

Servus verbis non potest erudiri: quia quod dicis intelligit, et respondere contemnit. *Prov.* XXIX, 19. 21.

Qui delicate a pueritia nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem. *Prov.* XXIX, 21.

Non laedas servum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam. *Eccli.* VII, 22.

Servus sensatus sit tibi delectus quasi anima tua, non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum. *Eccli.* VII, 23.

Cibaria, et virga, et onus asino: panis et disciplina et opus servo. Operatur in disciplina, et quaerit requiscere: laxa manus illi, et quaerit libertatem. Jugum et lorum curvant collum durum, et servum inclinant operationes assiduae. Servo malevalo tortura et compedes, mitte illum in operationem, ne vacet. *Eccli.* XXXIII. 25, et seqq.

Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua; quasi fratrem sic eum tracta. Si laeseris eum injuste in fugam convertetur. *Eccli.* XXXIII. 31. 32.

Et vos, domini, eadem facite illis (*servis*), remittentes minas, scientes, quia et illorum et vester Dominus est in coelis: et personarum acceptio non est apud eum. *Ephes.* VI, 9.

Domini quod justum est, et equum, servis praestate: scientes, quod et vos Dominum habetis in coelo. *Coloss.* IV, 1.

Si quis autem suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infedeli deterior. *I Tim.* V, 8.

Ex Ss. Patribus

De salute omnium, qui in domo tua sunt, sollicitus esto, quia pro omnibus tibi subiectis, qui in domo tua sunt, rationem Domino reddes. *Aug. lib. de salut. docum*, cap. XXIV.

Ne negligentes sitis in corrigendis vestris, ad curam scilicet vestram quoquo modo pertinentibus, monendo, docendo, hortando, terrendo, quibuscumque modis potestis, agite. *Aug. de verb. Apost.* ser. XXIII.

Quam late patet detractionis locus, dicentibus gentibus: Christianos sine affectione esse, qui despiciunt suos! quam enim turpe est, te exraneos docere, et tuos in errore relinquere? *Gris. hom. XIV, ad Tim.*

Sicut prodest humilitas servientibus, ita nocet superbia dominantibus. *Aug. lib. XIX de Civ. Dei* cap. I.

Ament te domestici tui; si non: facito, ut timeant. *Bern. ad Eug.* lib. XIV.

Ubi nullum est imperium, ibi nullus ordo; ubi multorum imperium, ibi seditio. *Greg. Naz. lib. III de Theol.*

Est sapienti servire, libertas: ex quo colligitur, quod stulto im-

perare, servitus est: et quod pejus est, cum paucioribus praesit, pluribus dominis et gravioribus servit. Servit enim propriis passionibus, servit suis cupiditatibus quarum dominatio nec nocte, nec die fugari potest, quia intra se dominos habet, intra se servitium patitur intollerabile. *Hier. in Ep. ad Simplician.*

Placet tibi homo servus tuus fidelis, et tu non vis esse Deo tuo fidelis? qui habes servum, attende quia habes dominium: servum tuum potuisti comparare, non creare. Dominus tuus vero creavit te, et sanguine suo redemit te: si viluisti tibi, recole pretium tuum, si oblitus es, lege Evangelium instrumentum tuum. Fidem amas in servo tuo, et Dominus non quaeret eam in suo? Redde quod exigis: quod tibi gaudes reddi ab inferiore, redde superiori: Amas servum qui fideliter custodit aurum tuum? noli contemnere Dominum, qui misericorditer custodit cor tuum. *Aug. ser. L de Communib.*

Longe diversa ratione produxit Deus Angelos, et homines: cunctos namque simul creavit Angelos; homines vero non simul, sed primo Adamum plasmavit; de Adamo formavit Evam, ab Adamo et Eva totum humanum genus successiva propagatione suam ducit originem. Quamdiu mortalem, et temporalem vitam ducant homines alimento, et victu indigent ad conservationem individuorum, hinc evenit, propter societatem servandam ex dispositione Dei, homines servire aliis hominibus, cum ratione originis ab eodem patre descendant et tenentur per consequens vicissim ad amorem. Dominus ergo cum diligit servum, diligit cum amore concupiscentiae, quia est illi utilis, sibique affert bonum; et pro utilitate ac bono tenetur curam habere illius. Sed fateor, nunc inverso ordine, servi potius volunt imperare, quam obedire, potius dominare quam dominari, et pro acceptis beneficiis respondent contumeliis. Patientiam habe, quia hodie qualis est pater familias, tales sunt Domini, et domestici . . . Si vis habere curam domesticorum, assuesce multa sustinere, et paratum omnibus iniuriis, et calumniis. Multis indiges? ergo multa patieris. Faciet Deus ut aliquando tibi concedat bonum famulum. Erit ne aliquando? Reposita est haec spes mea in sinu meo. Sed pervigilem decet esse eum, qui servorum opus indiget. Si vis bonorum famulum, fac te esse bonum herum. Quam turpe est audire a famulis dum de malo arguuntur, sese excusare, dicentes: Dominus praecepit; nam et dominus damnabitur, eo quod crimen mandaverit; servus quoque, eo quod ad domini imperium scelus commiserit. Unde vult Petrus, ut servi obediant non contra conscientiam, *sed propter conscientiam.*

12. Lingua moderanda

Ex sacris Scripturis

Non eris criminator, nec susurro in populo. *Lev.* XIX, 16.

Remove a te os pravum, et detrahentia labia sint procul a te. *Prov.* IV, 24.

In multiloquio non deerit peccatum ; qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est, etc. *Prov.* X, 19.

De fructu oris tui homo satiabitur bonis: anima autem praevaricatorum iniqua. Qui custodit os suum, custodit animam suam: qui autem inconsideratus est ad loquentum , sentiet mala. *Prov.* XIII, 2, 3.

Qui moderatur sermones suos, doctus et prudens est: et pretiosi spiritus vir eruditus. *Prov.* XVII, 27.

Labia stulti miscent se rixis: et os ejus jurgia provocat. *Prov.* XVIII, 6.

Mors et vita in manu linguae; qui diligunt eam comedent fructus ejus. *Prov.* XVIII, 21.

Qui custodit os suum et linguam suam , custodit ab angustiis animam suam. *Prov.* XXI, 23.

Ne timere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Deus enim in Coelo, et tu super terram: idcirco sint pauci sermones tui. *Eccles.* V, 1.

Est tacens , qui invenitur sapiens : et est odibilis , qui procax est ad loquendum. *Eccli.* XX, 5.

Indisciplinatae loquelae non assuescat os tuum: est enim in illa verbum peccati. . . . Homo assuetus in verbis improperii , in omnibus diebus suis non erudietur. *Eccli.* XXIII, 17, . . 20.

Dico autem vobis (*ait Christus*), quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. *Matth.* XII, 36.

Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum: et malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur. *Luc.* VI, 4, 5.

Qui enim vult vitam diligere , et dies videre bonos , coerceat linguam suam a malo, et labia ejus ne loquantur dolum. *I Petr.* III, 30.

Sit autem omnis homo velox ad audiendum : tardus autem ad loquendum, etc. *Jacob* I, 19.

In multis offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit: hic perfectus est vir. *Jacob* III, 2.

Lingua dicitur, quia lingit; lingit adulando, mordet detrahendo, occidit mentiendo; ligat, et ligari non potest, labilis est, et teneri non potest, sed labitur, et fallitur; labitur ut anguilla, penetrat ut sagitta, tollit amicos, multiplicat inimicos; movet rixas, seminat discordias; uno ictu multos percutit, et interficit; blanda est, et subdola, lata, et parata ad exhaurienda bona, et miscenda mala. *Bern. de int. domo* cap. V.

Periculum est dicere non solum falsa, sed etiam vera: si is ea, non quibus oportet, insinuet. *Amb. sup. Beati immac.*

Nullum aeque congruum diabolo organum lingua humana in ministerium est interitus, atque peccati: inde mors, inde lapsus, inde perditio, inde naufragium praeparatur. *Gris. hom. ad Bapt.*

Lingua sub magni moderaminis liberatione fraenanda est, non insalubriter fraenanda. *Greg.* lib. V *Moral.*

Ingreditur mors, per ostium tuum, si falsum loquaris, si turpiter, si procaciter: postremo, si ubi non oportet, loquaris. *Ambr. ad Nep.*

Alliga sermonem tuum, ne luxuriet, et multiloquio peccata sibi colligat: sit restrictior, et ripis suis coerceatur; cito lutum colligit omnis exundans. *Ambr. de Off.* lib. III.

Lingua plena veneno mortifero utique nocentior est, quam bestiarum atque serpentum, quia illum carnem interficit, haec animam. *Aug. lib. de nat. et grat.* cap. XV.

Complures vidi loquendo in peccatum incidisse, vix quemquam tacendo: ideoque tacere nosse difficilius est, quam loqui. *Ambr. de Off.* lib. I, cap. II.

Homo domat feram, et non domat linguam? domat leonem, et non frenat sermonem? domat ipse, et non domat seipsum? . . . Equus non se domat, comelus non se domat, aspis non se domat, leo non se domat, sic et homo non se domat: sed ut dometur equus, camelus, elephantus, aspis, leo, quaeritur homo: ergo et Deus quaeratur, ut dometur homo. *Aug. ser. IV de verb. Dom.*

Religa linguam tuam, si vis esse religiosus, quia sine linguae religatione religio vana est. *Bern. de mutat. aquae.*

Scirent homines spirituales, qui hoc experti sunt quantum auferat devotionis, quantum afferat dissolutionis intrinsecus frequens linguae resolutio: nam sicut fornax, cujus os semper apertum est, non potest in se retinere fervorem, sic nec cor devotionis in se gratiam poterit conservare, cujus os non fuerit janua silentii occlusum. Claudamus igitur os nostrum, ut cum devotionis fervore

Christum devotionis largitorem, in ferventi affectu possimus conservare. *Bern. tract. de Pass.* cap. XXVII.

Ante te aequitas, et iniquitas, unam linguam habes, quo vis eam vertis. Quare ergo potius ad iniquitatem, et non ad aequitatem? cibos amaritudinis non das ventri tuo, et cibos iniquitatis das linguae tuae malignae? Sicut eligis quo vescaris, sic elige quod loquaris. *Aug. in Psal.* XXXI.

Paraphrastes Chaldaeus illa verba Geneseos: *Factus est homo in animam viventem* (*Gen.* II) sic legit: *Factus est homo in animam loquentem*: quasi loquela non secus ac ratio sit propria hominis, qui si esset sermone viduatus, mutis animantibus similis foret. Ut autem homo demonstret se a bestiis discriminari, debet suam linguam moderari. Unde Siracides Ecclesiastici . . . . + *Quis dabit ori meo custodiam, et super labia mea signaculum certum, ut non cadam in ipsis, et lingua mea non perdet me?* (*Eccli.* XXII). Graeca versio legit, *signaculum astutum, cautum, prudens*; Tigurina, *signaculum sapientiae.* Ambrosius sic hoc locum explicat, et exponit: *Quis mihi imponet cogitationum mearum flagella? et quis dabit labiorum meorum signaculum?* (*in Psal.* XXXVIII) ne lingua mentem, et rationem praecurrat, sed loquatur caute, prudenter, sapienter, nullosque proferat sermones, nisi quos recta ratio, prudentia, et sapientia dictaverint? Optimo jure Regius Vates expostulat a Deo oris custodiam, et labiorum continentiam dicens: *Pone Domine custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis* (*Psal.* CXL). Ad quid oris custodia requiritur, ad quid necessarium est ostium, nisi ad pulsus linguae temperandos, ne nimia loquacitate oris turbetur harmonia? *Pulsa Domine citharam linguae meae*, ait Sanctus Ephrem, belle citharae comparans linguam. Sermo, velut linguae cithara, sit temperans: nam si consonantia sermonis cum ratione tollatur, tota oris harmonia inconcinna redditur: pacatam mentem exigunt sermones temperati, et ad concentum bene compositi. Hinc non immerito homo linguam suam fraenans perfectus est, quia linguae moderatio est signum evidens, quod fraenat caetera corporis membra, cunctas animi passiones moderatur, omnesque actiones ad leges modestiae, et virtutis componit. Garrulus e contra non est vir perfectus, neque linguae silentiis fraenum imponit. At enim vero Equus fraeno domatur, navis gubernaculo regitur, et homo loquax non fraenans linguam suam, animi non temperat motus, sed tamquam navis absque gubernaculo transfretans procellis agitur, et tanquam equus absque fraeno indomitus efficitur. Ideoque lingua

dicitur a Nazianzeno indomabilis, effraenis, exlex (*Tract. de silen.*). Non quod domari non possit camo rationis, nec quod non sit legi subiecta: sed quia subiectionem recusat, et obstinata loquacitatis licentia, tamquam effraenis jugum excutit. Doma igitur linguam tuam: vel si id ipse non possis exequi confuge ad Deum, qui illam fraenabit. Cum Dei adjutorio conatur anima domare linguam et dum conatur, petat auxilium et oret lingua, ut dometur lingua: nam qui linguam non fraenat; sua garrulitate religionem vanam demonstrat. Sapiens vero, idem ac Sacerdos, prae caeteris sermones suos praecogitat, et examinat prius in pectore, quam proferat in ore. Qui enim sunt leves et faciles ac importuni locutores, nullo rerum pondere innixi, in verbis tumidis et laxantibus inconsiderate prorumpunt. An et tu ex illis es? Corrige et emenda.

13. Synderesis

Ex sacris Scripturis

Et cum audisset vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam, et uxor ejus a facie Domini Dei in medio ligni paradisi. *Gen.* III, 8.

Omnis igitur, qui invenerit me, occidet me, ait Cain. *Gen.* IV, 14.

Merito haec patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, et idcirco venit super nos ista tribulatio. Ex quibus unus Ruben ait: Nunquid non dixi vobis: Nolite peccare in puerum, et non audistis me? en sanguis ejus exquiritur. *Gen.* XLII, 21, 22.

Nunc vero reminiscor malorum, quae feci in Jerusalem etc. *I Macch.* VI, 12.

Sonitus terroris semper in auribus illius; et cum pax sit, ille semper insidias suspicatur. *Job* XV, 21.

Quoniam die, ac nocte gravata est super me manus tua: conversus sum in aerumna mea dum configitur spina. *Psal.* XXXI, 4.

Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum: quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum, et sicut onus grave gravatae sunt super me... Miser factus sum, et curvatus sum usque ad finem: tota die contristatus ingrediebar. *Psal.* XXXVII, 4, 6.

Cum sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis: semper enim praesumit saeva perturbata conscientia. *Sap.* XVII, 10.

Tunc facies regis (*Baltassar*) commutata est, et cogitationes ejus conturbabant eum etc. *Dan.* V, 6.

Judas proditor, quia tormentum malae conscientiae amplius tolerare non potuit abiens laqueo se suspendit. *Matth.* XXVII, 5.

In omni quod dicitur, semper tacite recurrere debemus ad mortem, et interiorem testem et judicem requirere. Quid enim prodest, si omnes laudent, et conscientia accusat? Aut poterit obesse, si omnes derogent, et sola conscientia defendat? *Greg. sup. Ezech. hom.* IX.

Talis est peccantium consuetudo, omnia suspecta habent, umbras tremunt, omnem strepitum timent, et quemcumque existimant contra se venire, et aliis alia disserentibus, sibi ipsis conscii, cogitant illos de se sermocinari; talis res peccatum est, nullo arguente prodit, nullo accusante condemnat, pavidum facit, et timidum peccatorem. *Chrys. hom. XVIII ad prop.*

Conscientia mala, bene sperare non potest. *Aug. in Psal.* XXXI.

Quisquis malus est, male secum est, torqueatur necesse est; sibi ipsi tormentum est, ipse est enim poena sua; quem torquet conscientia sua; fugit ab inimico, quo potuerit, a se quo fugiet? *Aug. in Psal.* XXXVI.

Sicut mare tempestuosum, et fervens, inquietum, turbulentum, et subversivum est navigantium; sic homines pravi, et impii semper turbolenti sunt, et corde, et animo inquieti. *Dyon. Cart. in Isai.* 58.

Jussisti, Domine, et vere sic est, ut poena sibi ipsi sit omnis inordinatus animus. *Aug. Conf.* lib. II.

In vulpina conscientia est tepida conversatio, animalis cogitatio, ficta confessio, brevis est compunctio, obedientia sine devotione, oratio sine intentione, lectio sine edificatione, sermo sine circumspectione. *Isid. Hispal. Medit.* cap. XIII.

Conscientia peccati, formidinis mater. *Chrys. in Psal. L, hom. ibid.*

Nulla poena gravior, poena conscientiae. Vis autem nunquam esse tristis, bene vive. Secura mens tristitiam leviter sustinet: conscientiam autem rei semper in poena est. Nunquam securus est reus animus: mens enim mala conscientiae, propriis agitatur stimulis. *Isid.* lib. II *Soliloq.*

Conscientia quovis stimulo securius pungere consuevit peccatorem. *Chrys. hom. de Lazar.*

Conscientia mala contristat animam, eamque Deo exhibet immundam, Angeli foedam, sibi ipsi turbatam et inquietam. *Bern. de Inter. dom.* cap. XXIII.

Quidquid vis, potes fugere homo, praeter conscientiam tuam. Intra in domum tuam, requiesce in lecto tuo, intra interiora, in-

terius nihil potes habere, quo fugias a conscientia tua, si rodunt te peccata tua. *Aug. in Psal.* XXX.

Divina justitia peccatores flagellat in hac vita non solum privatis, sed etiam calamitatibus publicis, morbis etc. sed adhuc conscientiae stimulis. Conscientia namque idem praestat officium erga homines scelestos, quod paedagogus erga pueros. Paedagogus pueros inobsequentes flagellat; conscientia homines perversos cruciat; et ideo conscientia post peccatum est flagellum, quo Deus flagellat peccatores. Ad cujus probationem hic et conscientiam advoco, conscientiam appello peccatoris, qui si verum dicere velit, fatebitur, quod per humilitatem fatebatur de seipso D. Bernardus: *Proprii reatus conscientia non me requiescere sinit, sed de die in diem vehementer me torquet* (*Bern. Tract. de int. dom.* cap. XVIII). Ut enim habetur in jure civili, ingentia crimina punienda sunt ubi fuerunt patrata; et propheta quoque Deum deprecatur: *Contere impios in loco suo* (*Job* XL): ubi Magnus Gregorius: *Ubi oritur impietas, ibi conteritur* (*Moral.* lib. XXXII): at in corde peccata suam duxerunt originem; et bene cor punitur, et mala conscientia propriis agitur stimulis. Et ideo impii assimilantur ab Isaia Propheta procelloso et periculoso mari: *Impii quasi mare fervens quod quiescere non potest* (*Isa.* LVII). Quid per mare nisi conscientia prava accipitur, quam et memoria praeteritorum scelerum huc illucque impellendo exagitat? Quasi enim fluctus quidam e regione venientes ad invicem se collidunt; sic affliciunt animam quodammodo semper et flagellant, et toxicant; et recte prava conscientia non solum inquietitudine, sed etiam amaritudine, mare appellatur. Procellosum mare, ventorum turbine agitatum, nunc de suo velut extractum sinu, versus coelum ascendere nititur; nunc fluctus suos summo stridore scindens, ad inferos descendere videtur; nunc huc, nunc illuc suum dirigit cursum, semper inquietum, nullibi pacem, sed intra semetipsum undique experitur bellum. Recte igitur Synderesis malae conscientiae angor prae magnitudine tormentorum mari comparatur. Quemadmodum enim amarissimae maris aquae, et nimis profundae sunt, longissime, latissimeque undequaque protenduntur: ita malae conscientiae amaritudo, atrociter fluctuans, et profunditate ad inferos, et longitudine ad aeternitatem, et latitudine ad mortem, judicium et damnationem se extendit. Sic enim debet esse; nam conscientia est codex, in quo quotidiana peccata conscribuntur. Fac ut nihil mali scribatur: et ut facilius facias pro certo sit tibi magnam poenam esse conscientiam impiorum: piorum vero conscientiam, magnum gaudium.

Ideo conscientia sit semper humilis, et tristis: ut per humilitatem non superbiat, et per utilem moerorem cor ad peccata non feratur.

14. Amor proximi

Ex Sacris Scripturis

Non oderis fratrem tuum in corde tuo. . . Diliges amicum (*proximum*) tuum sicut te ipsum. *Levit.* XIX, 17, 18.

Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, et praeteribis: sed reduces fratri tuo. *Deut.* XXII, 1.

Omne animal diligit simile sibi: sic et omnis homo proximum sibi. *Eccli.* XIII, 19.

Et mandavit illis unicuique de proximo suo. *Eccli.* XVII, 12.

In tribus placitum est spiritui meo, quae sunt probata coram Deo, et hominibus: Concordia fratrum, et amor proximorum, et vir et mulier bene sibi consensientes. *Eccli.* XXV, 1.

Honora patrem tuum et matrem tuam; et diliges proximum tuum sicut te ipsum. *Matth.* XIX, 19.

Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoscunt omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. *Joan.* XIII, 34, 35.

Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. *Joan.* XV, 12.

Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem implevit. *Rom.* XIII, 8.

Sine offensione estote Judaeis, et Gentibus, et Ecclesiae Dei: Sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quaerens, quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant. *I Cor.* X, 32, 33.

Omnis enim lex in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. *Gal.* V, 14.

De caritate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis: ipsi enim vos a Deo didicistis, ut diligatis invicem. *Thess.* IV, 9.

Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes. *I Pet.* IV, 8.

Carissimi diligamus nos invicem; quia caritas ex Deo est. Et omnis,qui diligit, ex Deo natus est,et cognoscit Deum.*I Joan.*IV, 7.

Carissimi, diligamus nos invicem: quia caritas ex Deo est. Et omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum. Qui non diligit, non novit Deum: quoniam Deus caritas est. *I Joan.* IV, 7, 8, 9.

Proximum magis quoad animae salutem, quam corpus proprium ex caritate diligere homines tenentur. *Thom.* 2 2, q. 25, art. 6.

Amorem nostrum erga proximum plus bona opera loquantur, quam lingua, ut in ipso bono opere proximus amari se videat, et eum tantum non possumus quantum volumus operari, omnipotenti Deo occulta cordis nostri sufficiunt. *Greg. sup. Ezech.*

Caritas in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, inter veros fratres laetissima, inter falsos patientissima. *Aug. ser.* CCL.

Nemo illi, quem vere amat, invidet, cujusvis eum esse conspiciat gloriae, vel honoris, sed omnem ejus felicitatem, quasi suam libenter amplectitur. *Hier. in I Cor.* cap. XIII.

Nihil Deo specialius virtute dilectionis proximi; nihil desiderabilius diabolo, quam extinctio dilectionis. *Bern. ser. XIII ad sor.*

Per amorem Dei amor proximi gignitur, et per amorem proximi amor Dei nutritur. Nam qui amare proximum negligit, profecto Deum diligere nescit, et tunc plenius in Dei dilectione proficimus, si in ejus dilectione, prius proximi caritate laetamur. Amor Dei amorem proximi generat: et amorem proximi calefacit amor Dei. *Greg. in hom. XIV sup. Matth.*

Omnes homines aeque diligendi sunt: sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum et temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus coniunctus tibi, quasi quadam sorte, junguntur. *Aug. lib. I de doct. Christ.*

Unum praeceptum includitur in alio: qui enim diligit proximum, necesse est ut diligat Deum: licet enim obiecta sint diversa, tamen ipsi actus secundum consequentiam sunt unum. *Thom. Opusc.* LXI, cap. II.

Nemo dicat, in hominem pecco, quando non diligo fratrem: quomodo non peccas in Deum, quando peccas in caritatem, quia Deus caritas est. *Aug. Tract. VII in Joan.*

In duobus cherubinis super Tabernaculum positis, qui uno intuitu propitiatorium, et seipsos aspiciebant, caritas fraterna adumbratur. In mutuo respectu fraterna dilectio, inverso vultu ad propitiatorium, humilis reverentia ad Creatorem nostrum intelligitur: non enim vultus vertant in propitiatorium, qui se se mutuo non respiciunt: quia, qui proximum quem videt, non diligit: Deum, quem non videt, non potest diligere. *Petr. Cell. I Part. Tabern.*

Ut christiani ad fraternam accenderentur dilectionem, hoc unum

sufficere deberet, quod de hac mandatum habent a Christo, qui infinita pollet majestate. Praetereundum enim non est quod hujusmodi praeceptum est de amore, qui facillimus est, et naturae convenientissimus, et ideo vocatur a Bernardo: *Edictum dulce, suave praeceptum* (*Bern. in Cant.* XIV): suum Salvator mandatum appellat: vel ad denotandam ejus excellentiam, vel quia prius illud faciebat. Summa, ergo quam supra nos habet Christus auctoritas, urget nos ad illud observandum praeceptum, in quo omnia mandata continentur. Omnia mandata continentur, quia omnia praecepta a caritate ut a principio procedunt, et ad caritatem ut ad finem terminant. Omne enim, quod in Scriptura continetur, a primo capite Geneseos, usque ad ultimum Apocalypsis, ad caritatem ordinatur: omne quod in lege Mosaica, et Evangelica dispersum est, in caritate adunatur. Caritas est Incarnationis finis. Caritas est terminus, epilogusque legis, quae in illa consummatur et continetur. Caritas est forma virtutum, quae ab illa vitam, pulchritudinem, et valorem habent. Caritas est scripturarum meta, quae ad illam tendunt. Caritas est Evangelii plenitudo. Hinc quod est inter metalla aurum, ignis inter elementa, sol inter planetas, empyreum inter coelos, Seraphim inter Angelos, hoc idem inter virtutes est caritas. Inter virtutes theologicas dignitate praeeminet, sic dictae, quia Deum immediate respiciunt, et suam ab eo nobilitatem mutuantur: cum inter virtutes theologicas, caritas primum teneat nobilitatis gradum. *Fides, spes, caritas, tria haec; major horum est caritas* (*I Cor.* XIII). In coelo non remanet nec fides, nec spes, caritas vero nunquam excidit. Fides, et spes sunt virtutes viae, et non patriae; caritas in via augescit, et in patria consumabitur. Verum nihil adeo caritatis excellentiam demonstrat, quam Deus ipse, qui *caritas est.* Cum vero audis, quod Deus caritas est, quid amplius dici potuit? Nunc interroga cor tuum, vide utrum habeat hanc caritatem: si est ibi caritas, est ibi plenitudo legis; quia obsequitur principali praecepto, cujus observantiam praecipue Christus exoptat. Hinc ut ad fraternam accendereris dilectionem, hoc unum tibi sufficere deberet, quod de hac mandatum habes a Christo, qui infinita pollet auctoritate. Regula vero amandi proximum est quisque sibi. Nemo ficte, nemo non sincere amat. *Hoc fac et vives.*

15. Affectus praedominans

Ex Sacris Scripturis

Sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius. *Gen.* IV, 7.

Agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro justitia. *Eccli.* IV, 33.

Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui. *Eccli.* V, 2.

Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. Si praestes animae tuae concupiscentias eius, faciet te gaudium inimicis tuis. *Eccli.* XVIII, 30.

Operarius ebriosus non locupletabitur: et qui spernit modica, paullatim decidet. Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes, et arguent sensatos. *Eccli.* XIX, 1 2.

Intra in lutum et calca, subigens tene laterem. *Nahum* III, 14.

Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen, quod in te est, tenebrae sunt, ipsae tenebrae quantae erunt? *Matth.* VI, 23.

Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quae possidet. *Luc.* XI, 21.

Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in coelis, quo fur non appropriat, neque tinea corrumpit: ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit. *Luc.* XII, 33, 34.

Sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo: ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar. *I Cor.* IX, 27.

Dico autem: Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis. *Galat.* V, 16.

Erudiens nos, ut abnegantes impietatem, et saecularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc saeculo. *Tit.* II, 12.

Ex Ss. Patribus

Callidus Daemon explorat, an sit pars aliqua minus fida, cujus adita ad interiora penetretur. *Cyp. de zelo.*

Variis criminum febribus caro nostra languet, et diversarum cupiditatum immodicis aestuat ardoribus. Nec minorem febrem amoris esse dixerim quam caloris, itaque illa animum haec corpus inflammat. Febris enim nostra avaritia est, febris nostra libido est, eo quod ignitae sint cupiditates. Febris nostra ambitio est, febris nostra iracundia est, quae licet corporis vitia sint, ignem tamen opibus implicant, mentem, animum sensumque pertentant. *Ambr. lib. IV in Luc.*

Cui Deus venter est, et Deus recens est: quot vitia habemus tot habemus recentes Deos: iratus sum, ira mihi Deus est: vidi mulierem, et concupivi; libido mihi Deus est. Unusquisque quod cupit, et veneratur, hoc illi Deus est. *Hier. in Psal. LXXX.*

Pugna, repugna, noli eam cedendo satiare, sed resistendo necare, si ei non consentias, minor, et minor erit quotidie; nam sunt vires illius subiectio tua, si enim cesseris, das ei vires. *August. ser. XLV de temp.*

Ordinemus, et custodiamus in nobis statum utriusque substantiae, ne animam nobiliorem utique hominis portionem pars devolvat inferior, sed secum potius coelo sanctificatum corpus acquirat. *Bern. ser. V de Asc.*

Recta domus, ubi vir imperat, foemina obtemperat. Rectus ergo ille homo, ubi spiritus imperat, caro servit. *Aug. in Epist. ad quem. comit.*

Quicumque proprium corpus subiegerit,nec ejus passionibus turbari animam suam, rector sui congrua vivacitate permiserit, is bene regia quadam potestate se cohibens, rex dicitur: quod regere se noverit, et arbiter sui juris sit, ne captivus trahatur in culpam, nec preceps feratur in vitium. *Ambr. sup. Psal. Anima mea in man. meis.*

Non caret regia potestate qui corpori suo noverit rationabiliter imperare. Vere dominator est terrae, qui carnem suam regit legibus disciplinae, nec potest fieri, ut non grandi pondere ruinae super hominem voluntas propria cadat, si voluntati sui superioris extollendo eam praeponat. *Prosp. in suis sent.*

Omnia corpora unico verbo produxit Deus, hominem vero velut opus sui ingenii formavit: et qui caetera simplici cogitatione gubernat, ad regendum hominem totas ingenii vires contendit: homo enim, et passiones ejus adeo proclives sunt ad vitium, et promptae ad delinquendum, ut non facile possit cognoscere affectus praedominantes, et ideo requiritur cura divini ingenii. Siquidem ad coercendos carnis motus, ad cognoscendam licentiam passionum, ad fraenandum libidinis motum, ad cognoscendas affectiones praedominantes, ingeniosa cura, impensior solicitudo, et divini ingenii cura necessaria est. Ad haec adde, quod tam praeceps ad vitium est homo, et tam sollicitatrix est criminum caro, ut Apostolus ejus blandimenta et venena pertimescens exclamaverit. *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom.* VII). Si tam timet Apostolus, cui gratia tam copiose inerat quod divinam erga se benignitatem commendat, dicens: *Gratia Dei sum id quod sum*, quantus debet esse timor noster, et quas quaeso, cum cautela vita nostra dirigenda sit, ne praeoccupemur,

ab affectionibus praedominantibus ? Tanto magis vero, quia haec est natura passionum indomitarum, semper ad pejora contendere. Haec tibi sit ratio ut ad eas opprimendas inflammeris. Vide ergo quae sint in corde, ut curam tui habeas. Ne sinas passionem ullam dominari: plerumque amens efficeris, ut quod facis passione, excuses virtute; ita vestiuntur plerumque malae passiones. Irasceris, vis zelum videri, familiaritati peculiari indulges, vis caritatem aestimari, quod ex ira, vestis zelo, effundis te ad solatia creaturarum, vis dici fructuose conversari. Sed pallio, hoc non tegeris apud Deum, et hoc ablato clare cognosces esse affectum praedominantem. Erit tempus, quo aperietur veritas, et clare cognosces quid reapse sit.

16. Acedia

Ex Sacris Scripturis

Audiens autem Jacob, quod alimenta venderentur in Ægypto, dixit filiis suis: Quare negligitis ? Audivi, quod triticum venderetur in Ægypto : discedite, et emite nobis necessaria, ut possimus vivere, et non consumamur inopia. *Gen.* XLII, 1.

Et taedere caepit populus itineris ac laboris. *Num.* XXI, 4.

Quare ergo non custodisti dominum tuum regem ? ingressus est enim unus de turba, ut interficeret regem dominum tuum. Non est bonum hoc, quod fecisti : vivit Dominus : quoniam filii mortis estis vos, qui non custodistis dominum vestrum Christum Domini. *I Reg.* XXVI, 15.

Cum autem ingressi fuissent domum, dormiebat ille (*Isboseth*) super lectum suum in conclavi, et percutientes interfecerunt eum. *II Reg.* IV, 7.

Porro Levitae egere negligentius: Et vocavit rex Jojadam Principem, et dixit ei: Quare tibi non fuit curae, ut cogeres Levitas etc. *II Paral.* XXIV, 5.

Vade ad formicam, o piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam : Quae cum non habeat ducem , nec praeceptorem , nec principem, parat in aestate cibum sibi, et congregat in messe quod comedat. Usquequo, piger, dormies ? quando consurges e somno tuo ? *Prov.* VI, 6 et seqq.

Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium divitias parat. . . . Sicut acetum dentibus, et fumus oculis, sic piger his, qui miserunt eum. *Prov.* X, 4, . . 26.

Qui operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur otium stultissimus est. *Prov.* XII, 11.

Pigrum dejicit timor : animae autem effeminatorum esurient. *Prov.* XVIII, 8.

Pigredo immittit soporem, et anima dissoluta esuriet. Abscondit piger manum suam sub ascella, nec ad os suum applicat eam. *Prov.* XIX, 15, . . 24.

Propter frigus piger arare noluit : mendicabit ergo aestate , et non dabitur illi. Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat: aperi oculos tuos, et saturare panibus. *Prov.* XX, 4, . . 13.

Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti, et ecce totum repleverunt spinae, et maceria lapidum destructa erat. *Prov.* XXIV, 30.

Cum dormirent homines, venit inimicus, et superseminavit zizania in medio tritici. *Matth.* XIII, 25.

Quid hic statis tota dfe otiosis? *Matth.* XX, 6.

Respondens autem dominus ejus, dixit ei: serve male, et piger, sciebas, quia meto, ubi non semino, et congrego, ubi non sparsi. Oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis et veniens ego, recepissem utique quod meum est cum usura. . . . Et inutilem servum eiicite in tenebras exteriores: illic erit fletus et stridor dentium. *Matth.* XXV, 26, 27, 30.

Jesus venit ad Apostolos, et invenit eos dormientes, et dicit Petro: Sic non potuistis una hora vigilare mecum? vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. *Matth.* XXVI, 40.

Ex Ss. Patribus

Acedia, est quedam animi torpor, quo quis negligit aliqua bona inchoare, aut fastidit perficere. *Bern. ser. III sup. Cant.*

Acedia est remissio animae, resolutio mentis, pusillanimitas exercitationis, odium professionis, detractrix Dei, qua inviscerati , et existentis sine benignitate; attonita in psalmodia, infirma in oratione, in ministerio ferrea, in opere manuum pigra, in obedientia improba. *Clim. gr.* VII.

Experimento probatum est, acediae impugnationem non declinando fugiendam, sed resistendo superandam. *Cass. lib. X de inst. mon.*

Omnes sumus in minimis cauti, in maximis negligentes, hoc ita fit, quia ubi vera vita sit, ignoramus. *Hier. de hom. perfect.*

Tepescimus, fratres, processu temporis a fervore conversationis nostrae; paulatim refrigescit caritas, abundat iniquitas, ut consummemur carne; qui spiritus coeperimus: inde enim est, ut minus ea sciamus, quae a Deo donata sunt nobis, indevoti pariter, et ingrati; timorem Domini relinquimus: sanctam omittimus solitudinem, verbosi, curiosi, faceti, etiam detractores, et murmuratores, vacantes nugis, fugitantes labores disciplinae, quoties sine nota si licet, quasi vero confestim sit etiam sine noxa. *Bern. serm. III de Annum.*

Torpor et ignavia dicunt: si lectioni continuato studio semper insistis, oculorum caliginem incurris. Si indesinenter lachrymas fundis, ipsos etiam oculos amittis. Si prolatis vigiliis psalmorum censum persolvis insaniam capitis acquiris. Si quotidiano labore te conficis, ad opus spirituale quando consurgis? *Aug. de conf. vit. et virt.*

Quum te acedia vel taedio affici sentis, noli propterea diffidere atque desistere a studio spirituali: sed juvantis require manum, trahe te post eum obsecrans. *Bern. ser. XLIV.*

O homo imprudens, millia millium ministrant ei, et decies centena millia adsistunt ei, et tu sedere praesumis? *Idem ibid.*

Turpissima est jactura quae per negligentiam fit. Qui verum pretium temporis ponit, qui diem aestimet, qui intelligat se quotidie, imo in omni hora se mori, certo fugat acediam. In hoc enim fallimur quod mortem non prospicimus! Magna pars temporis jam ejus praeteriit! quidquid aetatis retro est, mors tenet. Noli putare nihil posse fieri ex infirmitate tua, sed potius ex tua acedia. Nam ea ad quae acediam habes, dura atque intoleranda credis: tormenta reputans, mittere manus ad opus, prima luce excitari: non ita difficilia sunt, sed tu enervus et acidiosus es. Quid vero fit per tuam acediam? Id quod legimus in Evangelio: *Cum dormirent homines, venit inimicus et superseminavit zizania* (*Matth.* XIII). Acedia Sacerdotum quam perniciosae quandoque ortae sunt haereses! Pondera saepius verba Apostoli: *Spiritu ferventes* (*Rom.*XXI); atque illa: *Maledictus, qui fecerit opus Dei negligenter!* (*Jer.* XLVIII) et haec etiam: *Et inutilem servum eiicite in tenebras exteriores* (*Matth.*XXV). Et hoc certo certius de te acciderit, nisi justitiam sitires, nisi contenderes de die in diem per omnia in illo, qui est caput Christus. An te non pudeat, spiritualium bonorum non minus cupidum inveniri quam saecularis cupiditatas bonorum temporalium? Quamdiu sumus in hoc saeculo, in acie constituimur; in vita quotidie dimicandum est. Tunc tempus erit quietis, quando jam Spiritus ipse tibi dicet, ut requiescas a laboribus tuis. Curramus igitur et nos, curramus usque ad mortem, ut accipiamus bravium. Qui vult ergo regnare cum Deo, sine acedia laborare debet pro Deo. Delectant praemia, quum pollicentur, deterrent certamina, quumjubentur. Non dormientibus provenit regnum coelorum, nec otio et desidia torpentibus beatitudo aeternitatis repromittitur.

17. Vox Dei

Ex Sacris Scripturis

Dicens: Si audieris vocem Domini Dei tui, et quod rectum est coram eo, feceris, et obedieris mandatis ejus, custodierisque omnia praecepta illius, cunctum languorem, quem posui in Ægypto, non inducam super te: ego enim Dominus sanator tuus. *Exod.* XV, 26.

Si autem non audieritis vocem Domini, etc. erit manus Domini super vos, et super patres vestros. *I Reg.* XII, 15.

Qui non audiverunt, sed induraverunt cervicem suam juxta cervicem patrum suorum, qui noluerunt obedire Domino Deo suo. Et abiecerunt legitima ejus, et pactum. *IV Reg.* XVII, 14, 15.

Mittebatque eis Prophetas, ut reverterentur ad Dominum, quos protestantes, illi audire nolebant. *II Paral.* XXIV, 19.

Quia vocavi et renuistis: extendi manum meam, et non fuit, qui aspiceret: Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsennabo, cum vobis id quod timebatis advenerit, etc. *Prov.* I, 24 et seq.

Quod si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis: gladius devorabit vos. *Isa.* I, 20.

Audite vocem meam, et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus: et ambulate in omni via, quam mandavi vobis, ut bene sit vobis. Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam: sed abierunt in voluntatibus, et in pravitate cordis sui mali: factique sunt retrorsum, et non in ante, etc. *Jerem.* VII, 23, 24.

Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te. *Jerem*, XLIV, 16.

Et noluerunt attendere, et averterunt scapulam recedentem, et aures suas aggravaverunt, ne audirent. Et cor suum posuerunt ut adamantem ne audirent, etc. *Zach.* VII, 11, 12.

Ego dormio, et cor meum vigilat: vox Dilecti mei pulsantis: aperi mihi soror mea, amica mea, etc. *Cant.* V, 2.

Jerusalem, Jerusalem, quae occidis Prophetas etc. . . . quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et nolusti ? *Matth.* XXIII, 37.

Dura cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis, etc. *Act.* VII, 51.

Ex Ss. Patribus

Vocat te mane Deus, exhortatur te nunc, expectat, donec respicias, et non tardas. *Aug. in Psal.* XCIV.

Ad negotiandum vocatus es, ne desperdas margaritam, ne thesaurum tuum depraedatur inimicus, ne navis demergatur una cum onere, et vacuus revertaris ad propria. *Ephr. in attende mihi.*

Statim ut susceperit flamma, curre: nescis enim, utrum brevi extinguenda sit, ne forte in tenebris te deserat. *Clim. gr.* III.

Ecce vocat nos Deus per se, vocat per angelos, vocat per patres, vocat per pastores, vocat etiam per nos; vocat per miracula, vocat plerumque per flagella, vocat aliquando per hujus mundi prospera, vocat aliquando per adversa. Nemo contemnat, ne dum vocatus se excuset, cum voluerit intrare non valeat. Audite, quid sapientia per Salomonem dicat: tunc invocabunt me, et non exaudiam, mane consurgent, et non invenient me; hinc est, quod fatuae virgines tarde venientes clamant, dicentes Domine, Domine aperi nobis, et audiunt; nescio vos. *Greg. hom. CLXXXVIII in Matth.*

Vocat undique Deus ad correctionem, vocat undique ad penitentiam, vocat beneficiis creaturae, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per misericordiam consolationis, longanimis, et multae misericordiae. Sed observa ne longitudine misericordiae Dei male utendo, tu tibi thesaurizes, quod ait Apostolus, iram in die irae et revelationis justi judicii Dei. *Aug. Enarr. in Psal.* CII.

Quam felix eris, si internae Dei vocationi sine mora gratulanter occurreris! *Kemp. de fid. disp.* c. 3.

Vox Dei sonet saepe saepius in auribus nostris et vocat nos Dominus per exteriora documenta, per collata beneficia, per interna consilia, per irrogata flagella. Vocat multos, sed pauci auscultant vocem ejus, ac per consequens pauci veniunt, quia ipsi qui ei per fidem subjecti sunt, aeterno ejus convivio non audiendo contradicunt. De hoc ipse conqueritur Deus dicens: *Vocavi, et renuistis.* Vocavit scilicet per legem et prophetas, et aliorum doctorum, ac per suos ministros documenta sua tradendo. *Extendi manum meam* dando vobis multa beneficia, et non fuit qui aspiceret. *Despexisti omne consilium meum* quod vobis saepe saepius inspiravi. *Et increpationes meas*, id est flagella mea, quae aliquando vobis inflixi, neglixistis. Ideo subdit: *Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis id quod, timebatis, advenerit* (*Prov.* I). Praeterea nos vocati sumus ut Deo, ut in studio ecclesiae militantis viam mandatorum ejus curramus. At videmus quod multi vocantur ad studium, sed tamen unus accipit bravium. Sic etiam multi sunt vocati, et per viam fidei et mandatorum Dei

velociter per aliquot spatium temporis currunt, sed tamen pauci perseverant. Vocat quoque Dominus ut in area militantis ecclesiae purgemur, et emendemur. *Cujus ventilabrum in manu sua: et permundabit aream suam* (*Matth.* III). Videmus autem quod multum de palea relinquitur, et parum de tritico in horreo reconditur. Sic etiam sunt multi qui bonis operibus vacui existentes, relinquuntur, et comburuntur, pauci vero in Dei horreo reconduntur. Vocavit quoque Dominus, ut in sua coelesti domo *tamquam lapides vivi aedificemur. Ipsi tamquam superaedificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum* (*I Pet.* II). Domus autem coelestis non aedificatur nisi de lapidibus pretiosis. *Ex lapidibus pretiosis omnis circuitus murorum ejus* (*III Reg.* VI). Videmus autem quod multi sunt lapides comunes, sed pauci sunt lapides pretiosi. Sic ad aedificandam coelestem domum, multi sunt vocati a Deo, sed lapides comunes sunt, quia habent tantum fidem, et non opera, qui et relinquuntur, et de his domus infernalis aedificatur. Pauci autem sunt lapides pretiosi qui fidem habent et opera, et hi in coelestem patriam assumuntur. Sed quoties vocavit te Deus? At quoties vocem ejus audisti, et obdurasti aures ne amplius audires illum? Et etiam dum sedes in peccato, dum toties actu peccas, tibi Deus ad cor loquitur! sed quoties dissimulas audire? Vocat te Deus post se, ut eum sequens semper habeas in oculis, ut videas, et premas vestigia ejus. . . . Vide dignitatem muneris, indignitatem tuam! Et cum prae magnitudine amoris raucae factae sint fauces ejus, poteris non audire, et non respondere?

18. Christus ad Caiphas

Ex Sacris Scripturis

Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum, et adversus Christum ejus. *Psal.* II, 2.

Quoniam circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obsedit me. *Psal.* XXI, 16.

Quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu. In eo dum convenirent simul adversum me, accipere animam meam consiliati sunt. *Psal.* XXX, 13.

Scrutati sunt iniquitates; defecerunt scrutantes scrutinio. *Psal.* LXIII, 6.

Princeps, qui libenter audit verba mendacii omnes ministros habet impios. *Prov.* XXIX, 12.

Stuppa collecta synagoga peccantium, et consumatio illorum flamma ignis. *Eccli.* XXI, 10.

Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me. *Isa*. L, 6.

Hic blasphemat. *Matth*. IX, 3.

Jesus autem tacebat. *Matth*. XXII, 63.

In principe daemoniorum ejicit daemones. *Matth*. IX, 34.

Hic dixit: Possum destruere templum Dei, et post triduum reaedificare illud. *Matth*. XXVI, 61.

At illi tenentes Jesum, duxerunt ad Caipham principem sacerdotum, ubi scribae et seniores convenerant. . . . Princeps autem sacerdotum, et omne concilium quaerebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent. . . . Et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent. *Matth*. XXVI, 57, 59, 60.

Nihil respondes ad ea, quae isti adversum te testificantur? . . . Jesus autem tacebat. Et princeps sacerdotum , ait illi : Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei. Dicit illi Jesus: Tu dixisti: Veruntamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei,et venientem in nubibus coeli. Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemavit : Reus est mortis. Tunc expuerunt in faciem ejus , et colaphis eum ceciderunt ; alii autem palmas in faciem ejus dederunt, dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? *Matth*. XXVI, 62, . . 64, . . 67, 68.

Ecce homo vorax et putator vini, publicanorum, et peccatorum amicus. *Matth*. XI, 19.

Multi enim testimonium falsum dicebant adversus eum: et convenientia testimonia non erant. *Marc*. XIV, 56.

Et alia multa blasphemantes dicebant in eum. *Luc*. XXII, 15.

Seducit turbas. *Joan*. VII, 12.

Nos scimus, quia hic homo peccator est. *Joan*. IX, 24.

Et misit eum, Annas, ligatum ad Caipham Pontificem. *Joan*. XVIII, 24.

Ex Ss. Patribus

Mendaces accedunt multi volentes gratiam tribuere Caiphae hoc ipsum desideranti. *Orig. hom. XXXVI in Matth.*

Hoc autem dixit volens ab eo responsionem elicere, ut ex ipsa eum capiat. *Chrys. hom. LXXXV in Matth.*

Sciebat enim ut Deus, quidquid respondisset, torquendum esse ad calumniam. *Hier. in Matth*. XXV.

Dominus quae sunt graviora suscepit, et calumniae appetitus,silentium detulit triumphale. *Ambr. in Psal*. CXXXVIII, *ser*. XVII.

Bene tacet, qui defensione non indiget. *Amb. in Matth.* XXVII.

Iste (*Caiphas*) sacerdotium a judaeis emerat, et a Pilato, ideo iniquus erat princeps; et non mirum, si iniquus judex, sive princeps, iniquum faciat judicium. *Thom. in cap.* XXVI *Matth.*

Nefas est barbam vellere, quae est pulchritudo generosa et ingenuosa. *Clem. Alex. Pedag.* l. III.

D. Hieronymi sententia est, molestias illas et poenas quas Domino illa nocte intulere, ante extremi judicii diem non fore manifesta. *Taul. de pass. Dom.* c. V.

Quod dictum est: Expuerunt in faciem ejus, significavit eos, qui ejus praesentiam gratia respuunt. Item tamquam colaphi eum caedunt, qui honores suos ei praeferunt. *Aug. in lib. I. q. Evang.*

Quia in satanae nomine convenerant, effundere innoxium Christi sanguinem: ideo malignus ille in medium eorum erat, intus eos ad omnem crudelitatem, malitiamque instigans. *Taul. in cap.* XXVI *Matth.*

Sex tormentorum genera apud Caipham a tumultuante plebe passus est Christus. Vellitur ei barba: in faciem ejus expuitur: Sputis alapas adjiciunt: Ejus velant oculos, splendorem eorum ferre non valentes: pugnis humeros, et caput percutiunt; percutientes dicunt: prophetiza quis est qui te percussit? Tot opprobria, contumelias, et percussiones, intelligitur passus Dominus, usque mane. Adeo atroces injurias, et tantam patientiam mirabantur Angeli, videntes undique Dei Filium attritum, despectum, agitatum, illusum. Amorem veritatis praetexit Sacerdos, reipsa columniam quaerit. Si tacet Christus, arguetur Dei contemptor: si neget, seductor, et impostor populi : si affirmat, blasphemus. Non fuisset difficile Christo hinc evadere. Affirmat tamen se Dei filium, esse qui ad alia siluit; etsi sciat se inde damnandum morte. Vide quanta libertate Deum confiteri oporteat, ejusque periclitantem honorem tueri. *Amodo*, inquit Jesus, *videbis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus coeli* (*Matth.* XXVI). Duplicem suum adventum insinuat : alterum in carne humilem, dum se *Filium hominis* vocat, alterum in majestate ad judicandum, ut meminerint Sacerdotes, se ab illo judicandos, quem nunc tam impie judicant. Tunc ille sedebit in virtute, isti stabunt in trepidatione. *Tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua dicens*: *Blasphemavit* (*Idem ibid.*). En iterum pietatis specie velatum crimen. Dolorem ostendit Pontifex discissis ex more gentium vestimentis suis ob auditam, ut praetexebat, blasphemiam. Melius scindisset cor suum, quam vestimenta. Haec in cordibus nostris

scribamus: horreamus Judaeorum ingratitudinem, admiremur Christi patientiam, meditemur improperium, quod pro nobis tulit Salvator. Haec tamen multi non recogitant, Christum tristitia afficientes, quia de ejus passione nullum fructum percipiunt. Christus ad Caipham affirmat se esse filium Dei, cum ad alia siluit. Vide quanta libertate, iterum dico, Deum confiteri oporteat, ejusque periclitantem honorem tueri. Sepone illusiones, et tuorum incomodorum metum, cum de Deo, aut de anima agitur. Ne timeas hominem sedentem, sed potius Jesum judicantem. . . Ne tu esses in judicio; Deus pro te factus est reus. . . Haec continuo meditare.

19. S. Joseph

Ex Sacris Scripturis

Vidi per somnium quasi solem, et lunam, et stellas undecim adorare me. *Gen.* XXXVII. 9.

Dixitque rursus Pharao ad Joseph: Ecce constitui te super universam terram Ægypti. *Gen.* XLI, 41.

Ite ad Joseph, et quidquid ipse vobis dixerit, facite. *Gen.* XLI, 55.

Pro salute enim vestra (*dixit Joseph fratribus suis*) misit me Deus ante vos in Ægyptum. *Gen.* XLV, 5.

Filius accrescens Joseph, filius accrescens, et decorus aspectu. *Gen.* XLIX. 22.

Beniamin amantissimus Domini habitabit confidenter in eo: quasi in thalamo tota die morabitur, et inter humeros illius requiescet. *Deut.* XXXIII. 12.

Vir fidelis multum laudabitur, et qui custos est Domini sui glorificabitur. *Prov.* XXVII, 18.

Constituit eum Dominum domus suae et principem omnis possessionis suae. *Psal.* CIV, 20.

Non recedet memoria ejus, et nomen ejus requiretur a generatione in generationem. *Eccli.* XXXIX, 13.

Nemo natus est in terra . . . ut Joseph, qui natus est, homo princeps fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi. *Eccli.* XLIX, 16, 17.

Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium. *Hebr.* I, 5.

Jacob autem genuit Joseph virum Mariae: de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus. *Matth.* I, 16.

Joseph autem vir ejus cum esset justus. *Matth.* I, 19.

Joseph filii David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. *Matth.* I, 20.

Erat pater ejus, et mater mirantes super his, quae dicebantur de illo. *Luc.* II. 33.

Ecce pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te. *Luc.* II. 48.

Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph. *Luc.* III, 23.

Ex Ss. Patribus

Honoravit eum Spiritus Sanctus patris vocabulo, quia nutrivit Salvatorem. *Orig. hom.* XIX.

Joseph filius est Jesus, quippe quia Mariae verissimus est filius. *Aug.* lib. II *conc. Evang.* c. I.

Quis, et qualis homo fuerit Beatus Joseph, conjice ex appellatione, qua, licet dispensatoria, meruit honorari a Deo, et dictus, et creditus sit Pater Dei: conjice et ex proprio vocabulo, quod augmentum non dubitas interpretari. Simul et memento magni illius quondam Patriarchae venditi in Ægypto, et scito ipsius et istum non solum vocabulum fuisse sortitum, sed et castimoniam adeptam, innocentiam assecutum, et gratiam. *Bern. sup. Missus est.*

Nemo ambigat Dominum Jesum, cum adhuc in pureli esset aetate obsequium praestitisse ipsi Joseph. *Laur. Just. de obed.* cap. VIII.

Si compares Joseph ad totam Ecclesiam Christi, nonne iste est homo electus, et specialis, per quem, et sub quo Christus est ordinate, et honeste, introductus in mundum; si ergo Virgini Matri tota Ecclesia sancta debitrix est, quia per eam Christum suscipere digna facta est: sic profecto post eam huic debet gratiam et reverentiam singularem. *Bernardin. de s. Joseph.*

Joseph vocari justum attendite, propter omnium virtutum perfectam possessionem. *Petr. Crys. Ser.* XI.

Si nos miseri, ex cohabitatione sanctorum virorum, qui respectu Virginis Matris nihil sunt, saepe tamen proficimus, quantum existimandum est s. Joseph cum Virgine proficisse? *Bernardin. de s. Joseph.*

Tu dicis Mariam Virginem non permansisse: ego mihi plus vindico etiam ipsum Joseph virginem fuisse per Mariam, ex virginali connubio virgo Filius nasceretur. *Hier. de perp. Virginit. B. M. V. adver. Helvid.*

O quanta dulcedine audiebat Joseph, balbutientem parvulum se patrem vocare! *Bern. tom. III, serm. de s. Joseph*, art. II, cap. II.

Verum haec nominatio magnifica propria fit beati Joseph, qui Sponsus custosque esse beatae Virginis, et nati ex ea regis Filii

Dei, filii David, et optimo nomine pater dici meruit. Ecce enim in hoc generationis libro tres isti sunt patres insignes Jesu Christi, hominis, regis, et Dei; scilicet Abraham, David, et Joseph. Denique homo tantum intelligitur in promissione, quae ad Abraham hoc modo facta est: in semine tuo benedicentur omnes gentes: jam autem rex ea promissione nuncupatur, quae facta est David: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Porro B. Joseph promittitur tamquam Deus, dum ei dicitur: Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. *Rup. in Matth. lib. de glo. Fil.*

Ministerium Apostolicum est sub Christo, et propter Christum; ministerium autem Joseph propter Christum, et supra Christum. *Aug. ser. III de temp.*

Quanta fiducia Joseph! quanta in eo vis imperandi! quia dum vir uxorem, dum pater filium orat, velut imperium reputatur. *Gerson. in Joseph.*

Memento nostri, Beati Joseph, et tuae orationis suffragio apud tuum putativum Filium intercede, sed et Beatissimam Virginem sponsam tuam nobis propitiam redde. *Bernardin. de B. Joseph.*

Josephus patriarcha tanto in honore erat apud Ægyptios, ut eum velut Deum venerati sint. Josephus noster tanto majori veneratione est dignus, quanto digniori pollet dignitate. Ad magnam sane dignitatem sublimatus est discipulus, quem sui loco constituit Christus, et filium Virginis effecit: at multo excellentior est patris Christi, quam filii Virginis appellatio: non solum quia patris appellatio majorem auctoritatem praesefert, sed etiam quia Christi dignitas infinite excedit Mariae dignitatem. Haec autem paternitas ita est Josepho peculiaris, ut nulli creaturae competat: et licet Angeli divinam repraesentaverint majestatem, Dei nomen sibi non arrogaverint, sed in nomine Dei locuti sint patriarchis et prophetis. Attamen quod denegatum Angelis, concessum est Josepho, qui Christum vere suum vocabat filium: qualis honor! qualis dignitas! Josephus est merito de singularitate famosus, ob singularem, quae illi soli competit, dignitatem. Ingens profecto angelica nobilitas, at innumerabilis est fere supernorum spirituum multitudo: *Millia millium ministrabant ei* (*Dan.* VII). Apostolorum dignitas est valde sublimis, verum in duodecim reperitur. *Elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit* (*Luc.* VI). At Josephi excellentia est absque ulla comparatione major, quia est singularis. Nam titulus patris Dei, quem cum Æterno dividit Patre, adeo est illi peculiaris, ut nullo modo competat neque personis productis in Trinita-

te, neque aliis hominibus. Non quidem personis divinis productis; etenim Filius nequit esse sui ipsius pater, alias esset seipso origine prior, et distingueretur realiter a semetipso, quod implicat contradictionem. Neque etiam Spiritus Sanctus, qui cum producatur a Patre et Filio in Trinitate, nequit esse principium Patris et Filii: solus Joseph, uti Patris Christi honorabitur nomine, quod nullis aliis competit hominibus. Licet Matthaeus in genealogia Salvatoris, nuncupet eum filium Abraham et David, hoc debet intelligi de Christo in quantum homine et rege, non in quantum Deo. In Christo tria sunt attendenda, scilicet humanitas, regia dignitas, et divina majestas. Abraham est Pater Christi in quantum hominis: David est Pater Christi in quantum regis: Joseph vero est Pater Christi in quantum Dei, et elucet in promissione Josepho facta, scilicet quod Maria ejus uxor conceperat de Spiritu Sancto, eratque paritura filium, qui liberabit populum a peccatis eorum, et ad Deum pertinet dimittere peccatum, et largiri gratiam. Quanta Josephi gloria cui supra Abraham et David sublimato, Christus promittitur tanquam Deus, quia in divinae paternitatis admittitur consortium, fitque particeps paternae dignitatis! Honora talem virum; narra potentiam ejus populis, et predica laudes ejus. Si amicum et putativum patrem filii amas, amaberis amplius a filio. Intercessionem ejus tum ad vitiorum emendationem, tum ad pusillanimitatis ac tepiditatis correctionem, fervorisque innovationem efficacissimum est medium. Remitte te ejus gubernationi cum humilitate. In quavis necessitate ito ad Joseph, cum fiducia ejus implora auxilium: potens est ejus intercessio apud Mariam, cum qua paternam partitur auctoritatem; apud Spiritum Sanctum cum quo partitur sponsi Virginis titulum; apud Patrem Æternum, cum quo partitur dignitatem patris; apud Christum, cujus fuit tutor, nutritius et pater. Quid enim denegare poterit pupillus tutori, filius patri? Sed ut intercessio sit efficax, postula praesertim gratiam in saeculo, et gloriam in coelo, et dic confidenter. Tu sis super domum meam, sicut fuisti super illam Jesus et Mariae. Faciat hoc Joseph.

20. Eucharistiae veritas

Ex sacris Scripturis

Quod cum vidissent filii Israel, dixerunt ad invicem: Manhu? quod significat: Quid est hoc? ignorabant enim, quid esset. Quibus ait Moyses: Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum. *Exod.* XVI, 15.

Coenantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac

fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite, et comedite: hoc est corpus meum. *Matth.* XXVI, 26.

Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi: si quis mauducaverit ex hoc pane , vivet in aeternum: et panis quem ego dabo , caro mea est pro mundi vita. *Joan.* VI, 51.

Accipite et manducate: hoc est corpus meum , quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem, etc. *I Cor.* XI,24.

Ex Ss. Patribus

Cum igitur ipse de pane prenunciaverit, ac dixerit: *hoc est corpus meum*; quis audebit deinceps ambigere? et cum idem ipse tam asseveranter dixerit: *hic est sanguis meus*; quis unquam dubitaverit, ut dicat non esse ejus sanguinem? *Cirill. Hier. Catech. mist.* c. IV.

Si tantum valuit sermo Eliae, ut ignem de coelo depromeret, non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti: quia ipse dixit et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt. Sermo igitur Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat: non potest ea quae sunt , mutare in illud , quod non sunt? Non minus enim est novas rebus dare formas , quam mutare factas. *Ambr. de Sacram.*

Ecce ipsum vides, ipsum tangis, ipsum manducas, et tu quidem vestimenta cupis videre? Ipse vero seipsum tibi concedit, non tantum videre, verum et manducare, et tangere, et intus sumere... semetipsum nobis commisit, et non fide tantum, verum et ipsa re suum efficit corpus. *Gris. hom. LXXXII in Matth.*

Si modum requiris, quonam pacto fiat, sat tibi sit audire, quoniam per Spiritum Sanctum; quemadmodum ex sancta Deipara, se ipsum, et in se ipso Dominus carnem sustentavit, et nihil aliud cognoscimus, quam quod verbum Dei verum est, et efficax, et omnipotens, modus autem inscrutabilis. *Damasc.* lib. IV, cap. XIV, art. *fidei.*

Accidentia sine subjecto in Sacramento existunt, ut fides locum habet, dum visibile invisibiliter sumitur sub aliena specie occultatum, et sensus a deceptione immunes reddantur, qui de accidentibus judicant sibi notis. *Thom. Opusc.* LXXV.

Panis est in altari usitatus ante verba sacramentorum; ubi acceserit consecratio de pane fit caro Christi. *Ambr.* lib. IV *de sacram.* cap. IV.

Illi de crucifixo tenebrati sunt, nos manducando, et bibendo crucifixo illuminamur. *Aug. in Psal.* XXXVIII.

Invitantes acceperunt, prophetas legerunt, coenam repudiaverunt;

Christum occiderunt; et tunc nobis coenam paraverunt. *Aug. ser. XXXV de Verb. Dom.*

Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum: quandoquidem, qui author est muneris, ipse etiam testis est veritatis dicens: **Hoc est** corpus meum; hic est sanguis meus. *Eucher. Ser.* XV.

Credimus propter sermonem divinum id esse, quod in divina, mensa sancte consecratur. *Caes. Arel. Dialog.* III.

Ista ergo lege, ut expietur iste reatus malae crudelitatis primorum parentum ; exigitur a vobis, ut credatis , quod non videtis. *Rup. Ab. in cap. I Cant.*

Tentati sunt primi parentes a diabolo dicente: Comedite, et eritis sicut Dii, et crediderunt ei plusquam Deo dicente: in quacumque die comederitis ex eo, morte moriemini. Tentamur a Filio Dei dicente: Hoc est corpus meum; hic est sanguis meus: Comedite, et eritis Dii. *Rup. Ab.* lib. III *in Exod.*

Divinae majestatis reveretur fides in cunctis religionis mysteriis, sed potissimum in sacramento altaris, ut credentium exerceatur fides. *Thom. Opusc. de Sacr.* cap. VII.

Princeps tenebrarum, ut protoparentum obtenebraret mentes, eosque ad inobedientiam induceret, divinitatem eis pollicitus est. Comedite, inquit, et eritis sicut Dii. At tantum abest ut promissam assecuti sint divinitatem: quin potius fuerunt gratiae donis denudati, et infausta metamorphosi bestiis similes effecti. Salvator autem e contra ut fidelium illustret animas, eosque divinitatis efficiat participes, Eucharistiam instituit, et fidem a nobis exigit, ut nostra credulitate de daemone triumphet, et per fidem Divinitatis efficiamur participes ; et ut vetitus fructus induxit mortem , fructus a Deo datus confert vitam. Voluit Christus pudori reparare, ut non erubesceret homo verum adorare Deum, et credere verbis suis cum non erubuerit credere serpenti: crederetque Christum sub speciebus panis, et vini occultatum, postquam credidit occultam, manducandum fructum vetitum, divinitatem. Omnia magna sunt in hoc Sacramento, et obscura ad fidei lumen parata. Dominus autem, ut vitam viveremus divinam, divinum exhibuit alimentum. Noluit in sacramento hoc permanere substantias, ut ipse substantia sui corporis, et sanguinis satiaret. Tamen toties hoc pascor, et tamen ad caepas Ægypti, ad delectamenta sensuum, ad creata suspiro! O pudor! utinam homines hujusce aetatis cum tanta fide, et devotione accederent ad sacramentum: tanta modestia starent ante altare, et tanta cura recederent a sacra mensa, zelantes

disciplinam christianam, fugientes vitia quae obscurant intellectum; custodientes gratiam quae illuminat animam.

21. Peccata cogitationum

Ex Sacris Scripturis

Scio quia omnia potes, et nulla te latet cogitatio. *Job* XLII, 2.

Homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, et omni tempore jurgia seminat. *Prov.* VI, 12. et seq.

Perversae enim cogitationes separant a Deo: probata autem virtus corripit insipientes. *Sap.* I, 3.

Vae qui profundi estis corde, ut a Domino abscondatis consilium: quorum sunt in tenebris opera, et dicunt: Quis videt nos, et quis novit nos? *Isa.* XXIX, 15.

Et unusquisque malum contra amicum meum ne cogitatis in cordibus vestris: et juramentum mendax ne diligatis: omnia enim haec sunt, quae odit, dicit Dominus. *Zach.* VIII, 17.

Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit: ad quid cogitatis mala in cordibus vestris? *Matth.* IX, 4.

De corde enim exeunt cogitationes malae, omicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiae. *Matth.* XV, 19.

Ab intus enim de corde hominum malae cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia. *Marc.* VII, 21.

Ex Ss. Patribus

Quidquid pudet dicere, pudet et cogitare. Est tutissimum atque perfectum, ut assuescas animas sollicita semper et pervigili custodia discernere cogitationes tuas, et ad primum animi motum, vel probare vel reprobare, quod cogitas: vel bonas cogitationes alat, vel statim malas extinquat. Hinc namque fons est boni, et origo peccandi. Ibi maxime oportet observare peccatum, ubi nasci solet; statimque ad primam tentationis faciem, et malum ante quam crescat extinquere, dum adhuc est in cogitatione. *Hier. ad ep. ad Demetr.*

Tunc ad perfectionis summam pertingimus, cum sic exteriora vitia vincimus, ut cogitationes superfluas a mente recensemus. Nam tanta longius mens a necessariis cessat, quanto inania latius cogitat. *Greg. Moral.* lib. II.

In illa tantum cogitatione peccatum, quae suggestioni consensum mentis dedit: quae malum suum blande fovet, quae in factum

gestit irrumpere. Hujus cogitatio est, si ex aliquo impedita casu, non impleat voluntatem: nihilominus actione criminis condemnatur a Domino: ut illud in Evangelio legimus: Qui vidit mulierem ad concupiscendam eam etc. *Hier. in ep. ad Demetr.*

Peccata operis tanto facilius cognoscuntur,quanto exterius videntur: peccata vero cogitationis eo ad intelligendum sunt difficilia, quo invisibiliter perpatrantur, et tanto latius cogitationes defluunt, quanto se esse securius aestimant, quia foris a reprehensoribus non videntur. *Greg. Moral.* lib. II.

Ante Dei oculos vacuae non transvolant cogitationes nostrae: et nulla momenta temporis per annum transeunt sine statu retributionis. *Greg. Moral.* lib. XX.

Cogitatio prava delectationem parit, delectatio consensum, consensus actionem, actio consuetudinem, consuetudo necessitatem, necessitas mortem. *Bern. de int. dom.* 39.

Morosa dicitur delectatio non ex mora temporis, sed ex eo, quod ratio deliberans circa eam immoratur, nec tamen eam repellit, tenens, et volvens libenter, quae statim, ut alligerunt animum, respui debuerunt. *Thom.* 1 2, quaest. 7, art. 6.

Magno studio superfluae cogitationes amputandae sunt. Nequaquam tamen funditus amputari possunt. Semper enim caro superflua generat; quae semper spiritus ferro sollicitudinis rescindat. *Greg. Moral.* lib. V.

Incipiamus bonas cogitationes diligere, et statim ab illis, quae male sunt, dignabitur Dominus liberare. *Cass.* lib. III.

Quid faciam, quia cogitationes sollicitant me, et nescio quomodo repugnem eis? non repugnes contra omnes, sed contra unam: omnes enim cogitationes unum habent caput: necessarium ergo est considerare, quae, et qualis sit capitalis, et adversus illam reniri: ita enim et residuae cogitationes humiliantur. *Hier. ad Pam.*

Daemonum officium est, suggestiones malas ingerere, nostrum est illis non consentire. *Ber. Medit.* c. 14.

Eodem modo se habet daemon erga filios Adami, quo se habuit erga primum illorum parentem. Nam Evam adiit Daemon, oculis ejus vetiti pomi venustatem objecit; media Eva aggressus est Adamum. Adamus enim potuit non acquiescere Evae suasioni, mulier quoque potuit non consentire diaboli tentationi : in utrisque fuit libera voluntas, ait Augustinus, *ingestam cogitationem, ac sensum respuere, aut cogitationi consensum praebere* (lib. III *de lib. arb.* XXV). At proh dolor! sensit, cogitavit, consensit, et mente excipiens immissam per diaboli pravam cogitationem, hominem

ad consentiendum allexit; homo vero libere consensiens mulieri, se et suos perdidit. Attamen quamvis cogitationes malas sunt malae juxta malum quod cogitant; foede sunt pessimae, et scelerosae, et gratiam destruant, a coelo exulent, Dei templum polluant, Spiritum Sanctum eiiciant, Dei animadversionem incurrant, ad tartara deducant; multi tamen sive ruri, sive in domo, sive solitarii, sive in coetu conversantes, sive in foro, sive in templo, libidine animum volutant, ad instar eorum quos aquis diluvii de terra delevit Dominus: eo quod, ait sacer textus: *Cum ita cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore* (*Gen.* VI). Cogitationes ergo pravas, et etiam vagas et inutiles, et velut somno similes non recipias; et eris victor melius quam antea fuisti. Quid te affligunt sinistrae et perversae, et continuae cogitationes? nunquid propterea virtutem deseres? absit. Sed quemadmodum ortus earum non omnimode pendet a nobis, ita reprobatio vel electio cum consistit a nobis, maxima cura adhibenda est ut non subiiciamus suggestioni earum. Incipiamus bonas cogitationes diligere, et statim ab illis, quae malae sunt, dignabitur Dominus liberare. Fuge occasiones; accede saepe saepius ad Sacramenta; invoca Jesu et Mariae nomina; averte oculos tuos ne videant vanitatem: humilia te in omnibus, pravas cogitationes superabis. Perge bene agere. Confide: Deum habebis defensorem. Erit tempus quo te deserunt cum tuo solatio majori.

22. Parochus

Ex Sacris Scripturis

Sicut pastor gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, foetas ipse portabit. *Isa.* XL, 11.

Et dixit Dominus ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce constitui te hodie super gentes, et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et aedifices, et plantes. *Jerem.* I, 9, 10.

Et dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina. *Jerem.* III, 15.

Vae pastoribus, qui disperdunt, et dilacerant gregem pascuae meae, dicit Dominus. Ideo haec dicit Dominus, etc. Vos dispersistis gregem meum; et ejecistis eos, et non visitastis eos: ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, ait Dominus. *Jerem.* XXIII, 1, 2.

Grex perditus factus est populus meus· pastores eorum seduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus, etc. *Jerem.* L, 6.

Quod infirmum fuit (*o pastores*), non consolidastis; et quod ae-

grotum, non sanastis; quod confractum est, non alligastis; et quod abiectum est, non reduxistis; et quod perierat, non quaesistis; sed cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia, etc. . . *Ezech.* XXXIV, 14 et seq.

Quid vobis videtur? si fuerint alicui centum oves, et erraverit una ex eis: nonne relinquit nonaginta novem in montibus, et vadit quaerere eam, quae erravit? *Matth.* XVIII, 12.

Quis, putas, est fidelis servus, et prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? *Matth.* XXIV, 45.

Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriae, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit: et lupus rapit, et dipergit oves. *Joan.* X, 11. 12.

Dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos etc. *Joan.* XXI, 15.

Paulus inquit: Orantes (*sitis*) omni tempore in spiritu: et in ipso vigilantes in omni instantia, et obsecratione pro omnibus Sanctis, et pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere mysterium Evangelii: pro quo legatione fungor in catena , ita ut in ipso audeam , prout oportet me loqui , etc. *Ephes.* VI, 18, et seq.

Ex Ss. Patribus

Quicumque ita praepositus est, ut in eo, quod praepositus sit, gaudeat, et honorem suum quaerat, et commoda sua solum respiciat, se pascit, non oves. *Aug. lib. de past.*

Si multi ovium errores foris plangimus, vae quorum humeris et lateribus, et carnibus factum est. *Aug. lib. de ovib.*

Diligendus est pastor, tolerandus est mercenarius; sed cavendus est latro. *Aug. de verb. Dom.*

Ubi subiectus ex sua culpa moritur, ibi is, qui praeest, quoniam tacuit, reus mortis tenetur. *Greg. hom. XI sup. Ezech.*

Imperitis pastorale magisterium quanta temeritate suscipitur, cum sit ars artium regimen animarum: hoc est, magisterium disciplinae: ut culpis discrete noverit parcere, et pie resecare. *Greg. in Past.*

Nunc audi canticum meum minus suave, sed salutare. Monstruosa res, gradus summus, et animus infimus: sedes prima, et vita ima: lingua magniloqua, et manus otiosa: sermo multus, et fructus nullus: vultus gravis, et actus levis: caput canum, et cor vanum: facies rugosa, et ligua nugosa: ingens auctoritas, et nutans stabilitas. *Ber. de Consid.* lib. II.

Quomodo in pascua divinorum eloquiorum educet greges dominicos pastor idiota? Sed si doctus quis fuerit, non autem bonus, ut verendum ne quantum nutriat doctrina verbi, tantum noceat vita sterili. *Bern. sup. Cant.*

Discite subditorum matres vos esse debere, non dominas: studete magis amori, quam metui, et si interdum severitate opus est, paterna sit, non tyrannica, matres fovendo, patres corripiendo vos exhibeatis, suspendite verba, producite ubera, pectora lacte pinquescant, nec typo turgeant. *Idem ibid.*

Vae tibi, si praees, et non prodes, sed vae gravius, si quia praeesse metuis, prodesse refugis. *Bern. in apo.*

Multo consilio et prudentia opus est pastori, et mille, ut dicitur, oculis ad speculandam undique hebetudinem earum, quas gubernat animarum. *Chrys. in Dialog.* lib. II.

Illi prae caeteris Deum videre sublimem merentur, qui fidelibus gregibus praeesse sollicite sciunt, dum ipsi pie super gregem vigilant, divina super eos gratia largius corruscat. *Greg. hom.* XII.

Misisti manum ad aratrum, opus est fortitudinis et constantiae: speculator factus es, opus est prudentiae; debitor es sapientibus et insipientibus, opus est justitiae; praedicare debes, opus est temperantiae. *Bern. in quod. ep.*

Bonus pastor, ait Christus, *animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriae, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit: et lupus rapit, et dispergit oves* (*Joan.* X). Haec est differentia inter pastorem, mercenarium, et lupum. Officium namque pastoris est oves pascere, et mercenarii oves tondere, et lupi oves occidere. Est igitur officium pastoris pascere verbo scilicet, et temporali subsidio. Verbo quidem per instructionem et correctionem. *Dabo vobis*, ait Dominus per Jeremiam, *pastorem juxta cor meum, qui pascet oves scientia, et doctrina* (*Jerem.* III). *Argue, obsecra, increpa, in omni patientia et doctrina* (*Tim.* IV). Hinc est quod in arca Moysi erant manna, virga, et tabulae testamenti; quia in pastore seu parocho qui est arca Dei, debet esse manna dulcis exhortationis quoad bonos, et virga severae correctionis quoad malos. Debet et etiam pascere temporali subsidio oves sibi creditas. Talis debet esse pastor, quod proponat verbum doctrinae ignorantibus, et manum suam aperiat indigentibus. Libenter enim ejus linguam loquentem audit, cujus expectat dexteram porrigentem. Quia qui non dat pro ovibus suis substantiam suam, quomodo pro his daturus est animam suam? Sed multi sunt qui sua subditis non

dant, sed potius ab eis bona sua auferunt. Tales videntur esse peiores diabolo. Cum enim homo tria habeat; scilicet,res temporales, corpus, et animam: diabolus non curat de rebus, nec de corpore, sed tantum de anima occidenda. Da mihi animas, caetera tolle tibi. Parochus autem avarus et res aufert indebite rapiendo, quasi tassam exigendo in exercitio ministerii. *Vae pastoribus*, dicit Deus per Ezechielem, *Israel qui pascunt semetipsos* (*Ezech.* XXXIV). Et corpus laedunt injuste opprimendo, ut possint pecuniam extorquere. *Si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum praelium* (*Mich.*III).Animas occidunt pravum exemplum praebendo. *Pasce pecora occisionis* (*Zacch.* II).Hinc parochus rationem redditurus est non solum de se, sed etiam de cuncto populo sibi subdito:*Sanguinem*, dicit Deus per Ezechielem,*de manu ejus requiram*(*Ezech.*XXXIV). Sanguinem Christi,cujus est dispensator: Sanguinem animarum,quas verbo, et exemplo instruere tenetur: Sanguinem pauperum, quos pascere, et tueri debet. Laudo quod quaeris esse Parochum; sed disce quid quaeris. Nihil est periculosius quam colere animas tibi traditas. Bonum depositum custodi; praecipue enim Parochi hoc habent depositum, curam scilicet animarum sibi creditas. Ad oves errantes revocandas et pascendas venit Jesus; item et tu. Priusquam susceperis tale onus, tibi vixisti; postea autem oportet te vivere illis, pro quibus promotus es. Considerastine haec aliquando ? Indignus si lacte et lana convinceris, qui non pascis oves. Quaere non quod tibi expediat, sed quod fidelibus. Non es profecto pastor , si cum sis de Crucifixi patrimonio nimium ingrassatus, impinguatus, dilatatus , non compatiaris super contritione Joseph. Perpende quale onus suscepisti, vel suscepturus es, et audi vocem Christi, qui tibi dicit. Si me diligis , non te pascere cogita; sed oves meas, sicut meas pasce, non sicut tuas, gloriam meam in iis quaere, non tuam, lucra mea, non tua. Pasce igitur gregem Domini verbo praedicationis, exemplo conversationis, largitate eleemosynarum, pasculis caritatis, fructu orationis;habebis thesaurum non deficientem in coelis.Amen.

23. Primitiae Deo

Ex Sacris Scripturis

Factum est autem, post multos dies ut afferret Cain de fructibus terrae munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, et de adibus eorum: et respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus. Ad Cain vero, et ad munera illius non respexit. *Gen.* IV, 3, 4, 5.

Decimas tuas, et primitias tuas non tardabis reddere: primogenitum filiorum tuorum dabis mihi. *Exod.* XXII, 29.

Primitias frugum terrae tuae deferas in domum Domini Dei tui. *Exod.* XXIII, 19.

Separate apud vos primitias Domino, etc. *Exod.* XXXV, 5.

Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, et pones in cartallo, pergesque ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen ejus. *Deut.* XXVI, 2.

Et aedificavit ibi (*David*) altare Domino: obtulitque holocausta, et pacifica, et invocavit Dominum, et exaudivit eum in igne de coelo super altare holocausti. *I Par.* XXI, 26.

Et ut afferremus primogenita terrae nostrae, et primitiva universi fructus omnis ligni, ab anno in annum, in domo Domini. Et primitiva filiorum nostrorum et pecorum nostrorum, sicut scriptum est in lege et primitiva bonum nostrorum et ovium nostrarum, ut offerentur in domo Dei nostri etc. Et primitias ciborum nostrorum et libaminum nostrorum, et poma omnis ligni, vindemiae quoque et olei, afferremus Sacerdotibus ad gazophylacium Dei nostri. *II Esdr.* X, 35, et seq.

Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis omnium frugam tuarum da ei: et implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia tua redundabunt. *Prov.* III, 9.

Hic enim Melchisedech rex Salem, Sacerdos Dei summi, qui obviavit Abrahae regresso a caede Regum, et benedixit ei : cui et decimas omnium divisit Abraham: etc. *Hebr.* VII, 1.

Ex Ss. Patribus

Ipse Deus qui sibi in veteri testamento primitias offerri mandavit, homo natus gentium, primitias suo cultui dedicavit; pastores fuerunt primitiae Judaeorum, Magi facti sunt primitiae gentium, illi de proximo adducti, isti de longinquo reducti. *Fulg. ser. V de Epiph.*

Majores nostri ideo copiis omnibus abundabant, quia Deo primitias dabant, et Caesari censum reddebant; modo autem quia discessit devotio Dei, accessit indictio fidei. *Aug. hom. XLVIII*, cap. 50.

Est et spiritus unus, qui praecursor dicitur, qui nos e somno surgentes protinus excipit, primumque nostrum cogitatum protinus inquinare nititur: da Domine, primitias diei tuae, erit enim tota ejus, qui prior occupaverit. Memorabile verbum operarius quidem optimus locutus est, ab ipso matutino tempore cursum meum totius dies scio. *Clim. gr.* XXVI.

Quia non reddidistis decimas, et primitias, idcirco in penuria et fame maledicti estis: quia dum parva subtrahitis, ubertatem possessionum vestrorum et totam abundantiam frugum perdidistis. Sciatis vos ideo perdidisse abundantiam: quia fraudastis me parte mea. Moneo igitur ut reddatis mihi mea, et ego restituam vobis vestra. *Hier. sup. cap. III Malach.*

Attende quod creatura decima inter intellectuales creaturas est homo, quia Angeli in novem ordinibus, decimus autem ordo est hominum. Et ideo est hominis decimam solvere ut ruinam Angelorum valeat supplere. *Aug. de Decim.*

Si decimam dederis, non solum abundantiam fructuum recipies, sed etiam sanitatem animae et corporis consequeris, quia decimas dando, et terrena et coelestia possis praemia promereri. Unde qui decimas dare nolunt, res alienas invadunt; et Dominus qui dignatus est totum donare, decimas a nobis dignatus est recipere. *Aug. ibid. et ponit XVI q. I Reverti.*

Deo debemus reddere decimas, primitias, oblationes. Solutio autem primitiarum partim a naturali est jure, eo quoque naturalis ratio dictat, ut primitias afferamus ei qui nobis omnia nobis donavit. Partim est a Dei auctoritate. *Inferte omnes decimas in horreum meum* (*Mich.* III). Partim est ab Ecclesiae institutione quae ordinavit quod sicut in veteri lege, sic et in nova decimae persolvantur. Et quia primitiarum oblatio partim est a jure naturae et partim a Dei auctoritate, et partim ab Ecclesiae institutione, ideo decimae seu primitiae ex debito requiruntur, ut qui eas dare noluerit, res alienas invadit. Sed has primitias debemus Deo offerre super altare Trinitatis de quo dicitur: *non ascendes ad altare meum per gradus, ne reveletur turpitudo tua* (*Exod.* XX). Et ideo dicitur in altare Trinitatis quia in Trinitate non sunt gradus inquirendi, ut Pater major Filio, vel Filius major Patre, vel Spiritus Sanctus minor utraque credatur. Unde Arius quia istos gradus facere voluit, ideo sua turpitudo revelata fuit quia per os blasphemum omnia sua interiora emisit. Hujusmodi primitias debemus afferre super altare Trinitatis non requirentes, neque scrutantes quid, quomodo, quando offerantur, sed debent esse primitiae amoris nostri erga Sanctissimam Trinitatem. Qui autem decimas non solvunt in mala incurrunt. Unum est penuria rerum; nam tollit fiscus quod non recipit Christus. Ideo haec est Domini justissima consuetudo, ut si tu illi decimam non dederis, ad decimam revoceris. Secundum est quia hoc est grave peccatum, quia tales videntur crucifigere Christum, *Si affiget homo Deum, quia vos configitis me?*

Et dixistis: In quo configimus te? In decimis et primitiis: sic Dominus per Malachiam (*Mal.* III): non reddendo, scilicet decimas et primitias. Tertium est aeternum supplicium. *Redde decimas*, ait Augustinus, *aliter deduceris ad partem decimam Angelorum, quae de coelis descendit in infernum* (*Aug. serm. LVI de Temp.*). Sit ergo hoc et tuum studium, in iis praesertim,quae Divina praescribunt. Noli mutilum Deo sacrificium dare, aut tempori quidquam detrahere. Quo Deo detrahis, cui addis, nisi sensibus? volesne hoc fecisse, cum consumati fuerint dies vitae tuae?

24. Custodia oculorum

Ex Sacris Scripturis

Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile: et tulit de fructu illius, et comedit: deditque viro suo, qui comedit. *Gen.* III, 6.

Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchrae, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant. *Gen.* VI, 2.

Abraham dixit Sarai uxori suae: Novi, quod pulchra sis mulier: et quod cum viderint te Ægyptii dicturi sunt: Uxor ipsius est: et interficient me, et te reservabunt. *Gen.* XII, 11, 12.

Quam (*scilicet Dinam filiam Liae*) cum vidisset Sichem filius Hemor Hevaei, princípes terrae illius, adamavit eam: et rapuit, et dormivit cum illa, vi opprimens virginem. *Gen.* XXXIV, 1, 2.

Dum haec agerentur (*scilicet dum obsideretur Rabba civitas*), accidit, ut surgeret David de stratu suo post meridiem, et deambularet in solario domus regiae: viditque mulierem (*scilicet Betsabeam*) se lavantem, ex adverso super solarium suum: erat autem mulier pulchra valde, etc. *II Reg.* XI, 2, et seq.

Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria, et qui inclinaverit oculos, ipse salvabitur. *Job* XXII, 29.

Pepigi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. *Job* XXXI, 1.

Praebe, fili mi, cor tuum mihi: et oculi tui vias meas custodiant. *Prov.* XXIII, 26.

Oculi tui videbunt extraneas, et cor tuum loquetur perversa. *Prov.* XXIII, 33.

Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius. Noli circumspicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius. Averte faciem tuam a muliere compta, et ne circumspicias speciem alienam: *nam* propter speciem mulieris multi perierunt; et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. *Eccli.* IX, 7, et seq.

Omni homini noli intendere in specie : et in medio mulierum noli commorari. *Eccli* XLII, 12.

Et videbant eam (*Susannam*) senes quotidie ingredientem et deambulantem : et exarserunt in concupiscentiam ejus. Et everterunt sensum suum, etc. *Dan.* XIII, 8.

Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam totum corpus tuum tenebrosum erit. *Matth.* VI, 22, 23.

Oculos habentes plenos adulterii, et incessabilis delicti. *II Pet.* II, 14.

Ex Ss. Patribus

Custodia oculorum gemma morum, virga disciplinae, soror continentiae, lampas pudicae mentis, expugnatrix malorum, et propagatrix puritatis innatae, specialis gloriae conscientia, famae custos, vitae decus, virtutis sedes, naturae laus, et insignae totius honesti. *Chrys. hom. XXVI in Matth.*

Ut enim in senibus gravitas, in iuvenibus alacritas, ita in adolescentibus verecundia, velut quadam dote commendatur naturae. *Ambr. lib. I offic. XLIII.*

Sicut Basiliscus unico saepe aspectu perimit corpus, ita unicus saepe oculi jactus sagittam plenem exitialem immittit. *Basil. in Isa.* II.

Nonne oculus, praevaricationis est author? *Grys. ser. CXXXV.*

Ne dicatis vos habere animos pudicos, si habetis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius. *Aug. in reg. ad serv. Dei.*

Nullus aspectus tutus. *Hier. ep. ad Eust.*

Job diabolum videns accedentem non fugit, sed mansit sicut leo viribus fidens: Virginem autem videns, non stetit, neque moratus est in contuenda pulchritudine, sed statim secessit: censebat nimirum in praelio contra demones virili, et audaci animo opus esse: in continentiae autem praeparatione victoriam concedi, non ex virgini consuetudine, sed secessu. *Chrys. ser. de Sent. Joseph.*

Occurrit lascivia oculis, soluta gravibus, praeventa illecebris. *Grysol. ser. CXV.*

Deprimendi sunt oculi quasi raptores ad culpam; quisquis enim per has corporis fenestras incaute exterius respicit, plerumque in delectationem peccati, etiam potens, cadit, atque obligatus desideriis incipit velle, quod nolebat. Princeps quippe anima, dum ante non providet, ac incaute videt, quod concupiscat, caeca post incipit desiderare, quod videt. *Greg. Moral.* lib. XXI, cap. II.

Oculi, crede mihi, sunt virtutis periculum, castitatis venenum, voluptatis illicium. Qui ad libidinem allici nolunt, jubentur oculorum custodire censuram. Quoniam reddit compositum omnem corporis statum oculus! Homines Christiani ut oculos a crimine custodiant immunes, armari pudore tenentur, maxime a foeminis; ac per consequens. Indue armaturam pudoris: murum ante oculos tuos strue, circumvalle verecundia oculos tuos, quia deprimendi sunt oculi quasi quidam raptores ad culpam. Ac proinde mutuus oculorum aspectus tum tibi, tum mulieribus periculosus est. Et ita libidinosa visus transcurrentis affectio animam contaminat, et instigat ad delinquendum. Scio quamplurimos esse pudicos Sacerdotes quorum admiror verecundiam, qui scilicet incedunt depicti oculos verecundia, sed hoc solum in sacris functionibus, praeterea nihil. Sunt tamen quamplurimi minus verecundi, qui hic illuc vibrantes oculos habent, ne in sacris quidem functionibus modestiam ostendunt, et in suis oculis impudentiam ostendunt. Impudens vero oculus jacens in virgines, ad se allicit oculos earum, et sic causa sunt saltem cogitationum, quae plurimam perniciem afferre possunt. Fac ut *modestia* tua sicut praecipit Apostolus, *nota sit omnibus hominibus* (*Philipp.* IV). Niteant animi candor et mundities etiam in vita exteriori, ne vituperetur ministerium nostrum.

25. Annuntiatio B. M. V.

Ex Sacris Scripturis

Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se: et in me ancilla sua adimplevit misericordiam suam, quam promisit domui Isael: et interfecit in manu mea hostem populi sui hac nocte. *Judith* XIII, 17, 18.

Benedixit te Dominus in virtute tua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros. *Judith* XIII. 22.

Facies tua plena est gratiarum *Esth.* XV. 17.

Qui creavit me requievit in tabernaculo meo. *Eccli.* XXIV, 12.

Exaltabo te, quoniam suscepisti me. *Psal.* XXIX. 1.

In me gratia omni viae, et veritatis; in me omnis spes vitae et virtutis. *Eccli* XXIV, 25.

Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. *Isa.* VII, 14.

Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. *Isa.* XI. 1.

Creavit Dominus novum super terram: Femina circumdabit virum. *Jer.* XXXI, 22.

Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena; Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. . . Quae cum audisset, turbata est in sermone ejus; et cogitabat, qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria: invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero et paries filium et vocabis nomen ejus JESUM. Spiritu Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei . . . Dixit autem Maria: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. *Luc.* I, 28. et seqq.

Ex Ss. Patribus

O fiat potens, o fiat efficax, o fiat super omne fiat perpetuo honore venerandum. Nam ad verbum fiat, statim in utero Virginis incarnatum est Verbum. *Thom. a Villan. ser. de Ann.*

Haec est gratia, quae dedit coelis gloriam, terris Deum, fidem gentibus, finem vitiis, vitae ordinem, moribus disciplinam; hanc gratiam detulit Angelus, accepit Virgo salutem saeculis reddituram. *Ambr. lib. II in Luc.* II.

Quod foemina conciperet Deum, est et fuit miraculum miraculorum: oportuit enim (ut sic dicam) foeminam elevari ad quemdam quasi aequalitatem divinam, per quamdam infinitatem perfectionum. *Bern. ser. LXI de Virg.*

Vere benedicta, quae fuit major coelo, fortior terra, orbe latior. Nam Deum, quem mundus non capit, sola cepit; portavit eum, qui portat orbem, genuit Genitorem suum, nutriit omnium viventium nutritorem; fuit olim Patriarcharum benedictio in pinguedine terrae. *Ecce terra nostra dedit fructum suum. Petr. Grisol. ser. CXLV.*

Responde ergo verbum, o Maria, et suscipe Verbum: profer tuum, et concipe divinum, emitte transitorium, et concipe sempiternum. *Thom.* III p., q. XXX, a. 1.

Elige utrum mireris aut Filii beneficentissimam dignationem, aut matris excellentissimam dignitatem. Utrumque miraculum, et quod Deus foeminae obtemperet, humilitas sine exemplo; et quod Deo foemina praecipit, sublimitas sine socio. *Bern. ser. de An.*

O vera humilitas, quae Deum hominem peperit, vitam mortalibus edidit, coelos innovavit, mundum purificavit, paradisum aperuit, et hominum animas liberavit. Facta est Mariae humilitas, scola coelestis, per quam Deus descendit ad terras. *Aug. ser. de Assumpt.*

O beata fiducia, o tutissimum refugium! Mater Dei est Mater

nostra; mater ejus, in quo solo speramus, et quem solum timemus, est Mater nostra. *Ansel. or.* LXXXII *ad B. V. M.*

In virginem adhuc Evam irrepserat verbum aedificatorium mortis: in Virginem aeque introducendum erat Verbum extructorium vitae, ut quod per eiusmodi sexum abierat in perditionem, eumdem sexum redigeretur ad salutem. Crediderat Eva serpenti; crediderat Maria Gabrieli: quod illa credendo deliquit, haec credendo delevit. *Bern. Ser. Dom. infr. Oct. Assum.*

De Spiritu Sancto Virgo concepit, et Spiritus Sancti umbraculo fuit foecundata. Magnum est discrimen inter aeternam, et temporalem Verbi generationem. Illa in splendore, haec in umbra. *In splendoribus Sanctorum*, ait Bernardus, *ex utero ante luciferum genui te. Verum id quidem Patri: at Mater sane eumdem ipsum in splendore non genuit, sed in umbra.* (*Bern. de nat. Virg.*). Ex unione lucis incorporeae Verbi divini et carnis sumptae in utero Virginis, Dei Filius, qui generatur a Patre in splendore, concipitur in umbra in utero Mariae: et Verbi humani umbra, et Spiritus Sancti obumbratio decebat Marianam Virginitatem, et sanctitatem. Ob suam Virginitatem: subjungit Richardus a Sancto Laurentio: *Spiritus Sanctus virtus vegetat, umbra refrigerans, Spiritus Sanctus eam foecundavit, et a corruptione servavit.*(*Rich. a S. Laur. ser. de Assump.*). Obumbravit propter Virginis sanctitatem, *non laedendo, sicut umbra non laedit, nec gravat, sed refrigerium praestat* (*Rich. a s. Laur. lib. II de laud. Virg.* Sed et tu expende quis, quem, ad quem mittit. Deus, Angelum, ad Virginem desponsatam fabro, consacratam Deo. Tales dignatur Deus legatione Angelorum. Sed nec te dedignatur invisibili legatione, cum tibi bonas cogitationes inspirat. Attende his, quia a Deo sunt: aestima, et sequere, quia ad tuum bonum sunt. Magnus honor Deum Filium habere. Magnus honor matrem esse illius in terris, cujus est Deus pater in coelis. Sed magnus honor est etiam tuus, quia dum Virgo pronuntiavit verbum illud *Fiat* eodem tempore, et Mater Dei extitit per naturam, et matrem tuam per gratiam, virtutemque. Gratulare Virgini de tanto Filio; adora Matrem tuam de tanto amore. Sed Spiritus Sanctus obumbrans Virginem quae de Spiritu Sancto concepit, novis in dies gratiarum augmentis cumulabat Mariam, gratiarum plenitudinem non tam sibi, quam nobis conferebat: idcirco vocitatur a Petro Damiano *fons benedictionum et bonorum omnium scaturigo* (*Orat. de Assump.*) Ab hoc fonte exundat aqua, quae homines bonorum steriles, faecundat humore caelestis gratiae. Spiritus Sanctus qui foecundavit Virgi-

nem, eam gratiarum replevit benedictionibus, ut homines aquis gratiae, quae ab illo fonte exundant, irrigati foecundentur, et virtutis producant fructus. Fac tali irrigari fonte.

26. Mater Dolorosa

Ex sacris Scripturis

Ne vocetis me Noemi (id est pulchram) sed vocate me Mara idest amaram: quia amaritudine valde replevit me Omnipotens. *Ruth* I, 20.

Non erat ei prae stupore ultra spiritus. *II Paral.* IX, 4.

Fili mi, Absalon, Absalon, fili mi! quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te. *II Reg.* XVIII, 33.

Dolor meus in conspectu meo semper. *Psal.* XXXVII, 17.

Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis; et dolor meus renovatus est. *Psal.* XXXVIII, 2.

Concaluit cor meum intra me: et in meditatione mea exardescet ignis. *Psal.* XXXVIII, 3.

Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me. *Psal.* LXVIII, 3.

Filia populi mei accingere cilicio, conspergere cinere: luctum unigeniti fac tibi planctum amarum. *Jer.* VI, 26.

Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lagrymarum? et plorabo die ac nocte interfectos filiae populi mei? *Jer.*IX, 1.

Facta est mihi haereditas mea, sicut leo in sylva. *Jerem.*XII,8.

Non est qui consoleretur eam ex omnibus caris ejus. *Thr.* I, 2.

O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus. *Thr.* I, 12.

Posuit me desolatam tota die moerore confectam. *Thren.* I, 13.

Torcular calcavit Dominus Virgini filiae Juda. *Thren.* I, 13.

Vide Domine quoniam tribulor, conturbatum est venter meus: subversum est cor meum in memetipsa.. *Thr.* I, 20.

Cui comparabo te? vel cui assimilabo te, filia Jerusalem? cui exaequabo te, et consolabor te, virgo filia Sion? magna est enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui? *Thr.* II, 13.

Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio. *Thren.* III, 15.

Et aspicient ad me, quem confixerunt: et plagent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. *Zach.* XII, 10.

Sicut lilium inter spinas sic amica mea inter filias. *Cant.*II,2.

Vadam ad mentem myrrhae et ad collem thuris. *Cant.* IV, 2.

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. *Luc.* II, 35.

Ex Ss. Patribus

In tabernaculo illo duo altaria videres, aliud in pectore Mariae, aliud in corpore Christi. Christus carnem, Maria immolabat animam. *Arnol. Carn. in sep. verb.*

Quia plus omnium dilexit, proptera et plus omnibus doluit, in tantum ut animam ejus totam pertransiret vis doloris ad testimonium eximiae dilectionis. *Guer. Ab. in Joan.*

Vidit in eo praetium mundi, praetio vili distractum: fortitudinem Sanctorum in agonia factam; speciosus forma prae filiis hominum, plenus sanguineo sudore Dominum mundi, ut latronem comprehensum; virtutem Coelorum arctioribus vinculis constrictum; columna Coeli ad columnam vinctum; Orbis conditorem ictibus lividum; in cujus manu vita, et mors, flagellis diruptum, et laniatum; Judicem saeculi coram impiis, ut judicetur adductum; in Coelis glorificatum, a scelestissimis spretum; Coelorum regem a sceleratis illusum; Caput omnium potestatum arundine percussum. *Bernardin. tom. III, art. III, ser. II.*

Tantus fuit dolor Virginis, quod si in omnes creaturas, quae pati possent, divideretur, omnes subito interirent. *Bernardin. ser. LXI.*

Vivebat moriens, moriebatur vivens, nec mori poterat, quae vivens mortua erat. *Bern. de Com. Virg.*

O ineffabilis reciprocatio Sancti amoris: Filius patitur, et intus valde compatitur Matri; Mater vero compassa est patienti Filio. Tantus nempe impetus Passionis Domini Jesu fuit, ut quasi torrens ipsum impleret patientem, et inebriaret, qui teste Psalmista: *de torrente in via bibet* Christus, ut sic Christo impleto in Matrem flueret patientem, qua similiter repleta, ad Filium redundaret inundatio amaritudinis, et moeroris. *Ber. hom. sup. Ev. Stabat.*

Spectabat Mater piis oculis Filii vulnera, per quae sciebat omnibus futuram redemptionem. Stabat non degeneri Matre spectaculo, quae non metueret peremptorem. *Ambr. de inst. Virg.*

Ipsam summe miror mortuam non fuisse pro immensitate doloris, sed ne moriendo deficeret, a Filio confortata est. *Bern. de Pass. Dom.* cap. I.

Juxta magnitudinem amoris erat vis doloris; gravius passa est mente, quam martyres carne. *Bonav. ser. infr. Oct. Assumpt.*

Filius tuus in corpore, tu autem in corde passa es . . . tota es in vulneribus Christi, totus Christus crucifixus est in vulneribus cordis tui. *Bonav. in stim. am.*

Venerabilis Virgo plusquam martyr fuit, quia in anima non minus maeroris, quam amoris est intus vulnerata gladio. *Ildeph. ser. I de Assumpt.*

Dum filii passionem jugiter mente volvit Deipara, recte potest dicere cum Propheta: *Dolor meus in conspectu meo semper* (*Psal.* XXXVII) unde et merito comae ejus purpurae regis comparantur. Matris namque cogitationes, quae Filii quodammodo hauserant sanguinem, sanguinem quoque referebant: et quod Filius patiebatur, jugiter cogitabat mente. Rubebat caro Filii sanguine passionis, rubebant maternae illae cogitationes sanguine compassionis. Bene ergo dicitur: *Comae capitis tui sicut purpura Regis* (*Cant.* VII). Diuturni fuerunt Mariae dolores, quia passionem Filii, antequam esset, cogitavit, cognovit. Diuturni fuerunt adhuc Mariae dolores, quia postquam Filius passus est, passionis ejus continuo cogitavit acerbitatem. Parum est, quod passionis tempore, quot vulnera Filius accipiebat in carne, tot pia Mater accipiebat in corde. Unde Deipara belle martyr amoris praedicatur; *quia fortis est ut mors dilectio* (*Cant.* VIII). Hinc magnitudo doloris Mariae, mutuanda est ex ardentissimo Christi amore, cruciatibus filii, magnitudine tormentorum, Unigeniti cognitione, martyrii longitudine, animae trasfixione, cordis oblatione, animi fortitudine et haec omnia ex amore Virginis erga filii amorem extimanda sunt, sicut ex eo incrementum habuerunt. Mariae dolor ex ejus amore mensurandus est; et si Marianum vultis concipere amorem: Matrem considerate, Matrem cogitate; sed Matrem Virginem, sed Matrem solam, sed Matrem Unigeniti, sed Matrem filii infinite perfecti, et summe amabilis: sed filii toto corde dilecti: ideo beatissima Virgo tabescebat, quia diligebat. Dolor ergo quo angebatur, erat conformis amori, quo aestuabat; nam tantum necesse est ut urat dolor, quantum haeserat amor. Virgineus amor fuit mensura doloris ejus: unde constat, quia plus omnibus dilexit, propterea et plus doluit. Dilectionis magnitudo infert doloris magnitudinem. Vultis cognoscere Deiparae dolorem? pensate ejus amorem. Sed incomprehensibilis est Virginis amor, incomprehensibilis ergo est ejus dolor. Et tamen *stabat juxta Crucem Jesu*? (*Joan.* XIX, 25). Jesu: quem non ignorabat Deum, et hominem; juxta: quae oculis suis inspiciebat; Crucem: tormentum, et infamiam supremam. Et tamen stabat, et ipsa toto animo filium pro mundi salute offerebat: ideo ut autem non tantum dolorem Filii consideraret, sed ut salutem humani generis expectaret. Sed et aspice illud suavissimum Cor amoris conversum esse in cor doloris! Aspice cor Mariae, et jam non cor vides, sed fit amarum ut

absynthium. O piissima Mater, quis mihi det, ut tecum, et propter te moriar? Saltem fac ut tecum lugeam.

27. Simonia

Ex sacris Scripturis

Fecit de novissimis popolis (*Jeroboam*) sacerdotes excelsorum; quicumque volebat, implebat manum suam, et fiebat sacerdos excelsorum. Et propter hanc causam peccavit domus Jeroboam, et eversa est, et deleta de superficie terrae. *III Reg.* XIII, 33, 34.

Ad quae respondens Daniel (*scilicet quod rex obtulerat ei praemia pro interpretatione litterarum in pariete scripturarum, si indicaret illi*), ait coram rege: Munera tua sint tibi, et dona domus tuae alteri da: scripturam autem legam tibi, rex, et interpretationem ejus ostendam tibi. *Dan.* V, 17.

Ait Jesus Apostolis: Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, daemones ejicite: gratis accepistis, gratis date. *Matth.* X, 8.

Cum vidisset autem Simon (*a quo accepit Simonia nomen*), quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum. Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. *Actor.* VIII, 18, et seq.

Ego autem nullo horum usus sum (*scilicet de Evangelio non vixi, neque de altari, ne vobis offendiculum darem*). Non autem scripsi haec, ut ita fiant in me, etc. *I Cor.* IX, 15.

Et cum essem apud vos, et egerem, nulli onerosus fui: nam quod mihi deerat, suppleverunt fratres, qui venerunt a Macedonia: et in omnibus sine onere me vobis servavi, et servabo. *II Cor.* XI, 9.

Ex Ss. Patribus

Oculis quidem carnalibus videtur quis Episcopus magnus, et divinis oculis inspicitur leprosus magnus, qui per pecuniam acquisivit indebitum ordinem, et apud Deum perdidit interiorem hominem, caro suscepit dignitatem, et anima perdidit honestatem. *Ambr. in suo past.*

Quotidie Jesus ingreditur Templum Patris, et ejicit omnes tam Episcopos, et Presbyteros, Diaconos, quam Laicos, et universam

turbam in Ecclesia sua, et unius criminis habet vendentes pariter, et ementes. Cathedras vendentium columbas evertit, qui vendunt gratiam Spiritus Sancti, et omnia faciunt, ut subiectos populos devorent. *Hier. in ep. ad Dem.*

Quod dedit cum Episcopus ordinaretur, aurum fuit, et quod perdidit, anima fuit: cum alium ordinaret, quod accepit, pecunia fuit, et quod dedit, lepra fuit. *Hier. in ep. ad Dem.*

Hinc agitur, ut Sacerdotalis dignitas in despectu, et sanctus sit honor in crimine: perit utique reverentia, ac adimitur disciplina . . . nam quis denuo veneratur, quod venditur, aut quis non vile putet esse, quod emitur? *Greg. Magn.* l. VII, *Ep.* CXIII.

Non ut possessores, sed ut procuratores facultates Ecclesiae possidebunt, scientes nihil aliud esse res Ecclesiae, nisi vota fidelium, pretio peccatorum, et patrimonia pauperum; non eas vindicaverunt in usus suos, ut proprias, sed ut commodatas pauperibus diviserunt. *Prosp. seu Auct.* lib. II *de vit. Contemp.* cap. IX.

Simoniae haeresis contagium jam olim Baalam pullulavit: quo divinationis pretio proposito, ad maledicendum populum Dei porrexit, dehinc hujus duo leguntur auctores emersisse: alter sub Prophetica, alter sub Apostolica doctrina. Primi Giezi magister esse vendentium, deinde Simon videtur emptor. Horum autem sectatores sicut non sunt in errore diversi: ita nec in damnatione divisi. *Hugo* lib. II *de Sacr.* par. X.

Simonia a Simone mago nomen accepit. Nec aliter et Simon facere tentavit; cum pecuniam Apostolis obtulit ut acciperet dona Spiritus Sancti. Grande malum, incurabile morbus Simonia. Quis enim ignorat ecclesiastica beneficia vel bona nonnunquam venumdari , vel emi aperte et sine verecundia, quasi sagrilegum illud commercium praescriptione sit non deplorandum. Quam execrabile sit hujusmodi scelus, patet eo quod Christum depretiat quia bona ecclesiae, Christi sanguine acquisita venditat, vel emit. Quam triste, si et nostro tempore valeret , quod dictum fuerat tempore Prophetarum. *A minore quippe usque ad majorem omnes avaritiae student, et a Propheta usque ad sacerdotem omnes faciunt dolum* (*Jer.* VI). Ehu me miserum quot indigni sine merito, sine vocatione sine . . . ad ordines, ad Episcopatum, ad dignitates ecclesiasticas vidimus promoti, cum Dominus non vocaverit eos, et nullus dubitandi locum reliquerint esse simoniacos? Audiet ergo qui est iste Simoniacus: Pecunia tua tecum sit in interitum, quoniam gratiam Dei pretio possidendam putasti.

28. Christus negatus a Petro

Ex Sacris Scripturis

Et errare eos faciet quasi ebrios. *Job* XII, 25.

Versa est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium. *Job* XXX, 31.

Disperge superbos in furore tuo et respiciens omnem arrogantiam humilia. *Job* XL, 6.

Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte. *Psal.* XLI, 3.

Posuisti (*Domine*) lacrymas meas in conspectu tuo. *Psal.* LV, 8.

Qui convertit petram in stagna aquarum, et rupem in fontes aquarum. *Psal.* CXIII, 8.

Erravi sicut ovis, quae perit. *Psal.* CXVIII, 176.

Animae dolosae errant in peccatis. *Prov.* XIII, 13.

Arrogantiam fortium humiliabo. *Isa.* XIII, 11.

Arrogantia tua decepit te, et superbia cordis tui. *Jer.* XLIX, 16.

Visitabo super omnem, qui arroganter ingreditur super limen, in die illa. *Soph.* I, 9.

Ait illi Jesus: Amen dico tibi (*Simon*), quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis. *Matth.* XXVI, 34.

Petrus vero sedebat foris in atrio: et accessit ad eum una ancilla, dicens: Et tu cum Jesu Galileo eras. At ille negavit coram omnibus, dicens: Nescio quid dicis. Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla, et ait his, qui erant ibi: Et hic erat cum Jesu Nazareno. Et iterum negavit cum juramento: Quia non novi hominem. Et post pusillum accesserunt, qui stabant, et dixerunt Petro: Vere et tu ex illis es: nam et loquela tua manifestum te fecit. Tunc coepit detestari, et jurare, quia non novisset hominem. Et continuo gallus cantavit. *Matth.* XXVI, 69, et seq.

Qui enim me confessus fuerit, et verba mea in generatione ista adultera et peccatrice; et Filius hominis confundetur eum, cum venerit in gloria Patris sui cum Angelis sanctis. *Marc.* VIII, 38.

Et egressus foras flevit amare. *Luc.* XXII, 62.

Ex Ss. Patribus

Intelligite, quam sit impecilla humana natura, cum Deus deserit. *Gris. hom. LXXXII in Joan.*

Quid est homo sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus, cum negaret Christum? et ideo cum Petrum paululum Dominus subdeseruit, ut in illo totum hamanum genus posset agnoscere, nihil se sine Dei gratia praevalere. *Aug. ser. CXXIV de Temp.*

Ecce columna firmissima ad unius aurae impulsum tota contremuit; ubi est illa promittentis audacia, et de se plurimum praesumentis? *Aug. tract. CXV in Joan.*

Ille, qui nihil infirmitatis putabat habere, negat tertius ob ancillula, Christum. *Aug. ser. CXXXI de Temp.*

Post negationem Petri, et galli cantum, respexit Salvator Petrum, et intuitu suo eum ad amaras lacrymas provocavit: non enim fieri poterat, ut in negationis tenebris permaneret, quem lux perspexerat mundi. *Hier. in Matth. XXVI.*

Expedit ut cognoscam, quam vilis, et labilis sum, ut deinde illi inhaeream, per quem sum, sine quo nihil sum, et nihil facere possum. *Bern. Medit.*

Per primam ancillam designatur cupiditas; per secundam carnalis delectatio; per illos, qui astabant, daemones intelliguntur, his enim trahuntur homines ad Christi negationem. *Bern. Medit.*

Divinae providentiae secretum ita temperavit, ac promisit, ut primus ipse laberetur, ac rueret in peccatum, quo erga peccantis duriorem sententiam, proprii casus intuitu, temperaret. *Aug. ser. CXXIV de Temp.*

Petrus ex hac nocte traxit in consuetudinem, quod omni nocte a primo gallorum cantu usque ad horam matutinam stabat in oratione, suam uberrime negationem deflegens, ita quod facies ejus ex lacrymis videbatur quasi exusta. *Clemens. Rom.* lib. II, cap. XXXVII *in itin. Pet.*

Quantos robustissimos telis foemineis prostravit viros? Unius mulierculae lingua christianae militiae devicit ducem. Quid de membris inferioribus sperare poterat Belial, quando Ecclesiae principem sic leviter superavit? *Laur. Justin. de triumph. Chr. ag.* cap. VIII.

Doce me, Petre, quid tibi profuerint lacrimae tuae? Sed docuisti illico; nam qui lapsus es, antequam fleres, postquam flevisti, erectus es, ut alios regeres qui teipsum ante non rexeras. *Ambr. in cap. XXII Luc.*

Non nosti hominem Petre, qui te erexit in fluctibus? quem confessus es Filium Dei? cujus tot spectasti miracula, etc. Quam facile mutamus consilia! Dum fervet spiritus, ad mortem pro Christo aspiramus: dum tepet, vilis ancilla, aut levis tentatio, nos prosternit. Nemo sibi fidat, sed cum timore, et tremore, quisque salutem suam operetur. At collapsa est Ecclesiae columna: quam gravis ruina! Ita ergo in timore, secus *cito subvertetur domus tua* (*Eccles.* XXVII). Petrus mortis temporalis formidine perterritus,

ad unius ancillae vocem foede prosternitur: et qui magnam alias ostenderat audaciam, timore ter negavit. Deplorandus est sane Apostoli lapsus, sed admiranda Christi bonitas, et divinae gratiae efficacia. Qualis, quaeso, Salvatoris bonitas, qui eodem tempore, quo Petrus negat, Petri salutem solicite curat? Eodem momento, quo negationem suam Petrus mendacio, juramento, et anathemate confirmat, Petri miseretur, gratiamque largitur, qua tenebras ab ejus mente fugat, et in ejus corde dolorem ingenerat. Execrabilis Petri negatio permissa est a Deo, ut sumptuosius ex lacrymis Petrus consequeretur bonum. Sic est lucrosum poenitentiae commercium: sic pretiosae sunt lacrymae! Quoties, Domine mi, cum mihi irasci poteras, es misericordiae recordatus! Incipiam ergo nunc cum Petro flere, et nunquam desinam.

29. Calumnia

Ex Sacris Scripturis

Introducti sumus, ut devolvat in nos calumniam, et violenter subjiiciat servituti. *Gen.* XLIII, 18.

Non facias calumniam proximo tuo. *Levit.* XIX, 13.

Omnique tempore calumniam sustineas . . . nec habeas, qui liberet te. *Deut.* XXVIII, 29.

Deus humiliabit calumniatorem. *Psal.* LXXI, 4.

Feci judicium et justitiam: non tradas me calumniantibus me. *Psal.* CXVIII, 121.

Dux indigens prudentia, multos opprimet per calumniam. . . . Hominem, qui calumniatur animae sanguinem, si usque ad lacum fugerit, nemo sustinet. *Prov.* XXVIII, 16, 17.

Et vidi calumnias, quae sub sole geruntur, et lacrymas innocentium, et neminem consolatorem. *Eccles.* IV, 1.

Calumnia conturbat sapientem, et perdet robur cordis illius. *Eccles.* VII, 8.

A tribus timuit cor meum, et in quarto facies mea metuit: delaturam civitatis, et collectionem populi, calumniam mendacem, etc. *Eccli.* XXVI, 5.

Qui projicit avaritiam ex calumnia . . . . in excelsis habitabit. *Isa.* XXXIII, 15.

Recede procul a calumnia. *Isa.* LIV, 14.

Advenae et pupillo, et viduae non feceritis calumniam . . . et habitabo vobiscum. *Jerem.* VII, 6.

Eruite vi oppressum de manu calumniantis. *Jerem.* XXI, 12.

Pater ejus qui calumniatus est, et vim fecit fratri .... ecce mortuus est in iniquitate sua. *Ezech.* XVIII, 18.

Populi terrae calumniabantur calumniam, et rapiebant violenter: egenum et pauperem affligebant, et opprimebant advenam calumnia absque judicio. *Ezech.* XXII, 29.

Et viduam, et pupillum, et advenam, et pauperem nolite calumniari. *Zach.* VII, 10.

Orate pro persequentibus, et calumniantibus vos. *Matth.* V, 44.

Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: etc. *Luc.* III, 14,

Ex Ss. Patribus

Calumnia non est, nisi quando falsi criminis obiectione proximus laeditur. *Aug. sup. Lev.* q. LXVIII.

Crimen quippe falsum, quod est calumnia, reum non facit hominem, nisi apud judicem hominum: ubi autem Deus judex est, multus falso crimine laeditur: quia non cui objicitur, sed objicienti potius imputatur. *Aug. ser. XXVII in Psal.* CXVIII.

Sic Pharisaei Christum persequebantur insidiis, tentabant dolis, interrogatione pulsabant, appetebant contumeliis, et tota cupidi simulatione vallabant, obiiciebant curandos sabbato, ut si non curasset, fieret de impossibilitate contemptus; de lege maneret, calumnia, si curasset. *Petr. Chrysol. ser.* XXXI.

Non unum genus est nostrae afflictionis : est et calumnia , sed tentatio levior , calumnia gravior: siquidem tentatio potest esse sine calumnia, calumnia in se et tentetionem habet: est humana tentatio, quam ferre possumus, calumnia autem gravius est.*Amb. ser. XVII in Psal.* CXVIII.

Calumnia eo gravior est, quia non solum falsa componit, verum etiam quae pie gesta sunt, decolorat. *Idem ibid.*

Ille qui propter vitandam calumniam tempus a te redimit, hic tolerat dies malos: tu qui calumniis pasceris, et hic habes dies malos, et post dies istos habiturus es in die judicii pejores: sed hoc forte rides, quia minimum attendis: ride, ride contemne; ego erogo, veniet qui exigat. *Aug.* lib. L, *Hom.* X.

Qui enim opprimitur calumnia, non facile potest custodire mandata divina: tristitiae necesse est plerumque, aut timori cedat, aut affligatur vel metu calumniae, vel dolore. *Ambr. ser. XVII in Psal.* CXVIII.

Calumniator de machinatis pravae calumniis petulanter garrit, licenter obloquitur, et injuriose calumniatum offendit. Verum sae-

pe saepius accidit quod ob praespectas in aliis virtutes protulisti mendacem calumniam, qua falsum crimen innocuo impegisti, et sic virum justum tuis calumniis dehonestasti, infamasti, vituperasti afficiens eum tristitia et verecundia. Quis potest explicare verbis, aut concipi mente quam grave malum fecisti calumniando? In viris saecularibus,et quod pejus regnat ordine superiori inter Clericos. Hujusmodi calumnia falsa componens, et pie gesta impie decolorans, et adeo est gravis, ut plusquam humana videatur, ad quam cum patientia, et silentio ferendam insufficientes sunt humanae vires, et magnum requiritur gratiae adjutorium, qua tentatio illa gravissima, et fere plusquam humana superetur. Dic quotidie cum Regio Vate: *Redime me a calumnis hominum, ut custodiam mandata tua.* (*Psal.* CXVIII.) Superiores autem non praebant auditum his criminationibus falsis,a delatoribus factis.Unde Eugenium Summum Pontificem hortatur Bernardus: *Clandestinas, et susurratas delationes non recipias: magis detractiones censeas; et ob hoc velim generalem constituas regulam, ut omnem qui palam veretur dicere, quod in aurem locutus est, suspectum habeas.* (*Ber.* Lib. V *de Consider.*)

30. Curiositas

Ex Sacris Scripturis

Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile: et tulit de fructu illius, et comedit, deditque viro suo, qui comedit. *Gen.* III, 6.

Egressa est autem Dina filia Liae, ut videret mulieres regionis illius. Quam cum vidisset Sichem filius Hemor Hevaei, princeps terrae illius, adamavit eam: et rapuit et dormivit cum illa, vi opprimas virginem. *Gen.* XXXIV, 1, 2.

Alii nulla curiositate videant quae sunt in Sanctuario, priusquam involvantur; alioquin morientur. *Num.* IV, 20.

Si fueris plurimum scrutatus, frequenter miraberis. *IV Esdr.* IV, 26.

Quis autem investigator malorum est, opprimetur ab eis. *Prov.* XI, 17.

Infernus et perditio numquam implentur: similiter et oculi hominum insatiabiles. *Prov.* XXVII, 20.

De ea re, quae te non molestat, ne certeris. *Eccli.* II, 9.

Non est tibi necessarium ea, quae abscondita sunt, videre oculis tuis. In supervacuis rebus, noli scrutari multipliciter, et in pluribus operibus ejus non eris curiosus. *Eccli.* III, 23.

Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate. *Act.* I, 7.

Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus: et computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium. *Act.* XIX, 19.

Ex Ss. Patribus

Sunt qui desertis virtutibus, et nescientes quid sit Deus, et quanta sit majestas semper eodem modo manentibus: magnum aliquid se agere putant, si universam istam corporis molem, quam mundum nuncupamus curiosissime perquirant. Unde etiam tanta superbia gignitur, ut in ipso coelo, de quo saepe disputant, sibimet habitare videantur. *Aug. lib. de mor. eccl.*

Grave curiositas est vitium, quae dum cujuslibet mentem ad investigandam vitam proximi exterius ducit, semper ei sua intima abscondit, ut aliena sciens se nesciat, et curiosus animus quanto peritus fuerit alieni meriti, tanto fiat ignarus sui. *Greg. hom.* XXXVI *in Ev.*

Audiant curiosi, qui pulchritudines curiose considerant alienas, et dicunt; spectamus quidem, sed nihil nocemur; David talis ac tantus laesus est, et tu te putas non posse laedi? *Gris. in Psal. L.*

Curiosus foras egreditur, et exterius omnia considerat, qui sic interna despicit, praeterita non respicit, praesentia non inspicit, futura non prospicit. *Ber. ser. IV in Cant.*

Fili, noli esse curiosus, nec vacuas gerere sollicitudines, quid hoc, vel illud ad te? tu me sequere. Quid enim ad te, utrum ille sit talis, aut iste sic, et sic agit, vel loquitur. *De Imit. Chr.* lib. III, cap. XXIV.

Curiosum genus hominum ad cognoscendam viam alienam, desidiosum ad corrigendam suam. *Aug. Confess.* lib. X.

Quae Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda: quae autem manifesta fecit, non sunt negligenda, ne et in illis illicite curiosi, et in his damnabiliter inveniantur ingrati. *Prosp. de vocat. gent.*

O quanti veritatem quaerunt, non in veritate, sed in vanitate! quaesitam inveniunt non ad veritatem, sed ad vanitatem: et quod miserrimum est in verbis vitae, lucra mortis negotiantur! *Bru. a s. Vict. in ser.* VII.

Qui credit in Deum, Deum discutere non praesumat: Deus quod sit, sufficit scire: qui requirit unde sit, quantus sit Deus, Deus

quid sit, hic nescit: solum importunum tenebrat aspectum, ad Deum inconcussus caecatur aspectus. *Chrysol. ser. LXI.*

Sacrilegae temeritatis est, si plus scire cupias quam possis: sufficit tibi quod Deus a se agi, et dispensari cuncta testatur. *Salv. lib. I de Prov.*

Curiosus temerarie inquirens quantus sit Deus, quid fecit Deus, cur hoc voluit, et quomodo potuit Deus, fidei non habet modestiam, sed insolentis praesumptionis temeritatem. Ut autem fugias hanc curiositatem, attende ad Ecclesiastici consilium. *Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scrutatus fueris: sed quae praecepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus* (*Eccli* III). Tantum abest ut curiosus divinarum rerum scrutator sit sapiens: quin imo sine sensu, et stultus judicatur. Sobrius intellectus in omnibus optimus est, qui reficit animam, nec gravat mentem. Unde mel invenisti, comede, quod sufficit tibi, ne forte satiatus ex aliis cibis peregrinis, evomas illud. Quid enim proderit scire, quam Saturnus et Mars e contrario stabunt. aut quum Mercurius vespertinum faciet occasum vidente Saturno? quid Anaximedes, quid Anaxagoras, quid Pythagoras, quid Democritus senserint, et caeteri hujusmodi, ut docti eruditique viderentur, cum a doctrina et vera eruditione longe absint? Si quis est praesumptionis peste infectus, curiositatis veneno toxicatus mortiferi hujus veneni sumat antidotum. *Veritas emendet errorem, fides redarguat incredulitatem, conversio corrigat aversionem* (*Aug. lib. VIII de Civ. Dei*, c. 24). Potius quam hoc discere melius erit scire quid desit tibi. .Multum enim nocebit investigare omnia, quae non licent scire, nec prosunt. Quidquid nos meliores beatosque facturum est, sancta curiositas est.

31. Patientia

Ex Sacris Scripturis

Patientia pauperum non peribit in finem. *Psal.* IX, 19.

Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias: nec deficias, cum ab eo corriperis: quem enim diligit Dominus, corripit: et quasi pater in filio complacet sibi. *Prov.* III, 11, 12.

Qui patiens est, multa gubernatur prudentia: qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam. *Prov.* XIV, 29.

Sermo durus suscitat furorem. Vir iracundus provocat rixus: qui patiens est, mitieat suscitutas. *Prov.* XV. 1. . . . 18.

Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. *Prov.* XVI, 32.

Doctrina viri per patientiam noscitur. *Prov.* XIX, 11.

Ne dicas: Reddam malum (*pro malo*): expecta Dominum, et liberabit te. *Prov.* XX, 20.

Quod autem in bonam terram: hi sunt, qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia. *Luc.* VIII, 15.

In patientia vestra possidebitis animas vestras. *Luc.* XXI, 19.

Quaecumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: ut per patientiam et consolationem Scripturarum, spem habeamus. *Rom.* XV, 4.

Caritas patiens est, benigna est, etc. *I Cor.* XIII, 4.

In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, etc. *II Cor.* VI, 4.

Obsecro itaque vos, etc. ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in caritate. *Ephes.* IV, 1, 2.

Patientiam enim vobis necessaria est: ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. *Heb.* X, 36.

Quoniam servasti verbum patientiae meae, et ego servabo te ab hora tentationis, quae ventura est in orbem universum tentare habitantes in terra. *Apoc.* III, 10.

Ex Ss. Patribus

Fili si plores, pie plora: noli cum indignatione, noli cum tipo superbiae. Unde plangis? quod pateris, medicina est, non poena: castigatio, non damnatio. Noli repellere flagellum, si non vis repelli ab hereditate: noli attendere, quam poenam habeas in flagello, sed quem locum in testamento. *Aug. sup. Psal. XCIX.*

Cogita, quod sive velis, sive nolis, calamitatem patieris: quod si grate, maxime lucraberis: si vero aegre, et impatienter feres, neque illam ita minorem facies, sed majorem reddes procellam. Cogitantes ergo, quod necessitatis est, hoc nostrae voluntatis esse faciamus. *Gris. hom. VI ad Pop.*

Tolle caritati patientiam, et desolata non durat; tolle patiendi, et tolerandi substantiam, et nullis radicibus, et viribus perseverat. *Gris. ibid.*

Triplici velut ariete patientia nostra pulsatur; verborum injuriis, damnis rerum, corporis laesione; in his tribus omnis exhibitio patientiae consistit. *Ber. ser. II de conv. s. Paul.*

Pensate, quaeso, ubi erit patientia, si deest, quod toleratur? Ego Abel esse non suspicor, qui Caín non habuerit. Boni enim,

si sine malis fuerint, perfecti esse boni non possunt, quia minime purgantur; ipsa autem malorum societas purgatio bonorum est. *Greg.* lib. IX, ep. XXXIX.

Tolera quia toleratus es; si semper bonus fuisti, habeto misericordiam; si aliquando malus fuisti, noli perdere memoriam, et quis est semper bonus? *Aug. de pat.* cap. V.

Impatientes dum mala pati nolunt, non efficiunt, ut a malis eruantur, sed ut mala graviora patiantur. *Aug. de pat.* cap. II.

Perfacile est vestem contemptam habere, inclinato capite incedere, velum super capillos demittere: sed verum humilem patientia ostendit injuriae. *Aug. ep. ad Proba.*

Nullus perfectus est, qui inter mala proximorum patiens non est. Qui enim aequanimiter aliena mala non tolerat, ipse sibi per impatientiam testis est, quia ab omni plenitudine longe distat. Sicut in tritura paleae grana praemuntur; sic flores inter spinas prodeunt, et rosa quae redolet, crescit cum spina quae pungit. *Greg. in Moral. sup. illud Fratr.*

Plerumque ideo patientes videmur, quia retribuere mala non possumus: sed qui idcirco in alium non retribuit, quia nequaquam valet, procul dubio patiens non est; quia patientia non in ostensione inquiritur, sed in corde. *Greg. sup. Evang. Cum metieritis.*

Patientia est Dei natura, et praestantia. Unde ex patientia Christus se Filium Dei ostendit in Cruce: quando enim pro se loquitur, non Patrem, sed Deum appellat; quando autem pro persecutoribus agit, non Deum, sed Patrem appellat, et cum eo loquitur, ut par pari. Miraris ne? operatur miracula Christus, et pro seductore habetur. *Seductor ille* (*Matth.* XXVII). Peccatores convertit: et peccatorum amicus, helluo, et epulo proclamatur: *Ecce homo vorax et potator vini* (*Matth.* XI). Eiicit demonia, et magus nominatur. *In Beelzebub principe daemoniorum eiicit daemonia* (*Matth.* XXI). Patientiam habet erga peccatores, ut Deus agnoscitur. *Revertebantur percutientes pectora sua dicentes*: *Vere Filius Dei erat iste* (*Luc.* XXIII). Nunc Deus ipse pugnam tuam considerat; hortatur, ut certes; deficientem sublevat; adjuvat te, ut victus, ac vincentem coronat. Grandia sunt, quae jam nunc ex tribulationibus emergunt, bona. Compellunt namque ad Deum accedere nolentem, erudiunt ignorantem, humiliant superbientem, purgant poenitentem. Fac ut semper habeas prae manibus illa Pauli verba: *sustinetis enim si quis vos in servitutem redigit, si qui devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos caedit.* (*II Cor.* II). At tu ita agis, dum vel hunc vel illum sustinere fugis, vel patientiam tuam exercentes non audis sustinere. Non satis est velle esse patientem, ne accedat operari.

APRILIS

1. Cogitatio mortis

Ex Sacris Scripturis

Utinam saperent et intelligerent ac novissima providerent! *Deut.*, XXXII, 29.

Dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, et non revertar ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine. *Job* X. 20. 21.

Spiritus meus attenuabitur, dies mei breviabuntur et solum mihi superest sepulcrum. *Job* XVII, 1.

Ipse ad sepulchra ducetur, et in congerie mortuorum vigilabit. *Job* XXI, 32.

Locutus sum in lingua mea: Notum fac mihi, Domine, finem meum, et numerum dierum meorum quis est, ut sciam quid desit mihi. *Psal.* XXXVIII, 4.

Quis est homo, qui vivet et non videbit mortem: eruet animam suam de manu inferi? *Psal.* LXXXVIII, 47.

Viventes enim sciunt se esse morituros, mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem, quia oblivioni tradita est memoria eorum. *Eccles.* IX, 5.

In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis. *Eccli.* VII, 40.

Memor est, quoniam mors non tardat, et testamentum inferorum quia demonstratum est tibi. *Eccl.* XIV, 12.

O mors quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis. *Eccli.* XLI, 1.

Ego dixi, in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi. *Isa.* XXXVIII. 10.

Ideo inter vos multi infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi. *I Cor.* XI, 30.

Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et caeteri qui spem non habent, etc. *I Thess.* IV, 12.

Nihil sic hominem a peccato revocat, sicut frequens mortis meditatio. *Aug. lib. exhort.*

Non est libidini diversorium, in qua versatur mente sepulchrum. *Petr. Dam. ep. XXXIV.*

O bona mortis consideratio, quis, et quanta parte acquirantur emolumenta valet intelligere? *Laur. Justin. de lign. vitae.*

Timor de futura morte mentem necessario concutit, et quasi clavis, carnis omnes motus superbiae ligno crucis affigit. *Aug. lib. II de doct. Christ.*

Platonis sententia est, omnem sapientiam, meditationem esse mortis; debemus et nos igitur praemeditari, quod aliquando futuri sumus: et quod velimus et nolimus abesse longius non potest. *Hier. in ep. ad Heliod.*

Mortalem te, quaeso, esse recordare; terra equidem es, in terramque rursum dissolveris; circumspice eos, qui ante te similibus se splendoribus efferebant; ubinam sunt illi, qui civilibus dignitatibus ornati erant? ubi invicti Rhetores? ubi Duces? ubi Tyranni? nonne omnia pulvis? nonne fabula, nonne in paucis ossibus memoria vitae ipsorum conservatur? *Basil. or. XXIV de mor.*

Quid tunc proderit appetitus sibi exquisiti, potus delicatus, vestis curiositas, calceamentis speciositas, carnis mollities, ventris ingluvies, ciborum superfluitas, crapula, et ebrietas, domorum constructio, praebendarum acquisitio, divitiarum aggregatio? *Aug. Spec.* cap. VII.

In morti tanto timor fit acrior, quanto ejus memoria fuit rarior, et quanto vicinius judicium tangitur, vehementius formidatur; invenit enim homo post pusillum, quod in aeternum non poterit vitare. *Greg. Moral.* lib. XXIV, cap. VII.

Juxta lapidem super quo ponentur corpora, te meditando compone, diligenter excogita, quo tractentur usu sepeliendi, nunc enim in tergun, nunc in faciem versantur, quomodo nutat caput, cadunt brachia, rigent crura, jacent tibiae, quomodo induantur, consumantur. Summaque tibi sit philosophia, meditatio mortis assidua; hanc ubique perrexeris, tecum porta, et in aeternum non peccabis. *Bern. for. bon. vitae.*

In omni opere suo dicat quisque, si modo moriturus esses, faceres istud? *Bern. in spe. Mon.*

Qui mortem non cogitant similes sunt lethargicis, quia somno clamoribus, motibus, percussionibus tantisper excitati, debili intuentur vultu, imperfecte audiunt sermonem loquentium, unoque aut altero verbo indistincte prolato, ad pristinum redeunt soporem. Non absimiliter homines, qui numquam mortem cogitant, numquam morituros censent, si interdum praedicatores magna voce de morte concionantes eos a lethargico somno excitant, si interdum aperiunt oculos, et conspiciunt morientes coram ipsis, si interdum tympana pro defunctis sonantia audiunt: haec omnia sensus dumtaxat externus feriunt, nec penetrant usque ad internas animi potentias, aut si illa considerant solum transeundo considerant. Verum licet nihil certius quam aliquando moriendum; multi tamen nunquam, vel raro cogitant se morituros. Fides homines de terra factos in terram reversuros pronuntiat; fides interitum infallibilem asseverat. Ratio corporum dissolutionem demonstrat. Oculi mortuos quotidie intuentur non modo senes, verum etiam adolescentes, puerulos etiam lacte nutritos, aliosque cujusvis sexus et conditionis. Sapiens alta voce proclamat: *Nemo est qui semper vivat* (*Eccles.* IX.) et tamen post latam Dei sententiam, post ineffabilem fidei notitiam, post evidentem rationis intelligentiam, post sapientis doctrinam, post sensuum experientiam plerique adeo stulte agunt, ut sese immortales existiment nunquam cogitantes de morte. Non sic de te, non sic; sed memento mortis tuae et non peccabis.Qui quotidie recordatur esse moriturum, contemnit praesentia, et ad futura festinat. Vocatus ad morientem', audiens campanam pro agonizantibus,benedicens,vel assistens funeri, celebrans pro defunctis, videns mortuos sepelire, mortem memineris. Ergo nihil quod transeat debes appetere: cunctis vitae praesentis desideriis contradic, et pene mortuum te considera, quia moriturum minime ignoras. Dic saepe saepius te ipso: Morieris, et non vives.

2. Omnipotentia Dei

Ex sacris Scripturis

Postquam vero (*Abraham*) nonaginta et novem annorum esse cooperat, apparuit ei Dominus, dixitque ad eum: Ego Deus omnipotens: ambula coram me, et esto perfectus. *Gen.* XVII. 1.

Numquid Deo quidam est difficile? Juxta condictum revertar ad te hoc eodem tempore, vita comite, et habebit Sara filium. *Gen.* XVIII, 14.

Ego Deus omnipotens;cresce, et multiplicare: gentes, et populi

nationum ex te erunt, reges de lumbis tuis egredientur. *Gen.* XXXV, 11.

Deus autem meus omnipotens, faciat vobis eum placabilem. *Gen.* XLIII, 14.

Scio (*Deus*) quia omnia potes. *Job* XLII, 2.

Dixit autem Jonathas ad adolescentem armigerum suum. Veni, transeamus ad stationem incircumcisorum horum, si forte faciat Dominus pro nobis: quia non est Domino difficile salvare, vel in multis, vel in paucis. *I Reg.* XIV, 6.

Heu, heu, heu, Domine Deus: ecce tu fecisti coelum et terram in fortitudine tua magna, et in brachio tuo extento: non erit tibi difficile omne verbum. *Jer.* XXXII, 17.

Ait Jesus: apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt. *Matth.* XIX, 26.

Omnia enim possibilia sunt apud Deum. *Marc.* X, 27.

Non erit impossibile apud Deum omne verbum. *Luc.* I, 37.

Quae impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. *Luc.* XVIII, 27.

Ex Ss. Patribus

Quid est Deus? longitudo, latitudo, sublimitas, profundum. Longitudo propter aeternitatem. Latitudo propter caritatem. Sublimitas propter majestatem. Profundum propter sapientiam. Deus amat ut caritas, novit ut veritas, sedet ut aequitas, dominatur ut majestas, regit ut principium, tuetur ut salus, operatur ut virtus, revelatur ut lux, assistit ut pietas, quae omnia faciunt et Angeli, facimus et nos: sed longe inferiori modo, non utique bono, quod sumus, sed quod participamus. *Bern. de consid.*

Omnia possibilia sunt innitenti super eum, qui omnia potest. *Bern. ser. LXXXIII sup. Cant.*

Deus omnipotens est: et cum sit omnipotens, meri non potest, falli non potest; mentiri non potest; et quod ait Apostolus, *negare seipsum non potest*; quam multa non potest, et omnipotens est? et ideo omnipotens est, quia ista non potest; nam si mori posset, non esset omnipotens . . . . facit quidquid vult, ipsa est omnipotentia; facit quidquid bene vult, quidquid juste vult. *Aug. ser. ad Catech.*

Exhorresce quod minatur omnipotens, ama, quod pollicetur omnipotens. *Aug. tract. III in ep. Joan.*

Ponamus ante oculos quae sit illa Dei natura, quae tenet omnia, implet omnia, complectitur omnia, superexcedit omnia, sustinet omnia, nequaquam autem Deus ex una parte sustinet, neque ex alia superexcedit: neque ex alia parte implet, neque ex alia parte circumplectitur, sed circumplectendo implet, implendo circumplectitur, sustinendo superexcedit, superexcedendo sustinet sine inquietitudine superius regens, sine latitudine inferius sustinens, inferius sine extenuatione penetrans, exterius sine extentione circumstans. Est itaque inferior et superior sine loco, est amplus sine latitudine, est subtilis sine extimatione, et qui per molem corporis nusquam est, per incircumscriptam substantiam suam nusquam deest. *Greg. lib. II Moral. et in hom. VIII sup. Ezech.*

Nullus est homo qui ad Deum non pertineat, quique Deum ut suum auctorem colere, et adorare non teneatur. Attamen criminosus peccator summum magnum parem non habens, Deus cum sit omnipotens, summum, dico magnum singulare, cui nihil potest aequari, cui omnia sunt possibilia, et damnare, et salvare potest, et mittere in infernum et in patrim, et impius suis vitiis Deum diabolo postponit. Deus ut omnipotens omnia ex nihilo condidit, et conservat, sine ipso omnia in nihilum deficere. Magnifica et lauda omnipotentiam ejus; invita creaturas; vicissim te ab iisdem invitari crede. Mirare tot possibiles creaturas, in suo nihilo relictas, te tam miserum peccatorem extractum. Agnosce quanta potueris cum eo, quam pauca praestiteris. Humilia te quod nihil possis sine eo. Apprehende manu tua omnipotentem ejus manum, cum qua sola omnia potes, et erige te ad magnanimitatem in arduis, et difficilibus.

8. Virginitas

Ex Sacris Scripturis

Ergo cunctos interficite (*ait Moyses principibus exercitus Israel contra Madianitas*) quidquid est generis masculini, etiam in parvulis: et mulieres, quae noverunt viros in coitu, jugulate: puellas autem, et omnes foeminas virgines, reservate vobis: et manete extra castra septem diebus. *Num.* XXXI, 17, et seq.

Et hoc erit, quod observare debebitis: Omne generis masculini et mulieres, quae cognoverunt viros, interficite, virgines autem reservate. *Judic.* XXI, 11.

Accinctaeque mulieres ciliciis pectus, per plateas confluebant;

sed et virgines, quae conclusae erant, procurrebant ad Oniam, aliae autem ad muros, quaedam per fenestras aspiciebant: universae autem protendentes manus in coelum, deprecabantur. *II Mach.* III, 19, 20.

Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt: et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: et sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum coelorum. Qui potest capere, capiat. *Matth.* XIX, 12.

Qui sine uxore est, solicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo. *I Cor.* VII, 32.

Et mulier innupta, et virgo cogitat quae Domini sunt: ut sit sancta corpore et spiritu. *Idem ibid.* v. 34.

Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque erit. Hi empti sunt ex hominibus, primitiae Deo et Agno. *Apoc.* XIV, 4.

Ex Ss. Patribus

Supergreditur virginitas conditionem humanae naturae, per quam homines angelis assimilantur. Major tamen est victoria virginum, quam Angelorum. Angeli enim sine carne vivunt, virgines vero in carne triumphant. *Ambr. lib. de Vidui.*

Quanta est virginitatis gratia, quae meruit a Christo eligi, ut esset corporale Dei templum, in qua corporaliter habitavit plenitudo divinitatis: virgo genuit mundi salutem, virgo peperit vitam universorum. *Ambr.* lib. III *de Offic.*

Virginitas est soror Angelorum, victoria libidinum, regina virtutum, possessio omnium bonorum. *Cypr. in lib. de Virg.*

Dominica virgo debet agnoscere, quibus praeceptis conveniat insistere: vel a quantis vitiis debeat abstinere: si vult in seculo posita cum Deo esse, et cum eodem post hujus vitae resolutionem in claritate coelesti regnare. *Aug. in lib. ad sacr. Virg.*

Dominica virgo primitus publicos debet vitare conspectus, et platearum frequentiam devitare: atque in domo posita operi lanificio insistere, vel lectioni divinae. *Idem ibid.*

Flos est virginitas, flos martyrium, flos actio bona. In horto virginitas, in campo martyrium, bonum opus in thalamo. *Greg. sup. Ezech.*

Virgo carne, non mente, nullum praemium habet in repromissione. *Isid. de sum. bon.* lib. II.

Dominica Virgo nec ornatu capitis, nec habitu comae, nec oculis erectis, aut laetis: sed crinibus ad terram cum vultu demisso procedat, ne in se viles inducat amores: et non pereat, et aliis causa damnationis existat. *Aug. in lib. de sacr. Virg.*

Virgo condemnat quidquid oculis apparet, et nuda mente, amore sponsi satietur, totas vires suas proprii sponsi ancillas faciens, et in nulla parte oportet virginem adulteram esse. Non lingua, non auribus, non oculo, non alio omnino sensu, imo neque cogitatione, sed corpus quidem velut quoddam templum, aut thalamum sponsi habeat praeparatum. *Basil. lib. de Vel. Virg.*

Dominica Virgo ab omni inverecundo sermone vel risu debet se penitus abstinere, et cum silentio et disciplina omnem vitam suam ornare. *Aug. in lib. ad sacr. Virg.*

Claude os tuum, ne unguentum effluat, claude virginitatem, verecundia loquendi, et abstinentia gloriandi. *Ambr. de Virg.* lib. VI.

Pulchritudinem quid potest majorem aestimare decore virginis, quae amatur a rege, probatur a judice, dedicatur Domino, consecratur Deo? *Hier. in ep. ad Eugen.*

Dominica Virgo, nec sermonis instantia, nec divitiis, nec generis nobilitate se debet extollere; sed in humilitate, et paupertate spiritus Christo accepta, debet quandiu vixerit permanere. *Aug. in lib. ad sacr. Virg.*

Nunc nobis ad Virgines sermo est, quarum quo sublimior est gloria, major est cura. Flos est ille et ecclesiastici germinis decus, atque ornamentum gratiae spiritualis, illustrior portio gregis Christi. *Cypr. in lib. de Virg.*

Dominica Virgo, casta judicari non potest sermone garrula, aut loquacitate verbosa, vel curiositate superflua, imo prostituta, et ad luxuriam magis accendi. *Aug. in lib. ad sacr. Virg.*

Utinam Virgo sponsa Christi ad suam dignitatem attenderet: quid debeat sponso, recogitaret; quae Christo placeat, quaereret, et sola sponsi conservatione gauderet. Quid debeat sponso Virgo erudiatur a Regio Vate. *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam et obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et conspiciet rex decorem tuum* (*Psal.* XLIV). Non sufficit tibi exire de terra tua, idest de hoc mundo ut vera sis sponsa Christi, nisi obliviscaris populi tui, ut carne contempta sponsi jungaris amplexibus. Quibus autem indumentis debeat ornari ut sponso placeat, optime declarat D. Hieronymus. *Sponsa Christi arca est Testamenti, intrinsecus, et extrinsecus deaurata, custos legis Domini: sicut in illa nihil aliud fuit nisi tabulae Testamenti, ita et in te nullus sit extrinsecus cogitatus* (*Hier. ep. XXIX ad Eust.*). Tandem relictis saeculis negotiis, despectis cunctis terrae oblectamentis, a mortalium separata commercio conversetur cum Christo, et in illo, et cum illo laetetur. Sponsa Christi, adhaerere sponso, et

ab eo coronaberis, et *dabit capiti tuo augmenta gratiarum, et corona inclyta proteget te* (*Prov.* IV). Et quidem corona gratiarum, quia gratia in baptismo accepta augetur: corona pulchritudinis, quia sanctitas admirabilis confert animae pulchritudinem. Sed ad magna praemia perveniri non potest nisi per magnos labores: unde si delectat corona gloriae, non deterreat certamen laborum. Suspice coelum, et videbis in Zodiaco Virginem inter Libram, et Leonem collocatam, ut hinc temperantia, inde fortitudine se muniat atque defendat. Virgo continentiae amans ad libram omnia examinet, laborem non recuset, vitet socios, ne seducatur; sermones et vestes, nimium conquisitas ne lasciviat: oculi ne vagentur, peccandi occasiones ut fugiat; declinet oblatas mundi divitias, delicias, et dignitates, ne eas dispendio castitatis acquirat. Hac trutina utens, in hac libra terrena ponderans, reperiet quod *omnis ponderatio non est digna continentis animae* (*Eccl.*XXVI), seu, ut explicat Hugo Cardinalis, *ad comparationem animae continentis. Inde est, quod votum continentiae non habet dispensationem quia non habet compensationem* (*Ibid.*). Si ergo minetur formae ruinam, famae maculam, vitae jacturam; potius haec toleranda sunt mala, quam pati pudicitiae naufragium... Ut autem puritatem servare valeat adversus oblata fortunae bona, famae, et vitae damna, illi necessaria est leonis fortitudo: nam ad castitatem tuendae pugnandum est, luctandum est, tentationibus, et illecebris fortiter resistendum. Qui pugnare non vult, nec vult vincere, nec virgo permanere. Haec virtus nonnisi quotidianis praeliis conservatur. In hoc praelio leonis fortitudinem demonstret virgo, ut victrix de certamine exeat; et coronam ad quam invitat Deus, et quam pollicetur acquirat: *Qui vicerit, inquit, dabo coronam vitae* (*Apoc.* XI.).

4. Pusillanimitas

Ex Sacris Scripturis

Cunctus autem Populus videbat voces (*loquente Domine Moysi in monte*), et lampades, et sonitum buccinae, montemque fumantem: et perterriti ac pavore percussi, steterunt procul, dicentes Moysi: Loquere tu nobis, et audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur, etc. *Exod.* XX, 18, 19.

Dixerunt quidam de populo: Utinam mortui essemus in Ægypto: et in hac vasta solitudine utinam pereamus et non inducat nos Dominus in terram istam, ne cadamus gladio, et uxores ac

liberi nostri ducantur captivi. Nonne melius est reverti in Ægyptum? *Num.* XIV, 3.

Et prae formidine dixerunt. Nuncii terruerunt cor nostrum, dicentes: Maxima multitudo est et nobis statura procerior, urbes magnae et ad coelum usque munitae *Deut.* I, 28.

Dabit enim tibi Dominus ibi cor pavidum, et deficientes oculos, et animam consumptum moerore: et erit vita tua quasi pendens ante te. . . Mane dices: Quis det mihi vesperum? et vespere: Quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem, qua terreberis, et propter ea, quae tuis videbis oculis. *Deut.* XXVIII, 65 et seqq.

Quis est homo formidolosus et corde pavido? vadat et revertatur in domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est. *Deut.* XX, 8.

Cumque omnis exercitus decollatum Holofernem audisset, fugit mens et consilium ab eis, et solo tremore et metu agitati, fugae praesidium sumunt. *Judith.* XV, 1.

Expectabam eum, qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus et tempestate. *Psal.* LIV, 8.

Ne paveas repentino terrore, et irruentes tibi potentias impiorum. *Prov.* III, 25.

Noli esse pusillanimis in animo tuo. *Eccli.* VII, 9.

Dominum exercituum ipsum sanctificate: ipse pavor vester, et ipse terror vester, et erit vobis in sanctificationem. *Isa.* VIII, 13. 14.

Dicite pusillanimis: Confortamini, et nolite timere: Ecce Deus vester, ultionem adducet retributionis. Deus ipse veniet, et salvabit vos. *Isa.* XXXV, 4.

Noli timere a facie regis Babilonis (*diaboli*), quem vos pavidi formidatis: nolite metuere eum, dicit Dominus: quia vobiscum sum ego, ut salvos vos faciam, etc. *Isa.* XLII, 11.

Quid timidi estis, modicae fidei? *Matth.* VIII, 26.

Non turbetur cor vestrum, neque formidet. *Joan.* XIV, 27.

Consolamini pusillanimes. *I Thess.* V, 14.

Ex Ss. Patribus

Nullus abjectus animi coronatur, nullus tristis trophaeum erigit. *Basil. de jejun.*

De pusillanimitate tolerantiae, etiam pusillanimitas conscientiae generatur. *Bern. serm. III Quadrag.*

Nutrimentum pusillanimitatis est otium. *Victor. ep. XCIV ad Joan. Arel.*

Sunt nonnulli, qui cum coelestia appetunt, atque hujus mundi noxia facta derelinquunt, ab inchoatione sua quotidie incostantiae

pusillanimitate deficiunt; hi quippe ad conversionem venientes, non tales, quales coeperunt, perseverant, et quasi more arborum, inchoatione vasti sunt, sed tenues crescunt, quia paullisper per augmenta temporum patiuntur detrimenta virtutum; sensim quippe in eis desideria superna languescunt, et qui robusta, ac fortia proposuerant, debilia, atque infirma consumant, dumque aetatis augmento proficiunt, quasi flexibiles crescunt. *Greg. Mor.* lib. XIX, cap. XVI.

Pusillanimitas simul et desidia perditionem multam offerunt. *Chrys. hom. X in Thess.*

Segnissimi est torpere, cum se ad profectum cognoscat invitasse. *Cass. lib. I ep. I.*

Pusillanimis mens rei familiaris tenuitate constringitur, nec valet pro inopia otiari ad vacandum divinis laudibus. *Bern. ser. X in Cant.*

Quid timet homo in sinu Dei positus ? Tu de illius sinu noli cadere, quicquid ibi passus fueris, ad salutem valebit, non ad perniciem. *Aug. de Verb. Dom.*

Timor praesens securitatem generat semper. Time Deum, qui super omnes est, et Dominum non formidabis. *Aug. sup. Psal.* LXI.

Facile deviat a justitia, qui non Deum, sed homines pertimescit. Hic timor peccandi facultatem differre potest, voluntatem auferre non potest; solus est Dei timor, qui mentes corrigit, fugat crimina, innocentiam servat, et omnis boni tribuit facultatem. *Chrys. in ser. de Joan. Bapt.*

Pusillanimitas est homini necessaria, tum ut diaboli detegat insidias, nam timendo vigilat adversus hostes suos: tum quia natura ad malum prona est, pusillanimitas est necessaria, ne cedat; quia per timorem vita ipsa sustinetur, munitur, gubernatur, tum ut sedulo prosequatur bonum: quia qui Deum timet, quae bona sunt non negligit; tum ut fugiat praesumptionem, quae tollens cautelam, se se periculo exponit. Hinc periculum ex defectu cautelae procedit, defectus cautelae ex defectu pusillanimitatis, defectus vero pusillanimitatis ex praesumptione, praesumptio impedimentum pusillanimitatis. Certissimum vero est, humanam vitam esse militiam super terram, et continuo diabolus circuit, tanquam leo rugiens quaerit quem devoret; sed ob id sequitur quod homo debet cedere insidiis diaboli ? nunquam omnino. Per bonam et malam famam, a dextris et a sinistris Christi miles graditur, nec prosperis extollitur, nec per adversis frangitur, nec secundis tumet, nec confunditur sinistris, et sine pusillanimitate, laeta contemnit, et tristia. Vis habe-

re pusillanimitatem? Habe mortem prae oculis omni hora, et sic curre fortiter usque ad mortem ut possis accipere bravium. Si non proficis, deficies, si non progrederis, regredieris. Si vis ambulare juxta spiritum, tende ad altiora, etiam habendo pusillanimitatem, et ad omne quod honestum est facile curris. Velut quotidie initia jacens componas actiones tuas: sic et robustior eris et paratior. Cursor, non quot spatia confecerit, cogitat, sed quot conficienda restent. Tunc tempus erit quieti, quando jam spiritus ipse tibi dicet, ut requiescas a laboribus tuis.

S. S. Vincentius Ferrerius

Ex sacris Scripturis

Accendetur velut ignis zelus tuus *Psal.* LXXVIII, 5.

Ipse est directus divinitus in poenitentiam gentis, et tulit abominationes impietatis. Et gubernavit ad Dominum cor ipsius, et in diebus peccatorum corroboravit pietatem. *Eccli.* XLVI, 3, 4.

Et exaltavit vocem suam de terra in prophetia delere impietatem gentis. *Eccli.* XLVI, 23.

Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lassus est verbo. *Isa.* L, 4.

Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum. *Isa.* LVIII, 1.

Ecce dedi verba mea in ore tuo: Ecce constitui te hodie super gentes, et super regna, ut evellas et destruas, et disperdes et dissipes, et aedifices, et plantes. . . . Et loquar judicia mea cum eis super omnem malitiam eorum. *Jerem.* I, 9, 10, . . 16.

Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petram? *Jerem.* XXIII, 29.

Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel: et audies de ore meo verbum, et annuntiabis eis ex me *Ezech.* III, 17.

Et sermo meus, et praedicatio mea, non in persuasilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis. *I Cor.* II, 4.

Veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiae, annuncians vobis testimonium Christi. *I Cor.* II, 1.

Signa apostolatus mei facta sunt in prodigiis. *II Cor.* XII, 12.

Et vidi alterum Angelum volantem per medium coeli, habentem evangelium aeternum, ut evangelizaret sedentibus super terram, et super omnem gentem, et tribum, et linguam, et populum. Dicens magna voce: timete Dominum, et date illi honorem, quia venit hora judicii ejus. *Apoc.* XIV, 6, 7.

Praedicatores nubes sunt, quia tonant minis, corruscant miraculis, pluunt doctrinis. *Bonav. in Psal.* XVII.

Poteris inflammare caeteros, si fueris tu charitate inflammatus. *Laur. Just. de comp.*

Dedit illi Dominus potestatem super naturam, ut eam curaret; super demones, ut eos expelleret: super elementa, ut ipsa immutaret; super mortem et eam contemneret. *Aug. de doct. Christ.*

Tam multa miracula etiam istis temporibus fiunt, ut nec omnia cognoscere, nec ea, quae cognoscimus enumerare possimus. Quotidie aperiuntur oculi coecorum, inspirantur aures insensatorum, dissolvuntur ora mutorum, constringuntur manus paraliticorum, corripiuntur pedes claudorum. *Aug.* lib. II *de doct. Christ.*

Eloquia persuadentia mira fuerunt facta, non verba. *Aug. de Civ. Dei* lib. XXII, cap. V.

Majus miraculum est praedicationis verbo, atque orationis solutio peccatorem convertere, quam carne mortuum suscitare. *Greg.* lib. III *Dial.* cap. XVII.

In Deo duplex est vis, et potestas. Ordinaria una, quae agit juxta leges naturae: alia extraordinaria, quae non attendit ad leges naturae, sed supra vires naturae supernaturaliter operatur. Cuncta, quae lucent in mundo, sunt exempla divinae potestatis non absolute, sed ordinarie: opus vero miraculosum naturales creaturae vires superans, ab extraordinaria Dei potestate procedit. Supernaturalis haec potentia miraculorum per excellentiam donata est Christo, ut suam Divinitatem comprobaret, missionem confirmaret, sanctitatem declararet, et caritatem demonstraret. Potentiam adhuc illam miraculorum Deus largitus est sanctis: tum ut fidei veritatem signis demonstrent: tum ut missioni suae auctoritatem praestent: tum ut sanctitatem suam ostendant: tum ut homines carnales, qui experimento sensum dumtaxat ducuntur, evidenter convincant: tum ut diabolum debellent, sicque veris miraculis fallacia destruant daemonum prodigia: tum etiam ut ex hoc mundo remunerentur, humilitas abscondita elucescat, mortificatio carnis accipiat vim largiendi corporibus sanitatem. Ob has aliasque rationes Sancti efficiuntur divinae potentiae participes. Verum si in ullo unquam Sancto eluxit divina potentia maxime in Vincentio Ferrerio, ut constat ex profecto miraculis quae patravit. Sed si Deus ad orationem Vincentii tot miracula operabatur, hoc ostendit magnam ejus caritatem ejus erga proximos. Et cum adhuc vitam ut

ageret, pro peccatoribus orabat, nunc tanto amplius, quanto verius nostras agnoscit miserias, pro nobis intercedit. Quando erat in hoc mundo in miseria exorabat, multo magis modo dum est in gloria, cum ejus caritas non sit diminuta, sed auctata. Dum erat in hoc mundo de sua salute adhuc erat solicitus, et tamen etiam pro peccatoribus preces effundebat. Nunc autem de sua salute est securus, et ideo de nostra potest praeces effundere, et prorsus est sollicitus. Confida ergo, ora, postula et invenies etc.

6. Sacra Scriptura

Ex Sacris Scripturis

Dixit autem Dominus ad Moysen: Scribe tibi verba haec, quibus et tecum et Israel pepigi foedus. *Exod.* XXXIV, 27.

Postquam autem (*Rex*) sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar a sacerdotibus Leviticae tribus, et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitae suae, ut etc. *Deut.* XVII, 18, 19.

Scripsit itaque Moyses legem hanc, et tradidit eam sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam foederis Domini, et cunctis senioribus Israel. *Deut.* XXXI, 9.

Non recedat (*ait Dominus ad Josue*) volumen legis hujus ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias et facias omnia, quae scripta sunt in eo: tunc diriges viam tuam, et intelliges eam. *Josue* I, 8.

Et dixerunt Esdrae pontifici, et lectori, ut afferret legem Moysi, quae tradita est a Domino Deo Israel. *III Esdr.* IX, 39.

Ecce loquere aures plebis meae sermones prophetiae, quos immisero in os tuum, dicit Dominus. Et fac ut in charta scribantur, quoniam fideles et veri sunt. *IV Esdr.* XV, 1, 2.

Requirite diligenter in libro Domini, et legite: unum ex eis non defuit, alter alterum non quaesivit: quia quod ex ore meo procedit, ille mandavit, et spiritus ejus ipse congregavit ea. *Isa.* XXXIV, 16.

Hic liber mandatorum Dei, et lex, quae est in aeternum: omnes qui tenent eam, pervenient ad vitam: qui autem delinquerunt eam, in mortem. *Baruch.* IV, 1.

Scriptum est: non in solo pane vivit homo; sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. *Matth.* IV, 4.

Erratis (*ait Christus Sadduceis negantibus resurrectionem*) nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. *Matth.* XXII, 29.

Scrutamini Scripturas quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere: et illae sunt, quae testimonium perhibent de me (*ait Christus Judaeis*). *Joan.* V, 39.

Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc. *Joan.* XX,30.

Quaecumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: ut per patientiam, et consolationem Scripturarum, spem habeamus. *Rom.* XV, 4.

Tu vero permane in iis, quae didicisti, et credita sunt tibi: sciens, quo didiceris. Et quia ab infantia sacras literas nosti, quae te possunt instruere ad salutem per fidem, quae est in Christo Jesu. Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. *II Tim.* III 14 *et seq.*

Hoc primum intelligentes, quod omnis Prophetia Scripturae propria intepretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. *II Petr.* I 20, 21.

Ex Ss. Patribus

Tanta est Christianorum profunditas literarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere: in quibus latet altitudo sapientiae, ut animosissimis, aucutissimis, flagrantissimisque cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habeat, cum consumaverit homo, tunc incipit. *Aug. II epist. ad Volusia.*

Ita scripturas sacras lege, ut semper memineris Dei illa verba esse, qui legem suam non solum sciri, sed etiam impleri jubet; nihil enim prodest facienda didicisse, debes sanctas scripturas sine intermissione meditari, his tuam replere mentem; et malis cogitationibus locum auferens, divinis animum sensibus occupare. *Hier. ep. I ad Demetriad.*

Modus ipse dicendi, quo sacra Scriptura contexitur, quamvis omnibus accessibilis, paucissimis tamen penetrabilis. Nam quae aperta continet, ea quasi amicus familiaris aperte ad cor loquitur indoctorum, atque doctorum. Ea vero, quae in mysteriis occultat, nec eloquio ipso superbo erigit, quo non audeat accedere mens tardiuscula, et inerudita, quasi pauper ad divitem: sed invitat omnes humili sermone, quod non solum manifesta, sed e-

tiam secreta exerceat veritate hoc in promptis, quod in reconditis habens. Sed ne aperta fastidirentur, eadem rursus aperta desiderantur, desiderata quodammodo renovantur, renovata suaviter intimantur, his salubriter et prava corriguntur, et parva nutriuntur, et magna oblectantur ingenia. *Aug. ep. II ad Velusia.*

Sic loquitur Scriptura, ut altitudine superbos irrideat, profunditate attentos terreat, virtute magnos pascat, affabilitate parvulos nutriat. *Aug. sup. Gen. cap.* XIX.

Quidquid homo extra didicerit, si noxium est, hic damnatur: si utile est, hic invenitur: et cum ibi quisque invenerit omnia, quae utiliter alibi didicit, multo abundantius ibi inveniet ea, quae nunquam omnino alibi invenire potuit. *Aug. de Doctr. Christian. cap. ultim.*

In Scriptura armaturam nostrae mortis invenimus, ut inde praecepta meditaris, inde sumamus exempla praecedentium, per quae contra adversarios nostros inexpugnabiliter armemur. *Greg. hom. XV in Ezech.*

Ad hoc enim data est Scriptura ut proficiat imperitis, et instauret deformes, attrahens iniquos ad justitiam. *Amb. hom.* VI.

In Sacra Scriptura quidquid docetur, veritas; quidquid praecipitur, bonitas, quidquid promittitur, felicitas est. Nam Deus est veritas sine fallacia, bonitas sine malitia, felicitas sine miseria. *Hugo lib. demin.*

Utere lectione divina vice speculi, foeda corrigendo,pulchra conservando, et pulchriora faciendo, scriptura enim speculum est foeda ostendens, et corrigi docens. *Hier. in ep. ad Demet.*

Est Scriptura liber vitae, cujus cognitio vita, cujus scriptura indelebilis, cujus doctrina facilis, cujus scientia dulcis, cujus profunditas inevitabilis, cujus verba innumerabilia, et unum tantum verbum omnia. *Hug. de Arca et Noe.*

Major est hujus scripturae auctoritas, quam omnis humani ingenii perspicacitas. *Aug. XV sup. Gen.*

Scriptura Sacra in utroque testamento et monendo recta est, et promittendo alta, et minando terribilis. *Greg. hom. LXV sup. Ezech.*

Vera licet et certa sacra Scriptura adeo sit, ut de ejus veritate ac certitudine nemo, nec haereticus quidem dubitare audeat: mare tamen est, habens in se sensus profundos, altitudinem absque fine, profunditatem propheticorum aenigmatum. Et cum ita sit omnibus absolute necessaria est particulari modo vero sacerdotibus.

In ipsa ignorans invenit quid discat, contumax quid timeat; adeoque salutiferas profert doctrinas. In illa enim quasi amaeno in viridario flores legere licet, qui numquam pallescunt, herbasque salubres, idest sententias et doctrinas, quibus te Creatori gratum reddas. Sit sacra Scriptura mentis tuae speculum, in quo interna facies tua conspicies, est lucerna pedibus tuis, et lumen semitis tuis. Quare si vis divinarum virtutum amorem acquirere, assiduo vaca studio Scripturarum. Si vis haurire aquas quae in oratione colliguntur, Scriptura est tibi puteus Jacob. Ad aeternam haereditatem capessendam qua in coelum veheris, Scriptura est tibi curreus Eliae. Mons Sion, in quo mandata regis traduntur: in Scriptura invenies. Ideo fac ut Scriptura sit tibi panis, quem populo in deserto dedit olim Deus, omne in se delectamentum habens, et in ore tuo spiritualem saporem producens. Quare fac ut possis semper vacare assiduo studio, scripturis. Hoc facile facies, si ea, quae in sacra scriptura traduntur, non quasi ex hominibus accipies, sed a Deo, et cum arbitraris omnia quae in Sacris Scripturis sunt, a Spirito Sancto determinata fuisse. Ac per consequens: accipe librum, et devora illum, et faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tamquam mel. Lege ita ut de te dici possit: Conservat omnia verba, conferens in corde suo. Dic cum s. Augustino: Sunt castae deliciae meae, Scripturae tuae.

7. Jurisdictio sacerdotalis

Ex Sacris Scripturis

Amen dico vobis: Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo: et quecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo. *Matth.* XVIII, 18.

Coenantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite et comedite: hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. *Matth.* XXVI, 26, et seq.

Euntes ergo, docte omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. *Matth.* XXVIII, 19.

Et accepto pane, gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. *Luc.* XXII, 19.

Et dixit eis: Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae. *Marc.* XVI, 15.

Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittentur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. *Joan.* XX, 23.

Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens, fregit et dixit: Accipite et manducate: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur hoc facite in meam commemorationem. *I Cor.* XI, 23.

Ex Ss. Patribus

Merito Apostolis sanctis attribuitur, quod in sapientiae librio legitur. Hi sunt viri misericordiae.Sunt enim plane viri misericordiae quia misericordiam consecuti, sive quia misericordia pleni, sive quia misericorditer a Deo donati sunt nobis. *Bern. ser. Pet. et Paul.*

Dedit Dominas potestatem Apostolis super naturam ut eam curarent; super daemones, ut eos everterent; super elementa, ut ipsa immutarent: super mortem, ut eam contemnerent; super Angelos, ut corpus Domini consecrarent. Haec etiam potestas data est eorum successoribus, secundum illud Apocal. VI. Hi habent potestatem claudendi coelum et convertendi aquam in sanguinem. *Aug. in ser. de Apost.*

Misit Christus Apostolos quasi sint radios suos, quasi rosa suavitates odoris sui, quasi ignis scintillas suas dispergit, ut sicut sol in radiis apparet, sicut rosa in odoribus suis sentitur, sicut ignis in scintillis suis aspicitur, sic in illorum virtutibus Christi potentia agnoscitur. Quis enim videns discipulos bene instructos, non scientiam magistri collaudet? Faciebat enim mirabilia Christus, faciebant et discipuli ejus, et inter mirabilium operationes major fama virtutum crescebat. *Chrys. sup. Matth.* XVI.

Venienti luce diei, aegritudines alleviantur, homines a somno excitantur, aves garriunt, bestiae ad latibula sua fugiunt: sic luce Apostolorum venienti, mundus fuit aedificatus in credendis, faecundatus in operibus bonis, alleviatus a peccatis, excitatus a negligentia, animatus ad contemplationem coelestium, ereptus a potestate daemonum. *Basil. tract. illud Matth. Vos estis lux mundi.*

Sacerdotes si consolentur afflictos, si pascunt egenos, si vestiant nudos, si redimant captivos, si suscipiant peregrinos, et desperatis spem veniae consequendae promittunt, et quidquid ad officium suum pertinet, constanter exerceant:quis sic erit alienus a fide, ut dubitet tales contemplativae vitae esse participes, quorum exemplo simul ac verbo plures fiunt regnorum coelestium cohaeredes? Isti sunt ministri verbi, adiutores Dei, oraculum Spiritus Sancti; per

tales Deus placatur, sicut et per Apostolos pro populis. *Prosp. lib. I de vita contempl.*

Sacerdotes sub Christi auctoritate, et subalternatim ad ipsum, jurisdictionem habent, et hoc ex Scripturis supra refectis. Hinc si Apostoli ecclesias fundarunt, et fuerunt veluti peculiare apostolatus territorium; ecclesiae ab ipsis fundatae sunt velut sponsae proprio sanguine acquisitae: Sacerdotes propter jurisdictionem sunt nubes, quae irrigant ecclesiam, quae est ager floribus coronatus. Si Ecclesia est ovile, ovium nutritii, propugnatores sunt Sacerdotes. Si ecclesia est exercitus, Sacerdotes sunt duces, quomodo et Apostoli fuerunt. Si Ecclesia est domus Dei, Sacerdotes sunt fundamenta et columnae, quae eam sustentant. Si Ecclesia est Coelum, Sacerdotes sunt sidera a quibus illuminatur. Si Ecclesia est corpus, capita sunt Sacerdotes variarum Ecclesiarum, quae ecclesiam unam universalem conficiunt, sub uno primario et principali capite Christo Jesu; quae omnia fuerunt in Apostolis, immediati Christi successores, et ab Apostolis mediate, Sacerdotes. Sed agnosce summum Sacerdotem Christum, atque pariter ut dimissorum delictorum Sacerdotes recognosce. Habet autem Christus virtutem dimittendi peccata, non tantum ut Deus per suam omnipotentiam, sed etiam ut homo per potestatis excellentiam. At Jesus Summus Sacerdos, et verus filius Patris, sacerdotes instituit successores Apostolorum mediate deditque eis potestatem dimittendi peccata. Hanc potestatem habuerunt Apostoli, non ex semetipsis, sed a Deo: non principaliter, sed ministraliter. Ad haec adde. Christus Apostolos non solum eos ad potestatem dimittendi peccata sed etiam ad conficiendum Eucharistiae sacramentum eos fecit ministros. Et sic in mysterio altaris hoc operatur per manus Apostolorum et hodie per manus Sacerdotum. Quam felices Apostoli Christi amicitiae et honore donati! Quam felices Sacerdotes Apostolorum successores! Sed quam grave, si non ad salutem sed ad perniciem animarum, unus sustinens Ministri sacramenti poenitentiae et Eucharistiae! Gaude, admirare, confide, pro tanto honore, et onere. Fac ut sis dignus Dei minister.

8. Christus ad Pilatum

Ex Sacris Scripturis

Mane autem facto, consilium inierunt omnes principes sacerdotum, et seniores populi adversus Jesum, ut eum morti traderent. *Matth.* XXVII, 1.

Et vinctum adduxerunt eum, et tradiderunt Pontio Pilato praesidi. *Matth.* XXVII, 2.

Jesus autem stetit ante praesidem, et interrogavit eum praeses, dicens : Tu es rex Ideorum ? dicit illi Jesus : Tù dicis. *Matth.* XXVII, 11.

Et cum accusaretur a principibus sacerdotum, et senioribus, nihil respondit. *Matth.* XXVII, 12.

Tunc dicit illi Pilatus : non audis, quanta adversum te dicunt testimonia ? Et non respondit ei ad ullum verbum; ita ut miraretur praeses vehementer. *Matth.* XXVII, 14.

Et confestim mane consilium facientes summi Sacerdotes cum senioribus, et Scribis, et universo concilio, vincientes Jesum, duxerunt et tradiderunt Pilato. *Marc.* XV, 1.

Exivit ergo Pilatus ad eos foras, et dixit: Quam accusationem affertis adversus hominem hunc ? *Joan.* XVIII, 29.

Responderunt et dixerunt ei : Si non esset hic malefactor, non tibi tradissemus eum. *Jann.* XVIII, 30.

Ex Ss. Patribus

Miratur, quia audiebat eum fecundissimum. Vehementer : quod enim aliquis sapiens nihil respondeat, mirum non est; sed quod in tali causa,ubi adiudicatur morti,non respondeat;hoc vehementer est admirandum. Item quia non videbat eum perterritum. In tali enim casu solent homines etiam sapientes perterri.*Leo. ser. VII de Pass.*

Interrogentur, atque respondeant ab immundis spiritibus liberati, leprosi mundati, caeci videntes, mortui resurgentes; utrum sit malefactor Jesus. *Aug. tract. CXIV in Joan.*

Dignum enim ei videbatur magno miraculo, ut exhibitus Christus ad criminale judicium, imperturbabilis staret ante mortem, quae apud omnes homines terribilis aestimatur. *Orig. tract. XXXV in Joan.*

Pilatus causam hanc quasi apertum Judaeorum mendacium parvipendit. *Beda in Luc. cap. XCIII.*

Christus maledictis, et opprobriis afficitur: tu ab omnibus laudem cooptas ; etsi non apud homines laudaris, miseram te vitam vivere arbitraris. *Leo Ser. VIII de Pass.*

Mensiebantur, et primo judicio contra ipsum agebantur: propter hoc nihil respondit. *Gris. hom. in Matth.*

Imprudenter, o Pilate, timuisti ; sed formidabile fuerit nomen regium, si dominandi consilium tyrannitas tibi prodidit apparatus, si provisio armorum, si congregatio divitiarum, si praesidia detecta sunt militum. Quid eum graviori sinis, o Pilate, de affectata

potentia, cuius specialis fuit de humilitate doctrina? *Leo. Ser. VIII de Pass.*

Quando docebat, nemo apprehendit eum, quia sermones eius fortiores erant his, qui eum capere ostendebant, quando vero voluti crucifigi tacuit. *Thom. in cap. VIII Joan.*

Ideo Iesus nihil respondere voluit, ne crimen diluens dimitteretur a praeside, et crucis utilitas differetur. *Hieronym. in cap. XXVI Matth.*

Ambiat defendi qui metuit superari. Christus autem cum condemnatur superat; cum judicatur vincit, sicut ait Propheta, *Psal.* L, 6: *Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.* Vincit enim cum judicatur Christus; quia sic innocens approbatur, unde ait Pilatus, *Matth.* XXVII, 24: *Innocens ego sum a sanguine justi hujus. Ambr. ser. XL.*

Inchoata in horto Gethsemani, in domibus Annae et Caiphae, Judaeorum malitia, et iniquitas, in praetorio Pilati, suam accepit consummationem. Taediosum foret singula, quae pertulit Salvator sigillatim referre: taceo Phariseorum, Sacerdotum et Pontificum malitiam, qui offerebant Jesum durissimis nexibus vinctum, clamoribus praedamnatum, ut inter tot praejudicia, quum omnes vellent eum perire, non audebat Pilatus absolvere. Sileo iniquitatem Pilati, qui timens ne Judaei eum ut Caesaris inimicum deferrent, contra suam scientiam et conscientiam adversus Jesum tulit sententiam: verum lavit quidem manus sed culpam non lavat, quia judex non cedere debebat timori, nec ullis adversantium impulsionibus, ut Sanguinem condemnaret innocentem, quem praedixerat justum. Hic multisque aliis praetermissis, consummationem malitiae et iniquitatis Judeorum agnosce in Pilati judicio. Sciens enim Pilatus ex doctrina, fama, vita, miraculis, Christum esse innocentissimum, aliunde cognoscens ex Pharisaeorum, Sacerdotum, Pontificum gestu, vultu, clamore, sollicitatione, eorum in Christum invidiam, animadversionem, furorem, serio volebat Christum liberare: quare propositis principum, et pontificum accusationibus, aperte testatus est; *Ego nullam invenio in eo causam* (*Luc.* XXIII). Sed qualis iniquitas Pilati? Cum bene agnosceret Christi innocentiam, tamen aperte dixit: *Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate* (*Joan.* XVIII). Quis Christi despectus? Quasi is ille sit, cujus nemo dignetur esse Judex? Compatere despecto Jesu! Sed Pilatus multa tentavit, ut Jesum furoris plebis eriperet: sed in omnibus simul seipsum quaesivit; et superavit causa propria causam Christi. Frustra jam lavat manus, qui cor inquinavit. Ac per con-

sequens, *Jesum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur* (*Matth.* XXVII). Bene omnia fecit Jesus et malefactor dicitur, et condamnatur. O ingratitudo! Inspice tui Jesu patientiam, et humilitatem! Dicitur malefactor non unum sceleris genus, sed omne complectitur. Et hoc Dei Filius! O injuria inaudita! Adora ejus innocentiam. . . Gaude, si bona quae feceris improbentur. Sic prior Christum imitaberis. Dices ergo quoties diabolus suggerit factum Deo injuriosum: Mihi non licet interficere Jesum: amabo eum, et reverebor. Et sic adora et venerare Regem tuum.

9. Correctio fraterna

Ex Sacris Scripturis

Nolite, quaeso, fratres mei, nolite malum hoc facere. *Gen.* XIX, 7.

Quid est hoc, quod facis in plebe? Cur solus sedes? *Exod.* XVIII, 14.

Non bonam, inquit, rem fecis: Stulto labore consumeris. *Exod.* XVIII, 17.

Non oderis fratrem tuum in corde tuo; sed publice argue eum, ne habeas super illlo peccatum. *Lev.* XIX, 17.

Plus proficit correptio apud prudentem, quam centum plagae apud stultum. *Prov.* XVII, 10.

Melius est a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi. *Eccles.* VII, 6.

Corripe amicum, ne forte non intellexerit, et dicat: non feci: aut si fecerit, ne iterum addat facere. Corripe proximum, ne forte non dixerit: et si dixerit, ne forte iteret. Corripe amicum: saepe enim fit commissio. *Eccli.* XIX, 13, 14, 15.

Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. *Matth.* XVIII, 15.

Attendite vobis: Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum: et si poenitentiam egerit, dimitte illi. *Luc.* XVII, 3.

Respondens autem alter (*latro*), increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es. Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali gessit. *Luc.* XXIII, 40.

Fratres, et si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris. *Gal.* VI, 1.

Praedica verbum, insta opportune, importune: argua, obsecra, increpa in omni patientia, et doctrina. *II ad Tim.* IV, 2.

Seniorem ne increpaveris : sed obsecra ut patrem ; juvenes ut fratres; Anus, ut matres, juvenculas, ut sorores, in omni castitate. *I ad Tim.* V, 1, 2.

Ex Ss. Patribus

Non videtis medicos, quanto urunt, vel secant aliquos membros cum quanta bonitate opus curationis exèrcent: multo magis correctionem oportet hoc agere, ut mansuetus , ac lenus sit. *Gris. hom.* 30.

Molestus est medicus furenti phrenetico, et pater indisciplinato filio: ille ligando, istae caedendo , sed ambo diligendo. Si autem istos negligant, et perire permittant: ista potius falsa mansuetudo, crudelitas est. *Aug. ad Bom. de cor. Donatis.*

Qui blando verbo castigatus non corrigitur, carius necesse est arguatur, cum dolore sunt abscindenda , quae leniter sanari non possunt. *Isib. dd. lie sum. bono* c. 46.

Quia correctio fraterna non habet locum , ubi non speratur emendatio, et frustra venit sonus ad aures, nisi Deus in corde loquatur, quia solus Deus in corde loquatur, quia solus Deus convertit corda filiorum hominum; correctio fraterna debet fieri cum magno moderamine, cum gemitu, et benevolentia , suo loco, suo tempore, semper oratione praecedente. *Bern. tom. 2 de perf. vitae spir.*

Hanc rationem tene , ut partim illum corrigas, idque leniter, et humane , non ut hostis , neque ut durus , et nisi medicus, partim teipsum accuses, infirmitatisque tuae tibi conscius sis. *Greg. Naz. de moder.*

Plus ergo corrigentem agat benevolentia, quam severitas , plus cohortatio, quam commotio, plus caritas, quam potestas. *Leo epist. LXXXIV ad Anast.*

Plus proficit amica correctio , quam accusatio turbolenta : illa pudorem incutit: haec indignationem movet. *Ambr. in Luc.*

Quidquid lacerato animo dixeris, punientis est impetus, non caritatis corrigentis: dilige, et dic quidquid voles. *Aug. sup. ep. ad Galat.*

Non vos iudicetis malevolos esse,quando alterius crimen judicatis: magis quippe nocentes estis, si fratres vestros, quos iudicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus habet in corpore, quod velit occultari : dum timet secari: nonne a te crudeliter sileretur, et misericorditer iudicaretur: quan-

to ergo potius debes manifestare, nec deterius putrescat in corde. *Aug. de comm. vita reg. cleric.*

Quae peccantur coram omnibus, coram omnibus corripienda sunt, ut omnes timeant. Qui secreto peccavit in te, secreto corripe: nam si solus nosti, et cum vis coram aliis arguere, non es corrector, sed proditor. *Aug. de verb. Dom. in cap. XVIII Matth.*

Non putas te amare servum, quando cum eo saedis: aut tunc amare filium, quando eis non das disciplinam: aut tunc amare filium tuum, quando eum non corripis: non est ista charitas, sed languor. *Aug. de charit. serm. VII.*

Peccatum unius, quod cognitum non arguitur, multos contaminat: imo omnes qui norunt, et non devitant, aut cum possunt arguere dissimulant: non enim sibi videtur peccare, quando a nullo corripitur, vel vitatur. *Ambr. sup. Epist. I ad Cor.*

Quae est ista justitiae inimica bonitas? Palpare criminosos, et vulnera eorum usque ad diem judicii incurata servare. Dum Sacerdotes uni parcunt, universae ecclesiae moliuntur interitum. Quae est ista bonitas, ista misericordia, uni parcere, et omnes occidere? Polluitur enim ex uno peccatore populus: sicut ex una ove morbosa universus grex inficitur. Hoc non otiose trascurrendum est, quod uno peccante, ira Dei super omnem populum venit, et hoc quomodo accidit? quanto sacerdotes qui populo praesunt, erga delinquentes benigni volunt videri, et verentes peccantium linguas, ne forte male de eis loquantur, sacerdotalis severitatis immemores, tacent. Non vult tamen Deus, si forte videris peccatum fratris tui, continuo evolare ad publicum, et proclamare passim, et divulgare aliena peccata: quod esset utique non corrigentis, sed potius inanimantis: solus, inquit, inter te et ipsum, corripe eum: si vero admonitus secreto de peccato corrigi negligit, pubblice arguendus est: et si blando verbo castigatus non corrigitur, acrius necesse est arguatur, cum dolore sint abscindenda, quae leniter sanari non possunt. Sed qui alium debet corrigere, debet considerare si est ei similis vel aequalis vel major, id est, si est in simili culpa, vel aequali vel majori, et tunc non debet ipsum corrigere, sed ambo super se debent gemere, et ad bonum conari pariter et se invicem commonere. Alius potest sibi dici illud: Qui alium, te ipsum non doces, qui praedicas non furandum furaris. Durum est ut qui nescit tenere moderamina vitae suae, judex fiat vitae alienae. Quantum potes, teipsum coarguo, inquire in te accusatoris plurimum partibus fungere, deinde judicis, novissime deprecatoris. Res enim optima est, non sceleratos extirpare, sed propria scelera.

10. Gula

Ex Sacris Scripturis

Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile: et tulit de fructu illius, et comedit: deditque viro suo, qui comedit. *Gen.* III, 6.

Et sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. *Exod.* XXXII, 6.

Flagravit (*populus*) desiderio (*carnium*) sedens et flens...et ait. Quis dabit nobis ad vescendum carnes? etc. *Num.* IX, 4.

Et comederunt et saturati sunt, et impinguati sunt, et abundaverunt deliciis in bonitate tua magna. Provocaverunt autem te ad iracundiam, etc. *II Esdr.* IX, 25, 26.

Anima saturata calcabit favum (*spiritualium dulcedinum*): et anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet. *Prov.* XXVII, 7.

Utere quasi homo frugi his, quae tibi apponuntur: ne cum manducas multum, odio habearis. *Eccli.* XXXI, 19.

Noli avidus esse in omni epulatione, et non te effundas super omnem escam: In multis enim escis erit infirmitas, et aviditas appropinguabit usque ad choleram. Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, adiiciet vitam. *Eccli.* XXXVII, 32 et seqq.

Juxta pascua sua adimpleti sunt et saturati sunt: et levaverunt cor suum, et obliti sunt mei. *Osee* XIII, 6.

Ne solliciti sitis animae vestrae quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. *Matth.* VI, 25.

Ve vobis, qui saturati estis: quia esurietis. *Luc.* VI, 25.

Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis hujus vitae: et superveniat in vos repentina dies illa. *Luc.* XXI, 34.

Qui enim secundum carnem sunt: quae carnis sunt sapiunt. *Rom.* VIII, 5.

Esca ventri, et venter escis; Deus autem et hunc, et has destruet: corpus autem non fornicationi, sed Domino; et Dominus corpori. *I Cor.* VI, 13.

Multi enim ambulant, quos saepe dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos Crucis Christi: Quorum finis interitus: quorum Deus venter est: et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. *Philip.* III, 18, 19.

Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis: quae non profuerunt ambulantibus in eis. *Heb.* XIII, 9.

De ventris ingluviae inepta laetitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagantur. *Greg. mor.* lib. XXXI, c. XXXI.

Ventrem plus aequo replere, et cibis aggravare maledictione dignum est,dicente Domino: *vae, qui nunc saturati estis*, et corpus ad operandum inutile reddit, et ineptum, et ad somnos proclive, morbisque, ac laesionibus magis expositum; neque enim voluptas debet edendi finis constitui, sed vitae necessitas, repudiata voluptatis intemperantia; voluptatibus enim servire nihil aliud est, quam ventrem constituere Deum. *Basil. in anet.* I, 10.

Ventrem accepisti, ut nutrias, non ut distendas; ut illi domineris, non ut dominum habeas: ut tibi inserviat ad caeteras partes alendas non ut illi inservias; non ut fines transilias. *Gris. hom.* 34.

Haec me docuisti Domine, ut, quemadmodum medicamenta, ita sumturus alimenta accedam. *Aug. conf.* lib. 10.

Pane semper epulas comitatur voluptas. Nondum corpus in refectionis delectatione resolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur. *Greg. lib. I moral.*

Famis amica virginitatis est inimica lasciviae. Saturitas vero castitatem prodigit, nutrit illecebram. *Ambr. serm.* XL.

Sit vilis et vespertinus cibus, olera et legumina, interdumque pisciculos pro summis ducas deliciis.Qui Christum desiderat, et illo pane vescitur, non quaerit magnopere; quam de pretiosis cibis stercus conficiat. *Hieron. in ep. ad Paulin.*

Mensarum structores terram omnem, et maria omnia perscrutantur, ac ventri velut gravi ac molesto domino vectigalia perferunt. *Joan. Dam.* lib. III, part. 77.

Mortuus est quisque vivens, cum in deliciis degit: quoniam modo? Ventri solummodo vivit, sensibus caeteris mortuus: neque enim aspicit quae aspicienda sunt, neque audit quae necessario audire convenit, neque ea loquitur quae decet loqui, nihilque in se vivere praeter solam ventris ingluviem indicat. *Chris. hom. XIII in I ad Tim.*

Cum te ultra quam sat est pascis, hostem pascis. *Joan. Dam. lib. I Psall.* 7.

Non ad conflictum spiritualis agonis assurgitur, si non prius intra seipsum positus, gulae videlicet appetitus evomatur, quia si non ea, quae nobis sunt viciniora, prosternimus inaniter ad ea quae longius sunt impugnanda transimus. In cassum namque contra exteriores inimicos in campo bellum geritur, si intra urbis moenia civis insidias habentur. *Greg. XXX, Moral.*

Ipsa deinde qualitas rerum talis de foris apparere curatur, ut non minus aspectus, quam gustus delectetur: cum iam stomachus crebris ructibus repletum se indicet, necdum tamen curiositas satiatur, sed dum oculi coloribus, palatum saporibus illiciuntur, infelix stomachus, sui nec colores lucent, nec sapores demulcent, dum omnia suscipere cogitur, oppressum magis obruitur, quam reficitur. *Bern. in apologet.*

Sic voluptas plerumque sub necessitate se polliat, ut vix eam perfectus quisque discernat; nam dum solvi debitum necessitas petit, voluptas expellere desiderium suppetit, et tanto gula securius in praeceps ruit, quanto sub honesto nomine necessitatis explendae se contigit *Greg. lib. XXX Moral.*

Excessum illum ciborum, quem praeparant in conviviis gulones vocitatur a Patribus voracitatis enormitas: vel ob grande quo aestuant edendi desiderium: vel ob multitudinem ciborum qui apponuntur: vel ab opiperas, et delicatas escas. In pane quaerunt gulones delicias, et quod est alimentum necessarium, est probrum voluptatis. Delicias quaerunt in potu iucundiore: nam aestate vinum eis non placet nisi suavi glacie aut nive frigiscat, et de aestate faciunt hyemem, ut gulae satisfaciant. Delicias quaerunt in escis, quas nolunt nisi saginatas. Hinc in condiendis illis cibis ut satisfaciant gulae, totum animi studium adhibent, excogitant infinita condimentorum genera, modo mollia, modo dura, modo frigida, modo calida, modo cocta, moda cruda, modo assa, modo elissa: modo pipere, modo allio, modo cumino, modo sale condita, secundum consuetudinem praegnantium mulierum. Hinc Hippocrates in Aphorismis docet grassa et obesa corpora, quae nimium, nisi cito ablatione sanguinis minuantur, in paralysin et pessima morborum genera erumpere: et idcirco necessariam esse demptionem: ut rursum habeant, in quae possint crescere. Sed hoc praecipue evenit in gulones qui nunquam dicunt satis: *quorum Deus venter est* (*Philpp.*III).Ideo nec possunt diu vivere, nec sanos esse; imo nimio sanguine et adipibus quasi luto involutos, nihil spirituale, nil coeleste, sed semper de carnibus eructare, et ventris ingluviam sagirare. Memento quod gula paradisum clausit, primogenituram vendidit, condemnavit et decollavit Baptistam; manum vidit contra se scribentem Baltassar, et eadem nocte interfectus fuit a Caldaeis. Quid enim insatiabilius ventre? hodie sucipit, cras exiget. Una sylva pluribus elephantibus sufficit: homini vero vix sufficiunt mari et terra.

11. Festuca Fratris

Ex Sacris Scripturis

Ad increpandum tantum eloquia concinnatis, et in ventum verba profertis. Super pupillum irruitis, et subvertere nitimini amicum vestrum. *Job* VI, 26, 27.

Est correptio mendax in ira contumeliosi. *Eccli.* XIX, 28.

Numquid non pater unus omnium nostrum? nunquid non Deus unus creavit nos? Quare ergo despicit unusque nostrum fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum? *Malach.* II, 10.

Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides? Aut quomodo dicis fratri tuo: Sine, ejiciam festucam de oculo tuo; et ecce trabs in oculo tuo? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui. *Matth.* VII, 3. et seqq.

Duces caeci, excolentes culicem, camelum autem glutientes. *Matth.* XXIII, 24.

Nolite judicare secundum faciem; sed justum judicium judicate. *Joan.* VII, 24.

Cum ergo perseverarent interrogantes eum, erexit se, et dixit eis: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. *Joan.* VIII, 7.

Dicebant ergo ex Pharisaeis quidam. Non est hic homo (*Christus*) a Deo, qui Sabbatum non custodit. Alii autem dicebant: Quomodo potest homo peccator haec signa facere? Et schisma erat inter eos. *Joan.* IX, 16.

Venit Filius hominis, manducans, et bibens, et dicitis: Ecce homo devorator, et bibens vinum, amicus publicanorum et peccatorum. *Luc.* VII, 34.

Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis, qui judicas. In quo enim judicas alterum, te ipsum condemnas: eadem enim agis, quae judicas. *Rom.* II, 1.

Nolite detrahere alterutrum, fratres. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, et judicat legem. Si autem judicas legem, non est factor legis, sed judex. *Jacob.* IV, 11.

Ex Ss. Patribus

Sunt quaedam media, quae ignoramus quo animo fiant, et quia bono et malo, fieri possunt, de quibus temerarium est judicare, ut condemnemus. Horum autem veniet tempus, ut judicent homi-

nes, cum Dominus illuminabit abscondita tenebrorum. *Aug. lib. II de ser. Dom. in mont.* XXVIII.

Difficile est in hac vita ut nos ipsos noverimus; quanto minus debemus de quaquam praeproperam ferre sententiam? Quia si hodie malum novimus, cras qualis futurus sit ignoramus. *Aug. Prefat. in Psal.* CXXXIX.

Auferte stipulam de oculo vestro, aut trabem de oculo vestro, ut stipulam de alieno extrahatis. *Tert.* lib. I *ad Nat.* XIX.

Cave alienae conversationis esse curiosius explorator, aut temerarius judex. Etiamsi perperam quid actum deprehendas, non sic judices proximum, magis excusa: excusa intentionem, si opus non potes: puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quod si omnem simulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, et dic: Vehemens nimis fuit tentatio: quid me fecisset, si in mea fuisset potestate? Dic cum Christo, qui in atroci Judaeorum scelere proclamavit: Nesciunt quid faciunt. *Bern. serm. LVI in Cant.*

Nunquam profecto detrahes, si teipsum bene perspexeris, tantum cura corrigere vitam tuam, quantum respicis alienam. *Amb. lib. IV Ep.*

Circa vitam tuam esto austerus, circa aliorum benignus. Audiant te homines parva mundantem, et grandia facientem. *Gris. in Matth.* 18.

Sicut modicum fellis, aut absintii totum vasculum melle plenum corrumpit; ita modica amaritudo mentis qua judicamus proximum pro statu mentis nostrae, totum proximi bonum corrumpit. *Dorot. doc.* XVI.

Temeritas, qua punis alium, ipsa te puniet: nocet semper iniquitas injuriam facienti. *Aug. de ser. Dom. in mon.*

Facilius reprehendimus vitia aliena, quam nostra, nam saepe quae perversa in aliis reprehendimus, agere ipsi non erubescimus. *Isid. Hisp. Sent.* XXII.

Nunquam alieni peccati obiurgandi suscipiendum est negotium: nisi cum internis interrogationibus examinantes conscientiam nostram liquido nobis coram Deo responderimus dilectione nos facere. *Aug. sup. ep. ad Gal.*

Passione interdum movemur, et zelum putamus. Parva in aliis reprehendimus, et nostra majora pertransimus. *De imit. Chr.* lib. II, cap. V.

Dum quis ex seipso malus est, talis faciliter de aliis malum opinatur, juxta illud: *Stultus in via ambulans, cum ipse sit insi-*

piens, omnes stultos aestimat (*Eccles.* X.) Sic Nero salacissimus cunctos homines luxuriose existimabat. Aurelius pictor omnes imagines ad Lucretiae amasiae suae similitudinem efformabat. Ita homo cuncta ex humore aut genio judicat. Uti per vitrum rubrum prospiciens, omnia judicat rubra, ita pro animi affectione alios judicamus. Conscientia sincera et candida suspicax non est: neque enim in aliis suspicatur malum, quod nunquam in se experta est; neque alios de criminibus judicat, a quibus est immunis. Sed et tu Sacerdos vel Clericus es, idest prae caeteris pius et bonus, etiam peccata excusa, et omnia in meliorem partem retorque festuca fratrum tuorum. Memento Apostolos audivisse a Domino illum esse proditorem, cui intinctum praeberet panem: mox Christus intingit panem ante oculos Apostolorum, et dat Judae, et nihilominus non suspicantur Judam esse proditorem: cum enim ipsi longe abessent proditione, de nullo proditionem suspicati sunt, etsi oculis viderint evidentissima proditionis indicia. In posterum, noli murmurare, aut aliena facta nequius interpretare. Tuos ipse defectus inspice: si bene perpendas, graviores invenions. Caritas exigit, ut quidquid potes, in meliorem partem interpreteris. Examina te ipsum, an et tu judicium Dei tibi arrogas. Melius feceris, si teipsum judicaveris, ut non judiceris.

12. Peccati damna

Ex sacris Scripturis

Dominus patiens, et multae misericordiae, auferens iniquitatem et scelera, nullumque innoxium derelinquens: qui visitas peccata patrum in filios in tertiam et quartam generationem. *Num.* XIV, 18.

Quoniam tu (*Deus*) percussisti omnes adversantes . . . . dentes peccatorum contrivisti. *Psal.* III, 8.

In operibus manuum suarum comprehensus est peccator. Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes, quae obliviscuntur Deum. *Psal.* IX, 16, 17.

Vultus autem Domini super facientes mala: ut perdat de terra memoriam eorum. *Psal.* XXXIII, 16.

Quia peccatores peribunt. Inimici vero Domini mox, ut honorificati fuerint et exaltati : deficientes, quemadmodum fumus deficient. *Psal.* XXXVI, 20.

Justitia elevat gentem : miseros autem facit populos peccatum. *Prov.* XIV, 34.

Peccantem virum iniquum involvet loqueus: et justus laudabit, atque gaudebit. *Prov.* XXIX, 6.

Leo venationi insidiatur semper: sic peccata operantibus iniquitates. *Eccli.* XXVII, 11.

Vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis: dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. Super quo percutiam vos ultra, addentes praevaricationem? omne caput lanquidum, et omne cor maerens. . . Terra vestra deserta, civitates vestrae succensae igni: regionem vestram coram vobis alieni devorant, et desolabitur sicut in vastitate hostili. *Isa.* I, 4, 5, . . 7.

Quis dedit in direptione Jacob et Israel vastantibus? nonne Dominus ipse, cui peccavimus? Et noluerunt in viis ejus ambulare, et non audierunt legem ejus. Et effudit super eum indignationem furoris sui, et forte bellum, et combussit eum in circuitu, et non cognovit: et succendit eum, et non intellexit. *Isa.* XLII, 24, 25.

Populo autem huic factum est cor incredulum, et exasperans, recesserunt, et abierunt. Et non dixerunt in corde suo: Metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluviam temporaneam, et serotinam in tempore suo; plenitudinem annuae messis custodientem nobis. Iniquitates vestrae declinaverunt haec: et peccata vestra prohibuerunt bonum a vobis. *Jerem.* V, 23, et seq.

Non est uva in vitibus, et non sunt ficus in ficulnea, folium defluxit: et dedi eis, quae praetergressa sunt. . . Convenite, et ingrediamur civitatem munitam, et sileamus ibi: quia Dominus Deus noster silere nos fecit, et potum dedit nobis aquam fellis: peccavimus enim Domino. *Jerem.* VIII, 13, et seq.

Quem ergo fructum habuistis tum in illis (*peccatis*), in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Stipendia enim peccati, mors. *Rom.* VI, 21, . . 23.

Ex Ss. Patribus

Illa est poena peccati justissima, ut amittat unusquisque illud, quo bene uti noluit, cum sine ulla difficultate posset, si vellet, id est, ut qui sciens recte non facit, amittit scire quid rectum sit: et qui rectum facere cum posset, noluit, omittat posse, cum velit. *Aug.* lib. III *de lib. arb.*

Haec sunt peccata lapsis, quod grando frugibus, quod turbidum sydus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod navigiis saeva tempestas; omnes scilicet bonorum operum fruges destruit, animi facultates corrumpit, totum hominem ad interitum ducit. *Cypr. ser. V de laps.*

Calamitatum nomina philosophantibus sunt tantum nomina, vera autem calamitas Deum offendere. *Chrys. hom. V ad popul.*

Quia impunitum non debet esse peccatum, puniatur a te, ne tu pro illo puniaris. Peccatum tuum judicem te habeat, non patronem. *Aug. de util. ag. poenit.*

Nihil est enim quod majoris doloris sit, quam culpae reatus. *Ambr. lib. de Arca et Noe* cap. I.

Mala conscientia propriis agitur stimulis. *Bern. Tract. de Inter. Do.* cap. XXVII.

Nulla poena gravior mala conscientia, quoniam nunquam securus est reus animus, mens enim malae conscientiae propriis agitatur stimulis. *Isid.* II *Solil.*

Quae possit illis esse voluptas, ubi metus, ubi discrimen, ubi periculum, ubi tantorum malorum expectatio? *Chrys. hom. IV de verb. Isaiae.*

Felix innocentiae status ne nomine quidem noverat morbum. Nesciebat homo quid dolor, quid aegritudo, quid cruciatus corporis; at post originale delictum, dolores aegritudines cruciatus a peccato dimanarunt. Hinc si vis scire quid sit peccatum? Intuere tantum unicum Adae peccatum, et considera quot morbos, fames, aerumnas, miserias, neces, hoc unum peccatum pepererit: quot fuere homines ab exordio mundi : hos omnes sive magnos, sive parvulos morti subjecit. Protoparens delicti sui non cognovit gravitatem, nisi quando Abelem filium mortuum conspexit. Cum faciem ejus conspexit pallidam absque colore, oculos clausos, os mutum et corpus absque ullo motu. Tunc conclusit peccatum esse acerbissimum malum, quod viventem enecavit prolem, et tantam attulit mutationem. Quanto a fortiori ex tot morbis, aerumnis, et mortibus, quae cuncto generi humano eveniunt ob Adami peccatum, colligendum est peccati damnum? Hinc laborat Diabolus, ut caecitatem in cordibus nostris inducat, ut non agnoscamus quantum bonum sit gratia Dei, quantum malum peccatum, ne attendamus Dei inspirationibus, ne eas sequamur. Deplora priorem caecitatem, et tandem aperi oculos tuos, ut agnoscas malum quod fecisti, et quot gratiae tibi dentur ad vitam aeternam.

13. Morbi

Ex Sacris Scripturis

Cunctorum languorum, quem posui in Ægipto, non inducam super te: ego enim sum Dominus sanator tuus. *Exod.* XV, 26.

Auferet Dominus a te omnem languorem, et infirmitates Ægipti pessimas, quas novisti, non inferet tibi, sed cunctis hostibus tuis. *Deut.* VII, 15.

Percutiat te Dominus ulcere Ægypti,et partem corporis, per quam stercora egeruntur, scabie quoque et prurigine, ita ut curari nequeas. Percutiat te Dominus amentia et caecitate, ac furore mentis. . . Augebit Dominus plagas tuas, et plagas seminis tui, plagas magnas, et perseverantes, infirmitates pessimas et perpetuas. Et convertet in te omnes afflictiones Ægypti, quas timuisti, et adhaerebunt tibi. *Deut.* XXVIII, 28, et seq.

Dominus mortificat, et vivificat: deducit ad inferos, et reducit. *I Reg.* II, 6.

Sed et lepra Naaman adhaerebit tibi et semini tuo usque in sempiternum. Et egressus est ab eo leprosus quasi nix. *IV Reg.* V, 27.

Ægrotavit etiam Asa, . . . dolore peduum vehementissimo, et nec in infirmitate sua quaesivit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est; ideo mortuus est. *II Paral.* XVI, 12.

In diebus illis aegrotavit Ezechias usque ad mortem et oravit Dominum : exaudivitque eum et dedit ei signum. *II Paralip.* XXXII, 24.

Cogitatus praescientiae avertit sensum, et infirmitas gravis sobriam facit animam. *Eccli.* XXXI, 2.

Fili, in tua infirmitate ne despicias te ipsum: sed ora Dominum, et ipse curabit te. *Eccli.* XXXVIII, 9.

Postea invenit eum Jesus in templo , et dixit illi : Ecce sanus factus es : jam noli peccare , ne deterius tibi aliquid contingat. *Joan.* V, 14.

Ex Ss. Patribus

Quosdam praesciens Deus multa peccare posse, flagellat eos infirmitate corporis, ne peccent ut eis utilius sit frangi languoribus ad salutem, quam remanere incolumes ad damnationem. *Hug.* lib. II *de anim.*

Cur Deus saepe immittit morbos? formidare vos voluit mortem, sed non experiri, ego sum, qui deleo non te, sed iniquitates tuas, ego occidam, et ego vivere faciam, percutiam, et ego sanabo, et non est, qui de manu mea possit eruere. *Ber. Ep.* 35.

Morbi sunt flagella peccatorum, quibus nihil aliud agitur, nisi ut vitam nostram in melius commutamus. *Basil. reg.* LV.

Infirmitas carnis vigorem mentis exacuit, et affectis artubus, vires corporum in virtutes transferuntur animorum. *Salvian. lib. de Guber. Dei.*

Tu laboras, pulmone deficis, cibum stomachus respuit, pthisis de eo quaeris, vinum fastidis, dissenteria succidaris, multimodo morborum genere afficeris: sed et haec, si oculum habes, si cordatus es, Dei tota sunt disciplinam, ne abjicias, fili. *Aug. da vis. infir.*

Molestia corporis salus est cordis, quae ad cognitionem sui mentem revocat, quam plerumque salus abjicit; infirmitatis memoria reformat. *Greg.* p. III *past.* cap. I.

Divina dispensatione agitur, ut prolixiora vitia egritudo prolixior exurat. *Greg. hom. XIX in Joan.*

Anima morbum affecta Deo propingua est. *Greg. Naz. orat. ad Gives.*

Admonendi sunt aegri, ut considerent, quanti sit muneris aegritudo corporalis, quae et admissa peccata diluit, et ea, quae admitti poterant, compescit. *Greg. past.* p. III.

Omnes medici pecuniis, Deus autem noster pura oratione ad conferendam sanitatem placatur. *Laur. Just. de lig. vitae.*

Peccatum fons est morborum omnium. *Chrys. in Psal.* III.

Si vis curare, agnosce languorem. *Chrys. ser.* XXX.

Nequaquam nobis dolenda est haec afflictio infirmitatum, quam intelligimus matrem esse virtutum. Ideo sancti viri infirmiores esse faciunt, quia si fortes fuerint sancti esse vix possunt. *Paulin. in Ser. XVIII.*

Secundum medicos, naturales morborum causae sunt in duplici differentia. Quaedam extrinsecae, aliae intrinsecae. Ad illas reducuntur elementorum injuriae, maligni coeli astrorumque influxus; morbos enim in humanis corporibus generant aut calor nimius, aestusve Solis : aut frigus, aut aer gelidique aquilones ; aut aer plus aequo humidus , aut siccus , aut malignae quaedam coeli , astrorumque influentiae; a medicis syderationes nuncupatae.. Intrinsecae causae sunt vel minus apta organorum dispositio, dum scilicet organa sunt aut magis laxa, aut nimis contracta. Vel intemperies et pugna quatuor humorum inter se in corpore dissidentium: vel insolentia laborum, et studiorum vel nimia repletio vel exinanitio; vel insolentia laboris, et studiorum, vel nimia repletio, etc. Verum ultra has causas morborum naturales , et physicas , princeps morbi, et prima aegritudinis origo est peccatum, a quo procedunt elementorum inordinationes , aliaeque causae, sive extrinsecae, sive intrinsecae a medicis assignatae: quod enim est causa causae, est etiam causa causati. Peccatum est domesticus hostis, qui in nobis peccantibus bellum gerit per febres, morbos, dolores, variosque cruciatus quibus affligitur corpus. Ne credas pro-

pter peccatum solum evenire infirmitates, sed et etiam ob bonum tui, sed et ad Dei gloriam. Sano judicio credere debes morbum tuum fuisse tibi beneficium, quod inde emergeret gloria Dei. Non aliud te de tuis malis judica, ut te illis subdas humiliter, ne Dei gloriam fureris. Dic mihi: Credis ne Deum velle eas infirmitates quas pateris? Ergo crede esse pro gloria Dei; quia quidquid vult, ad hunc finem vult. Ehu! quot tu annos in tua infirmitate laboras? et quam parum de Deo cogitasti.

14. Prudentia carnis

Ex Sacris Scripturis

Fili hominum usquequó gravi corde? ut quid diligítis vanitatem et quaeritis mendacium? *Psal.* IV, 2.

Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent. *Psal.* LII, 6.

Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, ut ne innitaris prudentiae tuae. *Prov.* III, 5.

Qui móderatur sermones suos, doctus et prudens est: et pretiosi spiritus vir eruditus. *Prov.* XVII, 27.

Vae filii desertores, dicit Dominus, ut faceritis consilium, et non ex me: et ordiremini telam, et non per spiritum meum ut adderitis peccatum super peccatum. *Isai.* XXX, 1.

Levate in coelum oculos vestros, et videte sub terra deorsum: quia coeli sicut fumus liquescent, et terra sicut vestimentum atteretur, et habitatores ejus sicut haec interibunt: Salus autem mea in sempiternum erit, etc. *Isa.* LI, 6.

Quaerite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus: et haec omnia adjicientur vobis. *Matth.* VI, 33.

Vae cum benedixerint vobis homines: secundum haec enim faciebant Pseudoprophetis patres eorum. *Luc.* VI, 26.

Nam prudentia carnis mors est: prudentia autem spiritus vita, et pax. *Rom.* VIII, 6.

Scriptum est enim: perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. *I Cor.* I, 19.

Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum. Scriptum est enim: comprehendam sapientes in astutia eorum. Et iterum: Dominus novit cogitationes sapientium, quoniam vanae sunt. *I Cor.* III, 19, 20.

Qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: praeterit enim figura hujus mundi. *I Cor.* VII, 31.

Nemo militans Deo, implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat, cui se probavit. *II Tim.* II, 4.

Ex Ss. Patribus

Odisti observantes vanitatem: ego autem in Domino speravi. Ego qui non observo vanitatem, in Domino speravi. Speras in pecunia, observas vanitatem, speras in honore, et sublimitate aliqua potestatis humanae, observas vanitatem; speras in aliquo amico potente, observas vanitatem: in his omnibus cum speras, aut tu expiras, et ea hic dimittis, aut cum vivis, omnia pereunt, et in spe tua deficis. Ipsam vanitatem commemorat Isaias dicens: Omnis caro foenum, et omnis gloria ejus quasi flos foeni. Aruit foenum, et flos ejus decidit: verbum autem Domini manet in aeternum. Ego autem non quomodo illi, qui sperant in vanitates, et observant, sed in Domino speravi, qui non est vanitas. *Aug. in Psal. XXX.*

Discipuli salutem quaeritabant ab arte: sed manus fatiscebant: cum tempestate depugnabant, et cum ventis de navi decertabant. At cum procella praevaleret, neque arti pareret mare, ac potius vinci extimesceret, victi discipuli, et quaesitas ab arte vires, tamquam et ipsi naufragium facerent, omittentes, recurrunt ad portum, qui in scapha erant. *Basil. orat.* XXII.

Prudentia carnis est cor machinationibus tegere; sensum verbis velare; quae vera sunt falsa demonstrare, bonorum culmina quaerere, adepta temporalis gloriae veritate gaudere, irrogata ab aliis mala multiplicius reddere, cum vires suppetunt, nullis resistentibus cedere, cum virtutis possibilitas deest, quidquid explere per malitiam non valet, hoc in pacifica bonitate simulare. Prudentia vero spiritus, idest justorum scientia est nihil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire, vera, ut sunt, diligere, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare, quam facere, nullam injuriae ultionem quaerere, pro veritate contumelias pati, lucrum putare. *Greg. in Job.*

Hae sapientia mundi terrena est, animalis, diabolica, inimica salutis, suffocatrix vitae, mater tepiditatis, quae valet Deo vomitum provocare. *Ber. serm.* LVII.

Quantos mundi sapientia maledicta supplantat, et conceptum in eis extinquit spiritum, cum voluverit Dominus vehementer accendi! *Greg.* lib. X:

Gratulor, quod illam reprobatam a Deo sapientiam resipuisti, et cum parvulis Christi, quam cum sapientibus mundi habere consortium maluisti, inde jam et hanc gratiam mereris a Domino, ut

te hoderint homines, quod non fieret verus imitator Christi. *Basil. hom.* XIII.

Sibi in futurum prospicere, res magnae prudentiae est. Hoc est in quo filii lucis superantur a filiis saeculi in suo genere. Quam illi ad suos fines disponunt media, quam nullum intentatum relinquunt! quam instant sedulo, et quidem ut corruptibilem coronam accipiant. Et quid agis tu, qui filius es lucis, gratia majore cumulatus,majoribus auxiliis ad justitiam? Filii saeculi mundo placere quaerunt, tu Deo. Quas illi vigilias impendunt, quas difficultates, quomodo diu nocteque de mediis cogitant! An et tu ista pro Deo, pro aeternitate absorbes? Christi bonitate et pietate praediti, caelestem beatitudinem sectantes, coelum desiderant, post coelum suspirant, post Deum anhelant: non terrena vana, caduca et peritura quae miseriam quidem, sed non beatitudinem conferre possunt. Sunt autem omnia immaginaria in saeculo, et nihil veri: quomodo enim verum posset esse saeculum, cum tota eius ratio vana sit? Si in naturae viribus, in artibus, industria, mentis sagacitate suisque operibus confidas, pereundi incurris periculum. De aeternitate cogita quae non fallit, sed erudit: non concutit sed firmat: non miseros nos facit sed beat: praegustans beatitudinem, et ad illam feliciter perducas.

15. Castitas.

Ex sacris Scripturis

Tu gloria Jerusalem (*Judith*) tu laetitia Istrael, tu honorificentia populi nostri: quia fecisti viriliter et confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris, etc. *Judith.* XV, 10, 11.

Erat etiam virtuti castitas adjuncta, ita ut non cognosceret virum omnibus diebus vitae suae, ex quo defunctus est Manasses vir ejus. *Judith.* XVI, 26.

Hic (*Razias*) multis temporibus continentiae propositum tenuit in Judaismo, corpusque et animam tradere contentus pro perseverantia. *II Macch.* XIV, 38.

Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem. *Prov.* XXII, 11.

O quam pulchra est casta generatio cum claritate: immortalis est enim memoria illius, quoniam apud Deum nota est, et apud homines. Cum praesens est, imitantur illam; et desiderant eam, cum

se eduxerit, et in perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum praemium vincens. *Sap.* IV, 1, 2.

Incorruptio autem facit esse proximum Deo. *Sap.* VI, 20.

Scivi quoniam aliter non possum esse continens nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiae scire cujus esset hoc donum: adii Dominum, etc. *Sap.* VIII, 21.

Omnis autem ponderatio non est digna continentis animae. *Eccli.* XXVI, 20.

Quid enim bonum eius est, et quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines. *Zacch.* IX, 17.

Haec est enim voluntas Dei sanctificatio vestra . . . Ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, et honere. *Thes.* IV, 3, 4.

Fructus autem spiritus et caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Adversus huiusmodi non est lex. *Gal.* V, 22, 23.

Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiae Deo, et Agno. *Apoc.* XIV, 4.

Ex Ss. Patribus

Castitas est virtus sub jugo rationis impetum libidinis refraenans. *Aug. de Diffin.* XIII, 12.

Castitas est per edomitas vitiorum furias munda, et honesta totius corporis habitudo. *Aug. de Diffin.* XIII, 23.

Inter omnia certamina Christianorum duriora sunt praelia castitatis, nam ibi continua pugna, et rarior victoria. Rara enim concordia famae atque pudicitiae: Rara avis in terris nigroque simillima cigno. *Aug. ser.* XXIV.

Crebra munuscula, et datas literas, et sudoriola, et praecustatos cibos sanctus amor non habet; haec enim omnia carnem sapiunt, et procul sunt ab amore casto. *Hier. ep. II ad. Rep.*

Quacumque virtute polleas, quibuscumque opibus niteas, si cingulo castitatis cares, omnia per terram trahes. *Hier. ep. XLII ad Hier.*

Quidam in juventute luxuriose viventes, in senectute continentes fieri delectantur, et tunc eligunt servire castitati, quando libido eos servos habere contempsit. Nequaquam in senectute continentes vocandi sunt, qui in juventute luxoriose vixerunt; tales non habent praemium, quia laboris certamen non habuerunt. Eos enim expectat gloria, in quibus fuerunt gloriosa certamina. *Isid. lib. II de Sum. bon.* cap. XXXI.

Pudicitia est ornamentum nobilium, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo vilium, solamen merentium, augmentum omnis pulchritudinis, decus religionis, minoratio criminum, multiplicatio meritorum, creatoris omnium Dei amica. *Cyp. de XIII, Abus. II.*

Sex sunt, quae incorruptam conservant castitatem: scilicet, sobrietas, operatio, asperitas, inhibitio sensuum, raritas sermonis, evitatio opportunitatis, loci, et personae, et temporis. *Cass. sup. Matth.*

Sola est castitas, quae in hoc mortali loco, et tempore statum quemdam immortalitatis gloriae repraesentat. *Ber. ep. XLII.*

Cum de ipsa continentia mens elatione tangitur, plerumque omnipotens Deus superbiam deferens, hanc in immunditiam operis cadere permittit. Nulla enim est castitas carnis, quam non commendat humilitas mentis. *Cass. sup. Matth.*

Castitas sine caritate, lampas est sine oleo; subtrahe oleum,lampas non lucet: tolle caritatem, castitas non placet. *Isid. de Sum. bono* cap. XVI.

Erat ergo recumbens unus ex discipulis eius (*Joanues Evangelista*) in sinu Jesu quem diligebat Jesus. Quoniam speciali prerogativa castitatis ampliori dilectione fecerat dignum. *Brev. Rom. 27 decemp.*

Multiplici de causa castitas *Flos morum* nuncupatur a Patribus. Flos delicatissimus est, unius diei aestu marcescens, levi attactu, affrictu, halitu decidens. Tener etiam delicatus est pudicitiae flos, qui facile defloratur. Castitas enim inter caeteras virtutes illustriori quadam praerogativa floret; sic solemus dicere hominem florere, vel in nobilitate, vel in eloquentia, vel in scientia qui in his rebus primatum sibi vindicat. Et sicut nihil est flore pulchrius, sic castitas venustior apparet virtus. Idcirco vocitatur a D. Cypriano, *ornamentum morum* (I *de Pud.*). Praeterea nihil flore flagrantius, castitas suavissimum efflat odorem : quapropter Basilius Seleucus pudicum appellat: *Templum Deo dignum castitatis aromantibus bene odoratum* (*Orat.* XXXIX). Flos est decor, et adhuc spes futuri fructus: *Grati flores, sed usque dum perveniant ad poma, flores consummantur a pomis* (*Chrys. ser.* LXII). Tantum una arbor omnium arborum non producit fructus, sed tantum sui generis parturit poma. Castitas e contra cunctarum flos virtutum, omnium etiam virtutum producit fructus. Ideo Christianos hortatur Apostolus, ut in corpore suo Deum magnificent. Modum autem,quo in suo corpore Deum magnificant Christiani sta-

tim declarat dicens in *corpore vestro*, hoc est per castitatem. At si cuncti generatim fideles tenentur honorare,et magnificare Deum per pudicitiam, quanto a fortiori Sacerdotes, qui specialiter divino cultui sacrati sunt ? Hinc requiritur in Sacerdote peculiaris castitas, quia eucharistiam consecrat, et sic ab indumentis quibus ornatur, discat pudicitiam. Hanc autem potissimum edisces in tunica linea qua dealbaris, a zona qua praecingeris, a manipulo quem in brachio defers. Considera in tunica et colorem et materiam de qua conficitur, et in utroque Sacerdotalis castitas denotatur.Tunica ut alba, puritatem indicat. Est linea, linum etiam castitatem significat (*Aug. ser. CCXXVII de Temp.*). Cingulo quo praecingeris operaturus sacra misteria, indicat, ut externae praecinctioni, puritas animae , et corporis respondeat. Per zonam extinguantur omnia illa, quae libidine aestuant (*Greg. Naz. Orat.IV*). In brachio manipulum defers, qui ad eius memoriam revocas fidem Deo debitam cui desponsatus es. Idcirco nonnulli manipulum conferunt cum annulo, quem contrahentes matrimonium sibi mutuo porrigunt in signum fidei inviolabiliter servandae. Sacerdos qui non ornatur his pudicitiae floribus seu ornamentis, sed lasciviae frondibus praecinctus ad sacra non debet accedere. Haec meditare, etc.

16. Gaudium cordis

Ex Sacris Scripturis

Exultavit cor meum in Domino (*ait Anna mater Samuelis*) , et exaltatum est cornu meum in Deo meo : dilatatum est os meum super inimicos meos: quia laetata sum in salutari tuo. *I Reg.* II,1.

Servite Domino in laetitia. Introite in conspectu eius in exultatione. *Psal.* XCIX, 1, 2.

Pax multa diligentibus legem tuam. *Psal.* CXVIII, 165.

Sicura mens, quasi juge convivium. *Prov.* XV, 15.

Et cognovi quod non esset melius nisi laetari , et facere bene in vita sua. *Eccles.* III, 12.

Gaudens gaudebo in Domino , et exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis: et indumento justiae circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis. *Isa.* LXI, 10.

Magi videntes stellam gavisi sunt gaudio magno valde.*Matth.*II,10.

Spe gaudentes: in tribulatione patientes: orationi instantes: necessitatibus sanctorum communicantes. *Rom.* XIII,2.

Non est enim regnum Dei, esca, et potus: sed justitia et pax et gaudium in Spiritu Sancto. *Rom.* XIV, 17.

Repletus sum consolatione (*Paulus de se testatur*), superabundo gaudio in omni tribulatione. *II Cor.* VII, 4.

Gaudete in Domino semper: iterum dico gaudete. *Philipp.* IV, 4.

Semper gaudete. Sine intermissione orate. *I Thess.* V, 16.

Ex Ss. Patribus

Est gaudium, quod non datur impiis, sed eis, qui te gratis colunt: quorum gaudium tu ipse es, et ipsa est beata vita, gaudere de te propter te, et in te, ipsa est, et non est altera. *Aug. lib. IX, Confess.*

Nullum majus signum inhabitantis spiritus est, quam laetitia spiritualis. *Dedisti laetiam in corde meo*, non simpliciter dixit, dedisti gaudium, sed in corde meo, idest non in externis rebus laetitia ista existit, qualis est istarum rerum saecularium, ac fluxarum: non haec laetitia, non cordis, sed solorum oculorum est. *Bern. in Psal.* IV.

Temporalibus gaudent, qui bona aeterna non norunt desiderare. *Aug. sup. Psal.* LII.

Cujusmodi est gaudium, quod est in Domino? et quid est, quod facientes gaudere debemus? in hisce quae secundum mandatum Domini fiunt, gaudere, est in Domino gaudere. *Basil. inter.CXCIII in lect. brev.*

Gaudendum in bono magno, magis quam in parvo. *Bern. in Cant.* serm. XXXI.

Nemo in hoc saeculo potest gaudere in Domino: multum inter se haec duo gaudia differunt, suntque omnino contraria. Quando gaudetur in hoc saeculo, non gaudetur in Domino: quando gaudetur in Domino, non gaudetur in hoc saeculo. Vir habet gaudium in Domino, donec finiatur gaudium in saeculo: gaudium in Domino semper augeatur, gaudium in saeculo semper minuatur, donec finiatur. *Aug. de verb. Dom. ser. XXXVII.*

Gaudendum est de iis quae expectamus, et gaudendam de iis quae sustinemus. *Beda de ver. ap.*

Gaudebis semper, si diem insumas fructuose: habe bonam conscientiam, et habebis semper laetitiam. *De im. Chri.* lib.II, cap.VI.

Philosophi quidam in voluptate gaudent, in ea se occupant, in ea etiam gloriantur. Tales fuerunt Epicurei qui vitae felicitatem in voluptate costituebant, nec aliud summum bonum existimabant. At Christiani e coelo edocti, saeculi voluptatem non desiderant, et ibi ubi vera sunt gaudia anhelare debent. Et hoc tum ut ab ethni-

cis discriminentur, qui in hac vita laetantur, et post mortem tristantur: christiani e contra lugent in saeculo, et laetantur in coelo: tum maxime ut Christum imitentur qui in vita sua saepissime lachrymas fudit. *Christum persaepe flevisse legimus, risisse nunquam* (*Aug. lib. II in Luc.*) Verum quantumvis suis lachrymis Salvator mundanas confundat laetitias, multi tamen post vanas illas voluptates anhelant: totum namque tempus insumunt in ludis, tesseris, chartis lusoriis, theatris, choreis, conviviis, aliisque corporalibus oblectamentis. Filias dissolutas nomine hos redarguit Jeremias Propheta: *Usquequo deliciis dissolveris filia vaga?* (XXXI). Verus christianus omne mundi despicit oblectamentum, indignum reputans reperire delicias ubi non sunt. Omnes enim tendunt ad gaudium: sed unde stabile et magnum consequatur, ignorant. Ille inepte laetatur ex conviviis et luxuria: ille ex ambitione, et circumfusa clientum turba: ille ex amico, alius ex studiorum liberalium vana ostentatione, et nihi sonantibus literis: omnes istos oblectamenta fallacia et brevia decipiunt, sicut ebrietas, quae unius horae hilarem facit. Quale fuit usque huc gaudium tuum? Si vis vere gaudere, in Domino gaude. At nunquam hanc consolationem habuisti, quia numquam illam desiderasti. Non diu differet te consolari, si serium ejus gaudium concupiscas.

17. Confessio peccatorum et oratione, et ore

Ex Sacris Scripturis

Ex expandi manus meas ad Dominum Deum meum, et dixi: Deus meus, confundor et erabesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostrae multiplicatae sunt super caput nostrum etc. *I Esdr.* IX, 5, 6.

Et separatum est semen filiorum Israel ab omni filio alienigena: et steterunt, et confitebantur peccata sua, et iniquitates patrum suorum. *II Esdr.* IX, 2.

Delictum meum cognitum tibi feci: et injustitiam meam non abscondi. *Psal.* XXXI, 5.

Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris. *Psal.* L, 5.

Peccavimus, iniquitatem fecimus, impie egimus, et recessimus, et declinavimus a mandatis tuis, ac judiciis. *Dan.* IX, 5.

Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. *Luc.* XI, 4.

Et Publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad coelum le-

vare: sed percutiebat pectus suum dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. *Luc.* XVIII, 13.

Ex Ss. Patribus

Confessio non tantum peccatorum, sed et laudis Dei est. *Aug. in Psal. XXXI.*

Venia dignus non est, qui de peccato excusationem non quaerit; ubi enim est confessio, ibi remissio: quia proximum ad innocentiam tenet locum verecunda peccati confessio. *Leo Pap. in Serm. XV.*

Tristis esto antequam confitearis, confessus exulta, iam sanaberis. Non confitentis conscientia saniem colligirat, et apostema intumuerat, cruciabat te, requiescere non sinebat. Adhibet medicus fomenta verborum, et aliquando secat, adhibet medicinale ferrum in correptione tribulationis. Tu agnosce medici manum, confitere, exeat in confessionem, et defluat omnis sapiens. Iam exulta, iam laetare, quod reliquum est, facile sanabitur. *Aug. in Psal. LXVI.*

Tuam iniquitatem confitere, gratiam Dei confitere. Te accusa, illum glorifica: te reprehende, illum lauda: ut et ipse veniens inveniat te punitorem tuum, ut exhibeat se tibi Salvatorem tuum. Quid times confiteri Deo? ne forte confessum damnet? Si non confessus latis, non confessus damnaberis. Times confiteri, qui non confitendo esse non potes occultus? damnaberis tacitus, qui possis liberari confessus. Ad hoc exigit confessionem, ut liberet humilem. Ad hoc damnat non confitentem, ut puniat superbum. *Aug. in Psal. LXI.*

Illa confessio vera est, quae de mentis contritione descendens, nec timere cogitat, nec dictione palliatur, sed in spiritu contribulato profert ea, quae sentit. *Ber. ser. XL de divers.*

Confessio peccatorum in corde antequam os pateat, exauditur. *Amb. in lib. de Joseph.*

Quam sit utilis ad salutem confessio delictorum, uno ore Patres proclamant. Isidorus vice quadam a nonnullo interrogatus: Nosse cupio, si est spes in confessione, si est remissio, si est venia: Respondit; Est plane, est prorsus, est utique, est profecto, est procul dubio. Ac si ita res est: vade ostende te, et confitere. Quis enim nostrum dicere potest: Mundus sum, peccatum non habeo? Qui hoc dicit, ipse se seducit, et veritas in eo non est. O si frequenter confessus fueris ita, ac si mox post confessionem esses moriturus; si omnia emendationis media ita adhibuisses, ut de ore tuo non judicaveris aliquando; si ex fructibus et operibus tuis cognitus fuisses verus poenitens, quam secura tibi daretur spes!

18. Christus ad Herodem

Ex Sacris Scripturis

Deridetur justi simplicitas. *Job* XII, 4.

Fremuerunt gentes. Astiterunt reges terrae. *Psal.* II, 1, 2.

Adhaesit lingua mea faucibus meis. *Psal.* XXI, 16.

Laetantur cum malefecerint, et exultant in rebus pessimis. *Prov.* VIII, 15.

Stultus quoque, si tacuerit, sapiens reputabitur. *Prov.* XVII, 28.

Et ut cognovit, quod de Herodis petestate esset, remisit eum ad Herodem, qui et ipse Jerosolimis erat illis diebus. Herodes autem viso Jesu gavisus est valde: erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de eo, et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat . . . . Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo: et illusit indutum veste alba, et remisit ad Pilatum. *Luc. XXIII*, 7 *et seq.*

Ex Ss. Patribus

Sprevit illum Herodes. Sprevit, inquam, tamquam impotentem, qui signum non fecit; tamquam ignorantem, quia verbum non respondit, tamquam stolidum, quia contra accusantes se non defendit. *Bon.* cap. XIII *in Joan.*

Non otiosum, quod veste alba induitur ab Herode, immaculatae tribuens indicia passionis, quia agnus Dei sine macula cum gloria mundi peccata susciperet. *Amb. lib. X in Luc.*

Quia vidit Christus Herodem non quaerere profectum sed signa, vel scientiam velle mirari, requisitus ab eo tacuit. *Greg. in cap. XXXI Job.*

Ecce quem vulpes illa malitiosa desideraverat, sprevit: quem videre cupiebat illusit. *Pet. Dam. lib. de con. saec.* cap. XXVI.

Cupiens videre eum non per affectum caritatis, sed ex curiositate. *Bon. in cap. XIII, Joan.*

Erat cupiens ex multo tempore videre eum, non quidem ex devotione, sed quia dolosus erat: simulabat se signa quaerere; sed tamen intra desiderabat extinguere omne semen David, ut ipse solus regnaret. *Alb. Mag. in Joan.*

Ad consummandam hominis humilitatem universa in eum contumeliorum genera exercebantur. *Hil. in Matth.* cap. XXVI.

Ineunt familiaritatem ad maledicendum, concordes ad discordiam. Conciliant inter se inimicissimas amicitias, et pari consentaneae

malignitatis affectu celebratur odiosa collatio. Haud secus agere quondam Herodes et Pilatus, de quibus narrat Evangelium quia facti sunt amici in illa die, hoc est in die dominicae passionis. *Ber. ser. XXIV in Cant.*

Vide qualiter, ut malefactor, et veluti stultus ab omnibus illis reputatur, ipse autem omnia patientissime tolerabat. *Bonav. med.*

Quare nullum miraculum edis, Jesu, illi, qui tanto tuo tenetur desiderio? Non est desiderium pii affectus, sed curiositatis. Vide, per meditationes, aut pios libros magis quaeras scientiam quam affectum. At Jesus inter calumnias, et criminationes tacet. Etiam et tu contemptus tace, inter irrisiones tace et ama confundi et deprimi. Et tamen Christus interrogatus tacet, tacet non ex necessitate, sed ex virtute. Gravissima innocentiae defensio est silentium, cum vita loquitur. Sic vive, ut etsi dicere possint multa; probari nihil possit. Cum contra te loquuntur, peroret vita. Vide quomodo humiliatur aeterna Dei sapientia, ut tua curetur superbia, qui nimis sollicite estimari quaeris. Agnosce eius in te amorem, quo fatuus videri voluit. Vestis alba innocentiae Christi testis est. Haec ipsa est, quam tu in paradiso perdidisti. Ille eam reperiit, ut tibi restituat per gratiam. Gratias age ei. Conserva eam in puritate, ut decenter indutus admittaris ad nuptias Agni.

19. Dignitas Christiani

Ex Sacris Scripturis

Omnibus, qui sunt Romae, dilectis Dei, vocatis sanctis. *Rom.* I, 7.

Si autem filii, et heredes: heredes quidem Dei coheredes autem Christi: si tamen compatimur, ut et conglorificemur. *Rom.* VIII, 7.

Ecclesiae Dei, quae est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis, cum omnibus, qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi, etc. *I Cor.* I, 2.

Ego enim per legem legi mortus sum, ut Deo vivam: Christus confixus sum Cruci. *Gal.* II, 19.

Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suae, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum. *Coloss.* I, 12, 13, 14.

Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis : ut virtutes annuntietis ejus qui de tenebris vocavit in admirabile lumen suum. *I Petr.* II, 9.

Per quem maxima, et pretiosa nobis promissa donavit : ut per haec efficiamini divinae consortes naturae : fugientes ejus , quae in mundo est, concupiscentiae corruptionem. *II Petr.* I, 4.

Si autem in luce ambulamus, sicut et ipse est in luce, societatem habemus ad invicem, et sanguis Jesu Christi filii ejus emundat nos ab omni peccato. *I Joan.* I, 7.

Videte, qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, et simus. Propter hoc mundus non novit nos : quia non novit eum. *I Joan.* III, 1.

Et omnis qui habet hanc spem in eo , sanctificat se , sicut et ille sanctus est. *I Joan.* III, 3.

Ex Ss. Patribus

Ipse erat unctus ut ab uncto unctus, et a Christo diceret Christianus. *Aug. de spirit. et anim.* I.

Propterea Christus est homo , ut possit esse Christianus Angelus. *Aug. in Psal.* XXXIII.

Tu ipsius nominis oras, et expostulas sanctitatem, quia a Christo vocatus es Christianus, et ideo supplicas, ut praerogativa tanti nominis, meritis in te subsequentibus roboretur. *Chrysol. ser.* LXIII.

Sicut virtus nominis tantum respondet ad gloriam, ita male conversatis infamia, ad ejusdem nominis redundat injurium: dicente Apostolo, nomen Dei per vos blaspematur in gentibus , et revera gentilis, nomini derogat Christiano, quando alter , quam profitetur, et dicitur, vivere viderit Chriastianum. *Chrysol. ser.* LXIX.

Homo quid commune cum terris tibi, qui confiteris tibi genus esse de coelis ? Ergo coelestem vitam monstra in habitatione terrena: qui si quid in te gesserit terrena cogitatio, coelo maculam, coelesti generi injuriam contulisti. *Chrysol. ser.* LXXI.

Quam majorem honorem accipere poterit adoptatus, quam ut sit, ubi est unicus, non aequalis factus divinitati sed consociatus aeternitati ? *Aug. tract. LI in Joan.*

Homo Christianus vere dicitur , si qui Christo moribus, prout valet coequatur. *Cyp. Serm.* X.

Quam multi vocantur medici qui curare norunt ; quam multi vocantur vigiles qui tota nocte dormiunt ! sic multi vocantur Christiani, et in rebus Christianis non inveniuntur: quia hoc vocan-

tur quod non sunt, idest in vita, in moribus, in fide, in spe, in charitate. *Aug. tract. I in Joan.*

Invenimus hominem ideo ad imaginem Dei consitum, ut imitator sui esset authoris, et hanc esse nostri nominis naturalem dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo divinae bonitatis forma resplendeat. *Leo ser. I de Jejun. X Mens.*

Attendat unusquisque vestrum, fratres, quid habeat Christianus: quod homo, est commune cum multis: quod Christianus est, secernitur a multis, et plus ad illum pertinet quod Christianus, quam quod homo; nam quod Christianus, reformatur ad imaginem Dei, a quo homo factus est ad imaginem Dei. Quod autem homo posset, et malus posset et paganus, posset et idolatra. *Aug. tract. V in Joan.*

Christianus agios, id est sanctus, terram nesciat, amorem carnis ignoret, partem pulveris non requirat, nihil in se vitiis licere permittat, qui Deum patrem coelestem reperit ad naturam: ne iterum ad terrena descendens, ad ipsam tanti genitoris tendat injuriam. *Chrysol. ser. LXIII.*

In Christo duo sunt, nomen, et unctio. *Christi nomen non ex natura veniens* (*Tert. lib. III adv. Marci.*) sed ab unctione; nam Christus unctus significat, quomodo chrisma ab unctionis sacramento. Unctio qua unctus est Christus, est gratia summa illa collata, de qua fatur Tertullianus. *Unde Christus dicitur a chrismate, quod est unctio, quae domini nomen accomodavit, facta spiritalis* (*Tert. lib. de Bapt.*); ratione scilicet sanctitatis, et gratiae, qua ejus anima delibuta fuit. Haec duo a Christo habent Christiani. Nomen enim Christianorum a Christo deductum. Unctio enim ab unctione deducitur. Hanc unctionem simul cum nomine accipiunt in baptismo. Et duplicem unctionem accipiunt in baptismate Christiani. Unam in corpore, aliam in anima: illam a sacerdote sacramenti ministro, istam a Spiritu Sancto sanctitatis auctore: in illa corpus chrismate ungitur, in ista anima gratia sanctificatur. Qualis dignitas! Sed ut melius agnoscas hanc dignitatem, atque ipsi respondeas, considera. Omnes operationes hominis a tribus principiis oriri possunt: scilicet a passione, a ratione, et a sanctitate. Quando homo passione agit, est homo animalis: quando agit ratione, est homo rationalis: quando vero sanctitate agit, est homo Christianus. Si modo ex operationibus volumus agnoscere quales sunt Christiani, plures reperiemus homines animales, qui passione agunt, et bestiales demonstrant mores. Plures adhuc invenimus homines rationales, qui pollent

ingenio in negotiis mundi : sed perpaucos inveniemus homines spirituales gratia sanctificatos, et sancte operantes. Ad haec adde. Christianus effectus est, utique similior Deo post acceptam Dei in baptismate similitudinem, et ideo divinam sanctitatem debet referre , quia Dei filius effectus est. At imago debet esse conformis suo exemplari: filius tenetur paternos repraesentare mores , Christianus, Dei imago, Dei similitudo, Dei filius, studere debet virtuti, et divinam imitari similitudinem. Placet tibi tanta dignitas; idest Christiana , ut tantum sustineas honorem , divinae te demonstres filiationis dignum. Intolerabilis sane est temeritas usurpare gloriam christianam, et non respondere factis. Attende diligenter, quam sis similis Deo, vel quam dissimilis : sis ne prope an longe? qualis es in moribus, qualis in affectibus? Et dum Daemon ad suas partes trahere tentabit dic: Christum indui, in Deo transformatus sum: volo in sanctitate vivere, quam sequi debeo , et similitudine Dei sancti, quam accepi in baptismo, et religioni sanctae quam profiteor.

20. Communio indigna

Ex Sacris Scripturis

Anima polluta, quae edet de carnibus hostiae pacificarum, quae oblata est Domino, peribit de populis suis. *Lev*. VII, 20.

Homo de semine Aaron, qui fuerit leprosus, aut patiens fluxum seminis, non vescetur de his quae sanctificata sunt mihi , donec sanetur. *Lev*. XXII, 4.

Quando sederis , ut comedas eum principie diligenter attende, quae apposita sunt ante faciem tuam. *Prov*. XXIII, 1.

Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos; ne forte conculcent eas pedibus suis et conversi dirumpant vos. *Matth*. VII, 6.

Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem ? At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus, et pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, et stridor dentium. *Matth*. XXII, 12, 13.

Et cum intixisset panem, dedit Judae Simonis Iscariotae. Et post buccellam introivit in eum Satanas. *Joan*. XIII, 26, 27.

Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiae, et nequitiae, sed in azimis sinceritatis, et veritatis. *I Cor*. V, 8.

Nolo vos socios fieri daemoniorum; non potestis calicem Domini bibere et calicem daemoniorum. Non potestis mensae Domini participes esse, et mensae daemoniorum. *I Cor*. X, 20, 21.

Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne: reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo: et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibet indigne, judicium sibi manducat, et bibit: non dijudicans corpus Domini. *I Cor.* XI,27,28, 29.

Ex Ss. Patribus

Qui indigne Christum sumit, idem est ac si Christum interficeret. *Ambr in Luc.*

Qui sacratae hujus coenae indigno participatur accubitu, non cum Petro perveniet ad salutis portum, sed sustinebit cum Juda sine reparatione naufragium; habebit debitam cum proditore poenam, qui ad Eucharistiae malam attulerit conscientiam. *Gris. ser. V de Pass.*

Heu quam temerarium, quamque nefarium est, cruentatis manibus tractare Virginis Filium! quis auditus sustineret aurium? quis oculus non confunderetur ad intuitum? quae mens non reperetur in excessum, ubi mundi pretium mittitur in sterquilinium? non est minus detestabile in os pollutum, quam in lutum, mittere Virginis Filium. *Gris. in I ad Cor. hom. XXVII.*

Certum est, quia ultores Angeli non semel indigne communicanti parcerent, nisi bonitas Christi, in cujus judicio pendent omnia, et sui commissum est, ut signum ponat suorum in frontebus gladium suspenderet, et removeret interdum momentaneam mortem. *Paschas. tract. de corp. et sang. Dom.*

Clamat Dominus, anima quaecumque contigerit de carne sacrificii salutaris, et immunditia super illa est, pereat anima illa de populo. *Pacian. de par. ad poen.*

Quid est hoc se probare, nisi evacuata peccatorum nequitia, se probatum ad Dominicam mensam, et purum exhibere? *Greg. Mag. ser. de coena Dom.*

Vide, quid agas Sacerdos, ne febrienti manu Christi corpus attingas; prius curare, ut possis ministrare. *Ambr. de vid lib. I.*

Non possumus coenam Dei edere, et coenam daemoniorum. *Tert. lib. I de Spect. XIII.*

Uno Petrus, et Judas coelesti pascuntur alimento: aliter tamen nam ad meritum et ad profectum Petrus: traditor vero manducat ad ruinam et interitum. *Laur. Justin. lib. de Triumph. Agon. Chr. IV.*

Ubi sacrum cibum mens perfida tetigit, et sceleratum os panis sanctificatus intravit, parricidialis vim tanti sacramenti non sustinens, quasi palea de area exsufflatus est et praeceps cucurrit ad

proditionem, ad desperationem, et ad laqueum. *Ambr. Serm. II de Ver. Dem.*

Indigne sumens Eucharistiam immutat in venenum mortale alimentum vitae, et in tribunal justitiae thronum gratiae. Nam Eucharistia ex se est vivificans, instituta etiam ad communicandam rite et digne accedentibus vitam; per accidens tamen ex indispositione sumentium affert mortem: et pro sumentium dispositione cibus hic dispares operatur effectus. Iis qui sunt in gratia, adjiciens supernaturalem animae vitam, qui sunt mortui peccato reos efficit mortis aeternae, ac thronum gratiae immutat in tribunal justitiae. Hinc non sine mysterio volebat Deus, ut Judaei caput agni paschalis simul cum pedibus manducarent, erudiens nos, ut attenderent, et ad divinam maiestatem per caput denotatam, et ad severitatem supremi Judicis per pedes significatam. Agnus paschalis Eucharistiam figurabat, et qui ad illam accedunt, debent serio considerare, quod Dei Filius, quem suscipiunt, est summe adorandus, et metuendus. Adorandus ob infinitam maiestatem, qua pollet: metuendus ob judiciariam potestatem, quam potissimum demonstrabit adversus indigne communicantes. D. Ambrosius expendens istud Michaeae: *Et tu Bethleem domus Ephrata* (*Mich.* V) acute animadvertit, quod Bethleem domus panis, Ephrata domus furoris interpretatur: innuens quod indigne comedentes dominicum panem, suum manducant judicem, cujus furorem experientur in ultimo judicio: *qui enim manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit* (*I Cor.* II). Impietatis non sunt immunes sacerdotes afferentes ad altare conscientiam criminosam, et nonnisi sacrilege sacrosanctum Missae sacrificium offerentes. Tremendum Missae mysterium est absque dubio sacrificium illud de quo loquitur Deus, quod quidem est ex semetipso mundum: tum quia mundissimum Christi corpus, et Sanguinem continet: tum quia gratiam, et sanctitatem confert, quae est animae mundities, et venustas. Sed ultra munditiam sacrificii desiderat adhuc sacrificantis munditiam, qua deficiente contaminatur quodammodo sacrificii mundities. Quantum sit scelus Sacerdotis criminosi, qui irreverenter adorandum tractat Mysterium, et cum conscientia contaminata ad mundum accedit sacrificium! Vae tradentibus Christum ad crucifigendum; sed vae cum maligna conscientia sub sacramento sumentibus Christum; committunt enim facinus, indignius eo, quod Judaei commiserunt. Non horres, vererisque nefanda committere, ac altaria frequentare? quomodo immaculata sacrorum mysteria audes attingere? Hortor igitur te, ut vel committere huiusmodi desinas, vel

a venerandis beneficiis desistas, ne impietatis tuae luas poenas; nam si indigne sumes Eucharistiam de die in diem fies criminosior, et moraliter quasi impossibile est, ut convertaris. Curanda ergo summa puritas animae, in quam venturus est Eucharisticus Deus. Non dico aliquid mortale peccatum, quia si iste cibus, aliquem reperit ista malignitate pollutum, magis eum perdet, non sua natura, sed accipientis vitio. Exigit hoc Sacramentum summam puritatem ob majestatem hospitis. Potesne sic te mundum dicere? Quanto labore adhuc opus est, ut huc pervenias? Si serio voles, dic cum leproso: *Domine si vis potes me mundare* (*Matth.* VIII). Confide, extendet manum suam, et dicet: *Volo mundare.*

21. Vinum

Ex Sacris Scripturis

Luxuriosa res, vinum, et tumultuosa ebrietas: quicumque his delectatur, non erit sapiens. *Prov.* XX, 1.

Cui vae? cujus patri vae? cui rixae? cui foveae? cui sine causa vulnera? cui soffusio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus: ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet. Oculi tui videbunt extraneas, et cor tuum loquetur perversa. Et eris sicut dormiens in medio mari, et quasi sopitus gubernator, amisso clavo: et dices: Verberaverunt me, sed non dolui; traxerunt me, et ego non sensi; quando evigilabo et rursus vinea reperiam? *Prov.* XXIII, 29, et seq.

Vae, qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino aestuetis. *Isa.* V, 11.

Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum; quia nullum secretum est ubi regnat ebrietas: et ne forti bibant, et obliviscantur judiciorum, et mutent causam filiorum pauperis. *Prov.* XXXI, 4, 5.

Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria. *Ephes.* V, 8.

Oportet ergo Episcopum ... non vinolentum esse. *I Tim.* III, 2, 3.

Anus similiter non multo vino servientes sint, etc. *Tit.* II, 3.

Ex Ss. Patribus

Innumerabiles iugum dominationis diu recusantes vinolentia in alienum redegit arbitrium. Alexander omnium victor vino victus est. Infiniti vero nimis vino impellente, injusta impiaque homicidia commiserunt; quam plurimae urbes diu obsessae, nec raptae,

custodibus, somno vinoque sepultis et hostibus patefactae sunt, et incendiis concrematae. *Aug. ad sacr. virg.*

Valde turpe est, ut quem non vincit homo, vincat libido, et obruatur vino, qui non vincitur ferro. *Aug. Ep. CXL.*

Assumit inter pocula injusta certamina, et nullis existentibus causis asperam excidat rixam: quia interponendo verba vana, aliorum sana dicta non patitur audire, sed in contumeliam exigitur convivorum, et proximorum cura. Vinum potatum moderate, est medicamentum: plus justo sumptum, venenum esse cognoscitur. Jucunditate, non ebrietati creata est vini materia. *Aug. ad sacr. virg.*

Noe ad unius horae ebrietatem nudavit femora sua, quae per sexcentos annos contexerat. *Hier. ep. ad Ocean.*

Quid ebrio turpius? ridiculus est famulis, ridiculus est hostibus, miserabilis apud inimicos, omnium detestatione dignus. *Chrys. hom.* XXVII *in Act.*

Per vinolentiam plurimi plurimaeque a sancto, pioque proposito exciderunt, et sui obliti, amissis honoribus ignobiles remanserunt, et sedibus paternis profugi, vitam pessimam sumpserunt, finierunt. *Aug. ad sacr. virg.*

Homo multo vino repletus, diversis in luxuriis se proruit, et vitiorum volutat. *Aug. ser. LXVII ad frat. in Erem.*

Vinum Dei munus est, ad infirmitatis robur, ac sustentationem sapientibus concessum; nunc vero instrumentum incontinentiae intemperantibus est factum. *Basil. hom. XIV contr. Ebr.*

Sentis vinum? fuge consortium; sentis vinum? quaere somnum antequam colloquium; male decet in juvene vina cognoscere. *Ber. ep. de cura, et reg. rei famil.*

Hominis dignitas sita est in ratione, ratio vero hominem secernit a bruto. At cuncta vitia a vero honore dejiciunt hominem, sed nullum ita eum deprimit, ac ebrietas, quae rationem obnubilat: sicut terrae nubes caligant coelum, sic obscurat animas intemperatum vinum. Vapores ex aqua emergentes conflant nubes, quae obnubulant solem; vapores e vino exurgentes, rationem, animae solem, obscurant. Homo sanam habens mentem, rationem demonstrat per sapientiam, prudentiam, consilium, moderationem et sermonem: ebriosus in nullo horum se ratione praeditum ostendit. Non per sapientiam; quia multum bibens vinum, etsi fuerit alias sapiens, *obliviscitur sapientiam* (*Ambr. de El.* lib. XII). Non per prudentiam; quia *ebrietas prudentiam extinquit* (*Idem ibid.*). Non per consilium. Homo ratione pollens, *probum, justum, et licitum consilium*

(*Tert. lib. de test.* an. 1) subministrat; ebriosus nec sibi, nec aliis scit praebere consilium. Unde August. *O ebrietas! judicio recto cares, consilium nullum habes* (*Serm. XXXV ad frat.*). Non per moderationem. Homo enim rationis gubernaculo fraenat passiones, et moderate vivit, procellosi maris vitans scopulos: ebriosi non in aqua submersi, sed vinis inundati, passionum procellis exagitati, rationis patiuntur naufragium. Non per sermonem. Sermo rationis est interpres: in ebriosis nulla apparet ratio sermonis. *Nam*, ut ait s. Ambr., *vino madidi, et somnolenti nesciunt mente, quid lingua proferat* (*Amb. de Poen.* lib. I). Quapropter observa potus sumendi tempus, quantitatem, fuge superflua vina. Habe rationem loci; caupones non intres, praeterquam si propter necessitatem divertas. In vino luxuria, in luxuria voluptas, in voluptate impudicitia est. Ebrietas dedecus est cuique christiano, quanto magis Sacerdoti! Ita igitur in timore et soliditate virtutis incede quae rationis nititur in dulcedine.

22. Odium

Ex sacris Scripturis

Oderat ergo semper Esau Jacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater: dixitque in corde suo: Venient dies luctus patris mei, et occidam Jacob fratrem meum. *Gen.* XXVII, 41.

Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum. *Lev.* XIX, 17.

Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. *Psal.* LXVIII, 5.

Odium suscitat rixas: et universa delicta operit caritas. *Prov.* X, 12.

Melius est vocari ad olera cum caritate, quam ad vitulum saginatum cum odio. *Prov.* XV, 17.

Amor quoque et odium, et invidiae simul perierunt, nec habent partem in hoc saeculo etc. *Eccles.* IX, 6.

Et unusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris: et juramentum mendax ne diligatis: omnia enim haec sunt, quae odi, dicit Dominus. *Zacch.* VIII, 17.

Odite malum, et diligite bonum, et constituite . . . judicium. *Amos* V, 15.

Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te: relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, etc. *Matth.* V, 23, 24.

Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat: quia tenebrae obcoecaverunt oculos ejus. *I Joan.* II, 11.

Qui dicit se in luce esse, et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc. *I Joan.* II, 9.

Omnis qui odit fratrem suum homicida est, etc. *I Joan.* III, 15.

Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. *I Joan.* IV, 20.

Ex Ss. Patribus

Hoc est profecto odio odisse, ut vitia non homines odieris, nec vitia propter homines diligas. *Aug. sup. Psal. Perfecto odio* etc.

Sicut Rex in imagine sua honoratur, sic Deus in homine diligitur et oditur. Non potest hominem odire, qui Deum amat, nec potest Deum amare qui hominem odit. *Chrys. sup. Matth.* XII.

In comparatione odii ira festuca est, sed festucam si nutrias, trabs erit: si evellas, et proiicias, nihil erit. *Aug. ser. de temp.*

Qui scit se vel unum hominem odio habere, nescio, si ad Altare Domini possit accedere, cum praecipue Joannes Evangelista terribiliter clamet, et dicat, *qui fratrem suum odit, homicida est.* Nam verum est judicare utrum homicida, antequam poenitentiam agat, praesumere debeat Eucharistiam accipere. *Aug. ser. de temp.*

O quicumque ille es, attendis, quid tibi fecerit homo, et non consideras, quid tu feceris Deo, cum enim tu multum graviora in Deum peccata commiseris, quare non dimittis homini parum, ut tibi Deus dignetur remittere multum. *Aug. ser. V de S. Steph.*

Irascimini, inquit David, *et nolite peccare.* Hoc quid velit intelligi, plenius Apostolus interpretatur. *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Quid agemus nos in die judicii, super quorum iram non unius diei, sed tantorum annorum sol testis occubuit? *Hier. ep. XXXVI.*

Nihil tam contrarium, tam execrabile Deo, quam aliquem odisse. *Hier. ep. XIV ad Maur. fil.*

Nec Deum laudare, nec ab eo exaudire meretur, qui odium servat in corde. *Aug. ser. IX ad frat. in Erem.*

Sicut qui caritatem habet, is Deum habet, sic qui odium habet, is diabolum in seipso nutrit. *Basil. de inst. Monac.*

Vitam animae quaelibet culpa polluit, servatus vero dolor contra proximum occidit: menti namque, ut gladius figitur, et mucro illius ipsa viscerum occulta perforantur. *Greg. Moral.* lib. X.

Qui ergo motum nocendi habet in animo, debet judicare se reum. Si autem prodeat in contumeliam adversus fratrem, eget reconci-

liatione. Si autem non judicat se reum, nec fratri vult reconciliari, ex contemptu perseverans in odio, reus erit gehennae. *Greg. hom. V sup. Matth.*

Haec est pugna periculosa, et haec gloriosa victoria, qui poterit odisse quod amat, et amare, quod odit. *Idem ibid.*

Perfectum odium est, homines diligere, et eorum vitia semper horrere: nam in illa parte, qua creaturae Dei sunt, amandas esse non dubium est: in illa iniquitate horrendi sunt, in qua se polluerunt. Tales placere non possunt, nisi eis, quo factis similibus replicantur. *Cass. sup. illud psal. Perfecto odio etc.*

Quid in homine rationalitate gloriosius, quae est illi Deoque communis? At inter passiones, nulla ita ac odium contrariatur rationi. Odium enim ad tempus a solio rationis hominem deturbat, belluinos et ferinos mores ingerit, feram faciens ex homine: Monstri ad instar est homo inhumanus, et ad saevitias, ad odium, ad vindictam ardens. Nam sicut fraterna dilectio, utpote virtus, est rationi conveniens: ita odium, utpote feritas vitii, est disconveniens rationi. Memento Principem apostolorum appellare Christianos, *regale sacerdotium*: ac sicut rex subditis, ita christiani passionibus debent dominari: et sicut munus sacerdotis est, immolare victimas: ita tu debes sacrificare Deo omnes inordinatos affectus. Odium habere, est habere gladium, et ignem. *Qui alios nocere desiderat, similes est illi qui gladio se transuerberat* (*Aug. sup. Psal. LXI*). *Et si accendere vis, prius ardeat te* (*Idem ibid.*). Malum est igitur in corde odium retinere, quia sicut ignis propriam de qua nutritur consumat materiam; sic odium, omnia merita ad nihilum redigit, et sicut fornax Babylonis combussit ministros, qui eum incederunt. Sed perpende mecum. Grandia tibi debita remittit et post tot peccata, non te odit Deus, tu ne verbum quidem remittis proximo? Quid indignius? vis tollerari, et nihil tolerare! Remissa tibi sunt gravia, tu non remittis minima! *Sic et Pater meus faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris* (*Matth.* XVIII). De toto corde igitur oportet non solum hoc tollere odium, sed etiam ignoscere, si nolumus in illam Domini increpationem incurrere. *Serve nequam omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut ego tui misertus sum?* (*Matth.* XVIII). Quidam, non ignoro, non dimittunt offensas nisi semiplene quia aliquas dimittunt, aliquas non: alii non dimittunt nisi habeant magnum emolumentum; alii nisi diu rogentur. Deus autem dimittit totaliter si-

ne exceptione; ideo dicitur *omne debitum*. Eodem modo debet quilibet inimico reconciliari, corde ipsum diligendo, ore pro ipso orando, opere ipsi serviendo, si necessitas postulat. Ista tria notantur, cum dicitur: *Diligite inimicos vestros; benefacite his, qui oderunt vos. Benedicite maledicentibus vobis, et orate pro calumniantibus vos* (*Luc.* VI).

23. Turpiloquium et verba scurrilia

Ex Sacris Scripturis

Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? . . . Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua etc. *Psal.* XIV, 1, 3.

Quid gloriaris in malitia . . . . Tota die injustitiam cogitavit lingua tua. . . Dilexisti malitiam super benignitatem; iniquitatem magis, quam loqui aequitatem. Dilexisti omnia verba praecipitationis, lingua dolosa. Propterea Deus destruet te in finem: evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo; et radicem tuam de terra viventium. *Psal.* LI, 1 et seq.

De fructu oris tui homo saturabitur bonis: anima autem praevaricatorum iniqua. Qui custodit os suum custodit animam suam qui autem incosideratus est ad loquendum, sentiet mala. *Prov.* XIII, 3.

Os lubricum operatur ruinas. *Prov.* XXVI, 28.

Verbum nequam immutabit cor: ex quo partes quatuor oriuntur, bonum et malum, vita et mors: et dominator illorum est assidua lingua. *Eccl.* XXXVII, 21.

Flagelli plaga livorem facit, plaga autem linguae comminuit ossa. *Eccli.* XXVIII, 31.

Attendi, et auscultavi: nemo, quod bonum est loquitur. *Jerem.* VIII, 6.

Nunc autem deponite et vos omnia; iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. *Gal.* III, 8.

Fornicatio autem et omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos: Aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quae ad rem non pertinet: sed magis gratiarum actio. *Eph.* V, 3, 4.

Ex Ss. Patribus

Vis scire, quantum sit malum turpia loqui? Considera audientes, quomodo rubore suffundantur dum loqueris turpia: quid e-

nim vilius est homine turpiloquio? Quid satius est purulentiam ab ore dimittire, quam verbum obscaenum. *Gris. hom. in II Cor.*

Nihil perinde offendit sanctum, ac purum, ut verba turpia: nec alia res aeque improbas, sicut turpia vel dicere, vel audire: nihil ita dissolvit nervos pudicitiae ut haec pertinax flamma. Unguentum praetiosum in ore tuo posuit Deus, tu vero cadavere foetidiora ibi reposuisti verba, ipsamque interius animam torpidam, et immobilem reddis. *Gris. in II Cor.*

Turpia verba per aures ingressa, quid praevalent, si non fuerint arbitrio mentis admissa? quando autem praevalent, non ipsam corrumpunt mentem, sed jam corruptam sponte reperiunt. *Prosp. lib. III de vit. contempl. c. VI.*

Nunquam verbum inhonestum audias, perditae mentes hominum eas frequentare, levique sermone tentat claustra pudicitiae: *Hier. ep. VIII ad Demet.*

Cum otiosa verba tamquam minima spernimus, ad turpia, atque inhonesta dilabimur. *Bern. ser. de trip. gen. cogit.*

Plerique turpitudinis opera non exercent, sed linguam a turpi locutione non cohibent. *Greg. lib. VI in I Reg.*

Ubi verba turpia, ibi daemones, et diabolus exultat. *Gris. ohm. LXXI, in Matth.*

Erras homo, non sunt haec ludicra, sunt crimina. Quis de impietate ludit, de sacrilegio, quis iocatur? piaculum quis dicit risum? satis se decipit, qui sic sentit. *Chrysol. ser. I.*

Alliga sermones tuos ne luxurient, ne lascivient et ripis coarceantur, cito lutum colligit amnis et undas. Jugum sit verbis tuis et statera atque mensura, ut sit gravitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus. *Ambr. lib. I de Offic.*

Ingreditur mors, per ostium tuum, si falsum loquaris, si turpiter, si procaciter, si ubi non oportet, loquaris. *Ambr. lib. I de Virginit.*

Pravi sicut in sensu lives sunt, ita in locutione praecipitur: quia quod levis conscientia concipit, levior protinus lingua prodit. *Greg. lib. V Moral.*

Nihil sit scurrilitatis, aut vanitatis, sed magis quidquid est gravitatis, et modestiae, quia Christiani vita in speculo posita est. *Hier. ep. LIII ad Ocean.*

Sepulchrum patens est guttur eorum (*Psal.* V). Talia sunt ora omnium qui turpia proferunt. *Gris. hom. II in Proph. Oseam.*

Noli pati linguam sordescere: quo enim pacto pro te deprecabitur, si libertatem propriam amittat? orna eam humilitate, atque modestia, dignam fac Deo, qui per eam rogatur. *Gris. in Psal. CXL.*

Sermones obscoenos nuncupant Patres, *ignea jacula diaboli*, quod innuere videtur Jeremias Propheta, aiens: *Pharetra ejus quasi sepulchrum patens, vas apertum immundum* (*Jerem.* V). Hoc vas immundum est cor, sedes impurae voluptatis, et libidinis receptaculum; pharetra non a Vulcano, sed ab orci fabro malitiose concinnata, est fallicis os, de quo jaciuntur jacula pestifera, venenata, ignea, quibus perit pudor, casti animi violatur integritas. Ad quod alludit Regius Vates: *Exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum suum* (*Psal.* LXIII). Verba enim sunt sagittae, et scurriles *paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde:* hoc est turpia verba concinnaverunt, ut pudicos feriant animos. Quemadmodum *qui loquitur sermonem Domini, jaculatur sagittas* (*Orig. in Psal.* XXXVII), quibus corda vulneret, et ad Dei amorem succendat; ita scurriles pharetris putentibus armati, ex foedo, ex foetenti suo ore emittunt sagittas venereas, quibus castas feriant animas, eisque lethale vulnus infligunt. Quod ut facilius exequantur, non solum emittunt sagittas, sed gladium adhuc evaginant. *Gladium evaginaverunt peccatores, intenderunt arcum suum* (*Psal.* XXXVI). Quod tunc evenit *quando sermo turpis tamquam de vagina foetenti ore profertur, quem cohiberi par fuit, et recondi* (*Amb. in Psal.* XXXVI). Ergo scurrilitatem, facetiam indecentem, sporcos cachinnos, dissolutiones excitantem, ut indecoram et impiam penitus devita. Utpote baptismo, vocatione, et professione sanctus et Deo consacratus, ideo ab omni immunditia esse alienus debes, ut in te non audiatur nomen immunditiae, aut turpidinis, obscoenitatis. Ideo Concilium Carthaginense damnat *Clericum scurrilem, et verbis turpibus joculatorem* (IV, can. 60). Sane Christiani, eo magis Clerici, ad loquendum *quaecumque pudica* (*Philipp.* IV) urgentur ex honore, et ex pudore. Ut hunc corporis honorem conservet Sacerdos debet a verbis scurrilibus abstinere, et colloquia Deo digna sectari. Hoc debes honore non solum quia profiteris disciplinam Christianam, quae est lex castitatis tum quia Deo consacratus; tum quia cum honore debes tractare carnem Christi in sacrificio. At scurrilis Sacerdotali nomine indignus, turpiloquio Deum, cui defert imaginem et est consacratum inhonorat; professionem castitatis, quam profitetur, dedecorat. Tandem corpus tot mysteriis chrismis, oleis consecratum, verborum obscoenitate prophanat. Porro quantum est absurdum, labia Christi evangeliis consacrata, immunda et damnabili verborum procacitate polluere? *Omnis*, igitur, *sermo malus ex ore vestro non procedat* (*Ephes.* V). Colloquia sectamini quae decent sanctos, sint Deo digna, conversationem angelicam, et coelestem sapiant. Amen.

24. Supra mortum plora

Ex sacris Scripturis

Fleveruntque eum (*Moysen mortuum*) filii Israel in campestribus Moab, triginta diebus: et completi sunt dies planctus lugentium Moysen. *Deut.* XXXIV, 8.

Apprehendens autem David vestimenta sua scidit, omnesque viri, qui erant cum eo: et planxerunt, et fleverunt, et jejunaverunt usque ad vesperam super Saul, et super Jonathan filium ejus, et super populum Domini, et super domum Israel, eo quod corruissent gladio. *II Reg.* I, 11, 12.

Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat, quid futurum sit. *Eccles.* VII, 3.

Fili, in mortuum produc lacrymas, et quasi dira passus incipe plorare, et secundum judicium contege corpus illius, et non despicias sepulturam illius. Propter delaturam autem amare fer luctum illius uno die, et consolare propter tristitiam. Et fac luctum secundum meritum ejus uno die, vel duobus propter detractionem. *Eccli.* XXXVIII, 16, 17, 18.

Ecce defunctus efferebatur filius unicus matri suae . . . Quam cum vidisset Dominus . . . . dixit illi: Noli flere. *Luc.*VII, 12, 13.

Curaverunt Stephanum viri timorati, et fecerunt planctum magnum super eum. *Act.* VIII, 2.

Quae enim secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur: saeculi autem tristitia mortem operatur. *II Cor.* VII, 10.

Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et caeteri, qui spem non habent, etc. *Thess.* IV, 12.

Ex Ss. Patribus

Erudit nos Dominus suis lacrymis quonam modo caros nostros vita functos, moderatis, ac lege rationis moderatis lacrymis flere debeamus, nam ex toto nec compati, nec moerere ferinum est, et durum: morum vero exuberantia, muliebre. *Cyrill. Alex. lib. VII in Joan.* cap. XX.

Circa defunctos ne temere plangeamus, sed quid? plangeamus peccatores, non tantum defunctos, verum, et viventes. *Gris. hom. LIX ad pop. Ant.*

Videmus mortuos quotidie plangere mortuos suos, fletum mul-

tum, et fructum nullum: non culpamus affectum, nisi cum excedit modum, sed causam; illae nimirum naturae est, et ejus turbatio poena peccati: haec vero vanitas est peccatum. *Bern. ser. XXVI in Cant.*

Antiquorum justorum funera officiosa pietate curata sunt, et exequia celebrata, et sepultura provisa, ipsique cum viverent, haec de sepeliendis, vel etiam transferendis suis corporibus filiis mandaverunt. *Aug. de Civ. Dei* lib. I, cap. XIII.

Sepulturam non prohibebo, sed modus servetur, ut legatur corpus. *Tert. lib. de poen. VII.*

Nec illa quidem impatientiae species excusatur in amissione nostrorum, ubi aliqua doloris patrocinatur affectio. *Tert. lib. de poen.* IX.

In Lazari nece Maria soror flet, quia nec fratrem retinere potuit, nec morti potuit obviare, quae licet esset de resurrectione secura, destitutionem tamen solatii praesentis, mora absentiae tam longae, tristitia diutinae separationis, non potuit non deflere simul quia tum crux, tum funera, tum crudelissima imago mortis quamvis fidelem mentem non potuit non tangere, nec movere. *Chrys. ser. LXIV.*

Tristitia nobis data est, non ut in morte aut alia in re doleamus, sed ut doleamus peccata. Tristitia peccatum tollit non alias aegritudines . . . ergo tristitia tantum facta est propter peccatum, a quo nata est. *Chrys. hom. V ad pop.*

Flendum sollummodo est pro amisso paradiso, aut pro commisso peccato. *Laur. Just. lib. de orat.* cap. VII.

Oblitus errorum meorum plorabam Didonem mortuam, quae se occidit ob amorem, cum interea meipsum in his a te morientem, Deus meus, vita mea, siccis oculis ferrem miserrimus. Quid enim miserius misero non miserente seipsum, et flens Didonis mortem, quae flebat amando. Eneam, non flente autem animam suam, quae flebat non amando te? *Aug. Conf.* lib. I, cap. XIII.

In proximorum morte lacrymarum damnatur excessus: temperata laudatur moderatio: nam diuturnior luctus lederet Christianos, qui se in terris peregrinari credunt, aeternamque in coelis sperant habitationem. Magnus luctus magna pietas saepe putatur, et saepius degenerat in impietatem. Dandum est igitur aliquid amori, et dolori in charissimorum interitu. Idcirco in Lazari morte non fleverunt sorores, flevit et Dominus tum ut suum erga Lazarum demostraret amorem, tum ut Mariae, et Marthae mitigaret dolorem, et lacrymas temperaret. *Flebat Dominus*, non quod an-

te se mortuum periisse cognosceret, sed quod sororem fletus temperaret. Tantum abest, ut Christus moderatam in defunctos proximos damnet pietatem : quin imo amoris lacrymas suo approbat exemplo. Ante sepulturam Sarae, planxit semel Patriarcha Abraham: post sepulturam autem nequaquam flevisse legitur: ut fideles suos per hoc sancta Scriptura doceat, mortuos moderate deflendos, et tunc tantum cum in promptu adest funus : quidquid enim aliud postmodum agitur praeter orationes, eleemosynas, et oblationes pro eorum animabus, videtur ex infidelitate procedere: admonente nos Apostolo, ne super mortuos contristemur, sicut caeteri qui spem non habent. Luctus inceptio erga veros Christianos consummatio est: parturiunt oculi lacrymas, quas statim patientia simul tumulat cum defuncto.

25. Attentio in oratione

Ex Sacris Scripturis

Tunc accessit ad eum (*Jesum*) mater filiorum Zebedaei cum filiis suis, adorans, et petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo. Respondens autem Jesus dixit: Nescitis quid petatis. *Matth.* XX, 20 et seq.

Videte, vigilate, et orate : nescitis enim quando tempus sit. *Marc.* XIII, 33.

Spiritus est Deus: et eos qui adorant eum, in spiritu, et veritate oportet adorare. *Joan.* IV, 24.

Similiter autem et Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus : sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Rom.* VIII, 26.

Orabo spiritu, orabo et mente, etc. *I Cor.* XIV, 15.

Orantes omni tempore in spiritu. *Ephes.* VI, 18.

Petitis, et non accipitis: eo quod male petatis: ut in concupiscentiis vestris insumatis. *Jacob* IV, 3.

Ex Ss. Patribus

Tunc porro in toto corde clamatur quando aliunde non cogitatur, tales orationes raree sunt multos, crebrae paucis, utrum nec cuiquam nescio. *Aug. sup. Psal.* CXVIII.

Cum oras, clama non voce, sed mente. Nam et tacentes accedit Deus, nec quaeritur locus, quantum sensus. Hieremias confortatur in carcere: Daniel inter leones exultat. Tres pueri in for-

nace tripudiant: Job nudus in stroquilinio triunphat: paradisum de cruce latro invenit; non est locus, ubi non sit Deus. *Aug. in serm. de quadrag.*

Quid prodest strepitus labiorum, ubi cor est mutum? Sicut enim vox sine modulatione est quasi vox porcorum, sic oratio sine devotione, est quasi mugitus bovum. *Isid. de sum. bon.* lib. III, cap. VIII.

Ipsius est oratio perfecta, cujus et causa clamat, et lingua et actus, et sermo, et vita, et cogitatio non dissentiunt. *Cass. sup. Psal. XVII Exuedi Dom.*

Consuetudo erat ei, sine eis orare in quo docemur tempore orationis quaerere secretum, et fugere tumultum. *Chrys. sup. Matth.* XXII.

Vis loqui cum Deo? attende sis. Vis audiri? te ipsum prius, quid loquaris, audi. Nec si properes, ne frustra ores. *Ephr. in Atten. Orat. XII.*

Si quis intendat ita animam suam in singula verba psalmorum, sicut gustus est ad discretionem saporis ciborum, iste est, qui complet, quod dicitur: *psallite sapienter. Idem ibid.*

Quomodo erit Deus in medio tui, si tecum ipse non fueris? si deest ille, qui poscit, quomodo aderet ille, quo poscitur? quomodo suscitabitur Judex, si dormitaverit advocatus? *Eus. Emiss. in Luc.*

Saepe in ipso orationis sacrificio importunae se cogitationes ingerunt, quae hoc rapere, vel maculare contendunt, quod in nobis Deo flentes immolamus: unde Abraham cum ad occasum solis sacrificium offerret, instistentes aves pertulit, quas studiose, ne oblatum sacrificium raperent, abegit; sic nos cum in ara cordis holocaustum Deo offerimus ab immundis hoc volucribus custodiamus, nec maligni spiritus, et perversae cogitationes rapiant, quod mens nostra offerre se Domino utiliter sperat. *Greg. Mor.* lib. XVI, cap. XIX.

Magnam injuriam Deo facio, cum illum precor, ut meam precem exaudiat, quam ego, qui fundo, non audio; deprecor illum, ut mihi intendat, ego vero nec mihi, nec illi intendo: sed quod deterius est, inutilia, et immunda in corde versando, foetorem orribilem, ejus aspectibus ingero *Bern. Med.* cap. VIII.

Unde vos moneo, dilectissimi, *pure*, semper, et *strenue* divinis interesse laudibus; *strenue* quidem, ut sicut reverentes, ita, et alacriter Domino assistatis, non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non praecidentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis, et remissis vocibus, sed, ut dignum est, et sonitu, et affectu voces S. Spiritus depromentes. *Pu-*

re vero, ut nihil aliud, dum psallitis, quam quod psallitis, cogitetis. Spiritus Sanctus illa hora gratum non recipit quidquid aliud, quam debes, neclecto eo quod debes, obtuleris. *Bern. ser. XLVII in Cant.*

Iesus Christus qui est Deus solus docere potuit, quomodo orandum, ut nostra oratio ascendat ad coelum, commendans Patri, quae Ipse docuit. A Christo ergo edoctus Christianus orationi vacari debet, quae Dei animata spiritu ascendat in coelum. Ut autem nostra possit are in coelum oratio, debemus orare cum attentione, ne aliquid oscendere proferamus et aliter in mente tractemus. Inter aves nulla est adeo cogitabunda ut columba praesertim in solitudine a socio vel per mortem, vel absentiam separata. Quare Rex Ezechias Prophetae annuntianti ei latam a Deo in ipsum sententiam ait: *Meditabor ut columba* (*Isa.* XXXVIII). Christianus tamquam spiritualis columba attente, cogitabundus orare debet. Et quomodo quaeritur thesaurus, idest cum maxima attentione, ita gratiam Dei quaerere debemus in oratione cum maxima attentione. Unde habetur in Proverbiis: *Si quaesieris eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam* (*Prov.* II). Vis ut olocaustum tuum pingue fiat? *Ante orationem praepara animam tuam* (*Eccles.* XVIII). Cum oraveris, intra cubiculum cordis tui, et claude ostium ne pateant mundanorum phantasmatibus, et cogitando quae oras, ne dissipes spiritum tuum huc illuc vacando. Psalle spiritu, psalle et mente, ora spiritu et mente: ora fervide, ut valeas Deo dicere cum Regio Vate: *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso*: orationes scilicet, quae procedunt a corpore modeste composito, a fervore ex attentione orationis, a mente per puritatem intentionis. At quoties deprecatus es Deum, et ne de Deo quidem cogitasti: sonum deprecationis habere potuit oratio tua, sed non fervorem, quia ibi attentio defuit! Forte usque adhuc non sic orasti! Grandis hic error est. Agnosce tuam stoliditatem, et statue in posterum observare, quae decent orationem. Tunc effectus orationis erit certus, et infallibilis, Deus enim promisit. Confide etc.

26. Mater Boni Consilii

Ex Sacris Scripturis

Audi verba mea, atque consilia, et erit Dominus tecum. *Exod.* XVIII, 19.

In corde meo consilium corrobora, ut domus tua in sanctificatione tua permaneat. *Judith* IX, 18.

Det tibi (*Deus*) gratiam, et omne consilium tui cordis sua virtute corroboret. *Judith.* X, 8.

Conservásti animam tuam, eo quod tale reperisti consilium, ut descenderes ad dominum nostrum. *Judith* X, 15.

Ecce Simeon frater vester (*sic et Maria mater vestra*) scio quod vir consilii est : ipsum audite semper, et ipse erit vobis in pater. *I Mach.* II, 65.

Custodi legem atque consilium, et erit vita animae tuae. *Prov.* III, 21.

Ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus . . . . meum est consilium et aequitas. *Prov.* VIII, 12, 14.

Salus autem, ubi multa consilia. *Prov.* XI, 14.

Audi consilium et suscipe disciplinam, ut sis sapiens in novissimis tuis. *Prov.* XIX, 20.

Scientia sapientis tanquam inundatio abundabit, et consilium illius sicut fons vitae permanet. *Eccli.* XXI, 16.

Ex Ss. Patribus

Sicut Filius ejus est Sapientia genita et incarnata: sic ipsa est Sapientia illum gignens, et incarnans. *A Lapid. in cap. XXIV Eccli.*

Consilium praecipuum peccatoribus, ut poeniteant. *Goffred. Ab. ser. in omn. fest. B. V.*

Profundissimum Divinae sapientiae, ultra quam credi valeat, penetravit abyssum; ut quantum sine personali unione Creaturae conditio patitur, luci illi inacessibili videatur immersa. *Bern. sup. sign. M.*

Praeest sanctis consiliis immissionibus sanctis. *A Lap. in Prov.* cap. VIII.

Ipsa in sapientia, et cunctis charismatibus, donis, perfectionibus, atque excellentiis, super omnes Creaturas benedicto Filio suo Redemptori nostro quam simillimo et proxima est. *Joan. Geom. hymn. IV de B. M. V.*

Consilium ineffabile, et quod plane cognosci non potest ejus, quae est ante principium, curationis hominum. *And. Cret. orat. III de Dor. Beat. Mar.*

Institue consilium in animo : nihil enim est illo tibi fidelius. *Bonav. in Spec. B. Virg.* cap. VIII.

Consilium omnium gentium. *German. ser. V in laud. Virg.*

Salve Deipara Maria, venerandus totius orbis thesaurus, lampas inextinguibilis, corona virginitatis, sceptrum rectae doctrinae, templum indissolubile, locus ejus qui loco capi non potest, mater et Virgo. Salve per quam Sancta Trinitas glorificatur, et adoratur per quam praetiosa crux celebratur, et in universo orbe adoratur, per quam Angeli, et Archangeli laetantur, per quam daemones fugantur, per quam tentator diabolus coelo decidit, per quam prolapsa natura in coelum assumitur, per quam universa creatura, idolorum vesania detenta, ad veritatis agnitionem pervenit. *Cyrill. Ep. Alexandr. Hom. habita in Conc. Ephes.*

Licet solus Christus sit causa principalis, et primaria, et efficiens nostrae salutis, et redemptionis: non impertinenter tamen Deipara nuncupatur a Patribus Redemptrix, Reparatrix, Renovatrix, Reformatrix, Cooperatrix, Mediatrix, Causa nostrae salutis, gratiae donatrix; tum quia potentissimis et efficacissimis suis precibus, suspiriis, desideriis de congruo meruit incarnationis accelerationem: tum quia concepit, et peperit Christum salutis auctorem, et redemptorem: tum quia stans juxta Crucem, voluntatem suam Redemptoris voluntati conformavit. Nonne tot, et tanta obtenta per Mariam beneficia sunt memoriae consignanda, mente recogitanda, et pietate celebranda? Unde et merito nuncupatur Æterni consilii opus. Ut cognoscatur autem quantum conveniat Virgini Mariae hoc gloriosissimum nomen *Mater Boni Consilii*, consideranda est cognitionis Mariae sublimitas; quae Prophetarum, Evangelistarum, Apostolorum, et Angelorum, et viatorum superavit notitiam. Accepit enim a Spiritu Sancto singulare donum, quod datum fuit Scriptoribus sacris ad canonicam scripturam scribendam: uti enim scriptori canonico Spiritus Sanctus dictavit singula verba, ita Beatae Virgini dictat singula consilia, quae suis fidelibus dictari solent ad eam confugientibus.Evangelistae iam facta clare, et perspicue referunt, quae Prophetae futura nonnunquam obscure praedixerunt: Mariam *Evangelistam* nuncupat adhuc Bernardinus Sen.(*tom. II, ser.II de Virg.*).Et non immerito Maria juxta etymon nominis *doctrix*, seu *magistra* interpretatur, ac per consequens per suam doctrinam Consilii nomen optime vindicavit sibi, cum consilium filius sit doctrinae. Et si Paulus qui raptus fuit usque ad tertium coelum, audivitque arcana verba, quae nen licet homini loqui: quanto magis beata Virgo quae non solum secundum humanitatem, sed etiam secundum divinitatem, et contemplari, et plus omnibus cognoscere meruit, fuitque Paulo longe sapentior, et longe superius est Consilium ejus? Hinc et consilium et effectus sapien-

tiae, et quanto plus habetur cognitionis et scientiae tanto profundius est consilium; quale, quaeso est Consilium Virginis? Merito igitur datur Virgini ad honoris et gloriae nomen, illud prae ceteris Mater Boni Consilii. Quo declaratur non solum sua gloria et honore, sed etiam bona omnia quae nobis eveniunt hoc invocato titulo. Quae omnia clare possunt intelligi in ejus oratione, quae ab Ecclesia recitatur ad honorem Mariae de Bono Consilio, dicens: Bonorum omnium largitor Dominus, qui Genitricis dilecti filii tui speciosam imaginem mira apparitione glorificare voluisti, etc.

27. Providentia Dei

Ex Sacris Scripturis

Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus; populus quem elegit in haereditatem sibi. De coelo respexit Dominus: vidit omnes filios hominum. . . Qui finxit singillatim corda eorum: qui intelligit omnia opera eorum. *Psal.* XXXII, 12, et seqq.

Extendens Coelum sicut pellem: qui tegis aquis superiora ejus. . . . Qui fundasti terram super stabilitatem suam: non inclinabitur in saeculum saeculi. . . . Qui amittis fontes in convallibus : inter medium montium pertransibunt aquae . . . . Rigans montes de superioribus suis : de fructu operum tuorum satiabitur terra. Producens foenum jumentis , et herbam servituti hominum. Ut educas panem de terra; et vinum laetificat cor hominis. . . Quam magnificata sunt opera tua, Domine; omnia in sapientia fecesti : impleta est terra possessione tua. . . . *Psal.* CIII, 3 et seq. et sic per totum.

Omnia a te (*Deus*) expectant , ut des illis escam in tempore : Dante te illis, colligent, aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Avertente autem te faciem, turbabuntur, etc. *Psal.* CIII, 27 et seq:

Deus operit coelum nubibus: et parat terrae pluviam, etc. *Psal.* CXLVI, 8.

Ne dederis etc. neque dicas coram Angelo : Non est providentia , ne forte iratus Deus contra sermones tuos , dissipet cuncta opera manuum tuarum. *Eccles.* V, 5.

Pusillum et magnum ipse fecit (*Deus*) , et aequaliter cura est illi de omnibus. *Sap.* VI, 8.

In manu enim illius (*Dei*) et nos, et sermones nostri, et omnis sapientia. *Sap.* VII, 11.

Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. *Sap.* VIII, 1.

Tua autem, Pater, providentia gubernat. *Sap.* XIV, 3.

Ego Dominus, et non est amplius: extra me non est Deus. Ut sciant hi, qui ab ortu solis et qui ab occidente, quoniam absque me non est. Ego Dominus et non est alter. Formans lucem, et creans tenebras; faciens pacem, et creans malum: ego Dominus, faciens omnia haec. *Isa.* XLV, 5.

Si autem foenum agri, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos, modice fidei? Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? . . . Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis. *Matth.* VI, 30.

Considerate corvos, quia non seminat, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, et Deus pascit illos: quanto magis vos pluris estis illis? *Luc.* XII, 24.

In ipso enim (*Deo*) vivimus, et movemur, et sumus. *Actor.* XVII, 28.

Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum (*Deum*), quoniam ipsi cura est de vobis. *I Petr.* V, 7.

Ex Ss. Patribus

Providentia Dei omnia gubernantur, et quae putatur poena, medicina est. *Hier. sup. Ezech.*

Omnem curam vestram super Dominum mittite; prorsus vos ipsos totos projicite in illum: de ipsis capillis nostris securitatem nobis dedit: *capilli capitis vestri numerati sunt.* Capilli nostri numerati sunt Deo, quanto magis mores nostri, cui noti sunt capilli nostri? videte, quia nec minima nostra contemnit Deus. Nam si contemneret, non curaret; nam et capillos nostros utique creavit, et numeratos habet, sed modo cum sunt, inquis, forte peribunt? et hinc audi vocem ejus: *dico vobis: capillus capitis vestri non peribit. Aug. ser. VI de verb. Dom.*

Pascet te, qui fecit te; qui pascit latronem, non pascet innocentem? pascet te, qui solem suum oriri facit super bonos, et malos, et pluvit super justos, et injustos; si pascit damnandos, non pascet liberandos? *Aug. in Psal.* LXI.

Constanter Deo crede, eique te totum committe, quantum potes: ita enim te ad se sublevare non desinet, nihilque tibi evenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias. *Aug. Solil.* lib. I, cap. XV.

Cum viderimus aliquum servum Dei providere ne ista necessaria sibi desint, non judicemus eum de crastino solicitum esse: nam et ipse Dominus propter exemplum loculos habere dignatus

est: et in actibus Apostolorum scriptum est: Ea quae ad victum sunt necessaria, procurata esse in futurum propter imminentem famem. *Aug. de ser. Dom. in mont.*

Cujus, et corvi non serunt, neque metunt, nec in apothaeas condunt, et tamen aluntur ab ipso: cujus et lilia, et foenum non texunt, neque nent, et tamen vestiuntur ab ipso; cujus, et Salomon gloriosissimus, nec ullo tamen flosculo cultior. *Tert. advers. Marcion.* lib. II, cap. XVI.

Necesse est eundum esse eorum, quae sunt, et factorem, et provisorem: nam neque decet, neque consequens est, alium factorem esse eorum, quae sunt, et alium provisorem; sic enim imbecillitati, et debilitati uterque subiaceret. *Damas. de fid.* lib. II, cap. XIX.

Haec procul a fidelibus, quibus nulla cura tolerandae vitae, nisi si diffidimus de promissis Dei, qui lilia agri tanta gratia vestit; qui volatilia coeli nullo ipsorum labore pascit, qui prohibet de crastino victu, vestituque jurare, spondens scire si quid cuique servorum suorum opus sit. *Tert. lib. IV adv. Marc.* XXIX.

Quis nollet nos curam gerere animae de victu, et corporis vestitu, nisi qui ista homini ante prospexit, et exinde praestans, merito curam eorum tamquam aemulam liberalitatis suae prohibet, qui et substantiam ipsius animae accomodavit potiorem esca, et materiam ipsius corporis figuravit potiorem tunica. *Idem ibid.*

Circa divinam providentiam tres impias, et erroneas invenio sententias. Prima est Atheistarum, *qui tot saeculis, tot ingeniis assertam, atque defensam providentiam calumniati sunt* (*Lact. lib. de ira Dei* cap. IX). Negant autem divinitatem, dum providentiam destruunt. Secunda Aristoteli tribuitur, qui providentiam coarctat, Deoque concedit coelestium curam: sublunarium, et terrestrium negat. Tertia est Stoicorum, qui cuncta quae accidunt homini, fato, necessitati et fortunae caecutienti tribuunt. Quam sint erroneae hujusmodi sententiae nemo est qui non videt. Nam prima negando divinam providentiam; etiam divinitatem negat. Secunda immensitatem Deo tollit, et coelo velut in ergastulo includit. Tertia Deo dominationem, et homini aufert libertatem. Adversus has stolidas opiniones clamitant cuncti veteres etiam Philosophi. Nam cunctae veterum Philosophorum sectae reducuntur ad Stoicos, Academicos, et Peripateticos. Stoici Zenonem agnoscunt ducem et magistrum, Academici Platonem. Peripatetici Aristotelem: qui licet intra se dissonent, et varie de Philosophia sentiant; tamen ad unitatem providentiae omnes conveniunt. Peripatetici ex D. Thoma rerum sublunarium curam Deo denegantes, semetipsos retractarunt; et Aristo-

teles eorum princeps apertis fatetur terminis: *Quod in navi gubernator, in curru auriga, in civitate lex, in exercitu imperator, hoc idem in mundo est Deus* (*Arist. lib. de Mun.*). Academici qui, et dicuntur *Platonici Deum curantem rerum* (*Tert. Apol.* XLVII) existimant, et hanc doctrinam a suis praedecessoribus quasi jure haereditario se accepisse gloriantur. Eadem est mens Stoicorum ac Academicorum, et Peripateticorum. *Sed et Stoici Deum malunt providentissimum humanae institutioni* (*Tert. lib. de An.* XLVI). Verum nos a Prophetis, et a Christo, non a Philosophis erudimur. Prophetae autem et Christus Dei providentiam praedicant. *Non est alius Deus, quam tu, cui cura est de omnibus* (*Sap.* XII). sic loquitur Sapiens. Aut enim Deus negandus est, aut providus confitendus. Dei providentiam praedicat Christus ex cura qua alit pullos corvorum, et vestit lilia agrorum. Quod si Deus tanta cura alit corvos, et tanta gratia lilia vestit, quanto magis hominibus providus est Deus? Si est Deus ergo utique providens est, nec aliter ei potest divinitas attribui, nisi et praeterita teneat, et praesentia sciat, et futura prospiciat. Cum igitur providentiam tollis; etiam Deum negas esse: cum autem Deum esse professus est, et providentiam simul esse concedis; alterum enim sine altero, nec esse prorsus, nec intelligi potest. Praeterea creaturarum creatio ita cum earum gubernatione, et cum earum productione connectitur, ut nullus eas valeat intelligere nisi earum artifex: alias uterque esset imperfectus. In Deo autem neque ignorantia, neque impotentia potest reperiri. Non ignorantia quia est summe sapiens: non impotentia, quia est omnipotens: ut omnipotens cunctas produxit creaturas: ut summe sapiens productas per suam potentiam creaturas sua providentia gubernat. Quosnam pater sua incuria quos genuit filios, negligit? quis artifex pravitate voluntatis reijcit opus, quod faciendum recta intellectus indicavit ratio? Ab hac providentia nullam excludit creaturam, *cui aequaliter cura est de omnibus* (*Sap.* VI). Non muscam, non vermiculum, non improbos, non malos, etc. a quibus gravissime offenditur. Recogita, per quae media te duxerit; quam suavissime, quam efficaciter. Ubi potes esse securior, quam si te totum Divinae providentiae committas quaod corpus, animam, etc.? Deus aliquando providentia sua immittit res adversas; sed facit, ut diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum. Josephi venditi recordare. Utitur enim illis ut mediis ad suos fines. Æstima ejus omnes dispositiones. Nec fallitur sapientia, nec fallit bonitas. Nihil tibi accidet, quod tuo non sit emolumento, et dic confidenter: *In manibus tuis sortes meae* (*Psal.* XXX).

28. Christus postpositus Barabbae

Ex Sacris Scripturis

Quasi pilam mittet te in terram latam et spatiosam: ibi morieris, et ibi erit currus gloriae tuae, ignominia domus Domini tui. *Isa.* XXII, 18.

Grex perditus factus est populus meus; pastores eorum seduxerunt eos. *Jerem.* L, 6.

Propter peccata prophetarum ejus, et iniquitates sacerdotum ejus qui effuderunt in medio ejus sanguinem justorum. *Thren.* IV, 13.

Per diem autem solemnem consueverat praeses populo dimittere unum vinctum, quem voluissent. Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Quem vultis, dimittam vobis? Barabbam, an Jesum, qui dicitur Christus? *Matth.* XXVII, 15, 16, 17, 20.

Praeses, ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt Barabbam. *Matth.* XXVII, 21.

Qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium. *Marc.* XV, 7.

Pontifices autem concitaverunt turbam, ut magis Barabbam dimitteret eis. *Marc.* XV, 11.

Erat autem Barabbas latro. *Joan.* XVIII, 40.

Ex Ss. Patribus

Nec rationem aliquam temporis habuerunt, quod erat Sanctum: nec humanitatis leges, nec aliud hujusmodi veriti sunt: sed invidia penitus superati ad protervitatem suam plebem corrumpunt. *Gris. hom. XXXVII in Matth.*

Hinc enim, se illum probare posse statuebant, quod latrone quoque sceleratior esset, tantisque flagitiis divinctus, ut nec misericordia, nec festi dignitas salutem ipsi afferre possent. *Gris. ep. I ad Olymp. in cap. XXVII Matth.*

Insatiabilis rabies ipsorum potius omnes nefandissimas poenas, quam ipsum Jesum liberi petiissent. *Bonav. med. Pass.*

O caecitas Judeorum! o furia phraeneticorum! Noli dimittere hunc sed Barabbam. Quis fuit hoc aliud dicere, quam occidatur ille qui suscitat mortuos, et dimittatur latro, ut iterum occidat vivos. *Aug. tract. CXXV in Joan.*

Frementes bestiae, o Judaei, convenistis, et clamoribus improbis interfectorem hominem eligeretis ad veniam, et Salvatorem mundi peteritis ad poenam! *Leo ser. III de Pass. Dom.*

Cadat, et conteratur homo iste amicus iniquitatis, contemptor Dei, amator mundi; si recte sentis, anima mea, mecum dices: crucifigatur. Noli ergo parcere: sed festinanter crucifige hominem istum. *Bern. Med.* cap. XVII.

O res mira praeter omnium opinionem! subdit mortis sententiam Christus; et statim Barabbas absolvitur. Non in judaeorum crudelitatem respice, id potius intuere, quod condemnationis ingressus, liberationis condemnatorum quidam ingressus fuit. *Athan. de Pass. Dom.*

Omnes qui peccant, Judaei similes fiunt, et Barabbam sibi solvi desiderant. Quicumque enim mala agit, solutus est in corpore ejus Barabbas, Christus autem vinctus. *Orig. tract. XXXV in Matth.*

Haeres judaeis usque hodie sua petitio, quam tanto labore impetrarunt; quia enim data sibi optione pro Jesu latronem, pro Salvatore interfectorem elegerunt; merito salutem perdiderunt et vitam; et latrociniis ac seditionibus se in tantum subdiderunt, ut patriam regnumque suum, quod plus Christo amaverunt, perdiderint et libertatem, corpus et animam nunquam receperint. *Beda in cap. XV Marc.*

Barabbas etiam, qui seditiones faciebat in turbis, dimissus est populo Judeorum, idest diabolus, qui usque hodie regnat in eis, et idcirco pacem habere non possunt. *Hieron. q. II ad Alg.*

Propter judaeos, ut qui noluerunt claritatem recipere veritatis, hoc est spiritum Dei per Christum . . . mittet illis Deus non operatorem, sed ipsam operationem, idest fontem erroris; ut credant mendacio etc. Nunc autem ideo judicandi sunt, immo procul dubio contemnandi, quia Christi veritate contempta, postea mendacium, idest antichristum suscepturi sunt. *Idem ibid.*

Proponit Pilatus Jesum cum Barabba, pro certo habens Judaeos potius liberaturos Jesum, quam Barabbam. Iniqua certe comparatio, qua confertur innocentissimus Jesus, coelestis doctor, omnium benefactor, donorum largitor, cum sceleratissimo, latro insignis; famosus in pravitate, et multi homicidiis inquinatus; comparans pacificum cum seditioso, auctorem, vitae cum homicida, Dei Filium, cum diaboli filio; Jesum sanctissimum cum Barabba perditissimo. Sed longe multo iniquior electio; nam et Barabbas quidem sceleratissimus, vita ut bonus donatur. Christus vero justissimus, ut homicida morti expostulatur. Petierunt Barabbam, ut perderent Jesum. O iniquissima temeritas! Christus pertransiit benefaciendo et sanando omnes (*Act.* X): Barabbas vero, sanguinem

fudit, cives interfecit. At seniores, et pontifices sanguinis, et necis Christi avidi, ob morum similitudinem cum Barabba, petiverunt virum homicidam dari sibi. Attamen semel a Pilato hanc injuriam tulit Jesus, a te toties, quoties amorem creaturae illius amori opposuisti : quoties statuisti cupiditatibus tuis obsequi, quam legi Dei. Quid egisti? . . . Tu defende virtutem in omni occasione . . . Persequere Barabbam . . . Dic animae tuae. Crucifigatur Barabbas; passio mea pessima mortificetur, pereat. Vivat Jesus in anima mea.

29. Scientia

Ex Sacris Scripturis

Haec est enim vera sapientia et intellectus coram populis, ut audientes universa praecepta haec, dicant: En populus sapiens, et intelligens, gens magna, etc. *Deut.* IV, 6.

Sapientia vero ubi invenitur? et quis est locus intelligentiae? Nescit homo praetium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium. *Job.* XXVIII, 12, 13.

Ecce timor Domini, ipsa est sapientia, et recedere a malo, intelligentia. *Job.* XXVIII, 28.

Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum. *Psal.* XCIII, 12.

Initium sapientiae timor Domini. *Psal.* CX, 9.

Verbum . . . Domini projecerunt, et sapientia nulla est in eis. *Jer.* VIII, 9.

Fili mi: si susceperis sermones meos, et mandata mea absconderis penes te, ut audiat sapientiam auris tua: inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam. Si enim sapientiam invocaveris, et inclinaveris cor tuum prudentiae: si quaesieris eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam : tum intelliges timorem Domini, et scientiam Dei invenies: quia Dominus dat sapientiam: ex ore ejus prudentia, et scientia. *Prov.* II, 1, et seq.

Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. *Sap.* I, 4.

Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante aevum. . . . Et effudit illam super omnia opera sua, et super omnem carnem secundum datum suum, et praebuit illam diligentibus se, etc. *Eccli.* I, 10.

Cor sapientis intelligitur in sapientia, et auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam. Sapiens cor et intelligibile abstinet se a peccatis, et in operibus justitiae successus habebit. *Eccli.* III, 31, 32.

Omnia autem Dominus fecit, et pie agentibus dedit sapientiam. *Eccli.* XLIII, 37.

Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia absondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. *Matth.* XI, 25.

Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, et dabitur ei. *Jac.* I, 5.

Quae autem desursum sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consensiens, plena misericordia, et fructibus bonis, etc. *Jacob* III, 17.

Ex Ss. Patribus

Non aliam putes esse sapientiam nisi veritatem, in qua tenetur et cernitur summum bonum, nullo loco est, nusquam deest, foris admonet, intus docet, dementes in se omnes in melius commutat, a nullo in deterius commutatur: nullus de illa judicat, nullus de illa bene judicat. *Aug. de lib. arbit.*

Non aurum, non divitias, non terrenam gloriam Salomon a Deo petiit: sed ut sciret populum Dei regere et judicare. Si hoc elegit rector corporum, multo magis hoc eligere debent rectores animarum. *Gloss. sup. ill. Reg. et Paral. Da mihi sapien. et int.*

Hac scientia lugent, qui sciunt, quibus malis vincti sunt; lügent, qui jam cognoverunt mala, quae tamquam bona, et utilia, ignorantes appetiverunt. *Aug. de ser. Dom.* lib. I, c. IX.

Volo animam primo omnium scire seipsam. *Bern. ser. XXXVI in Cant.*

Vides, quoniam non probat multa scientem, si modus sciendi nescitur; modus est, ut scias quo ordine, quo studio, quo fine, quaeque nosse opus. *Quo ordine*? ut id prius, quod maturius ad salutem. *Quo studio*? ut id ardentius, quod vehementius ad amorem. *Quo fine*? ut non ad inanem gloriam, curiositatem, aut aliquid simile, sed tantum ad aedificationem tuam vel proximi. *Bern. ser. XXXVI in Cant.*

Noveris te, ut Deum timeas; noveris Deum ut ipsum diligas. *Bern. ser. XXXVII in Cant.*

Multi quaerunt scientiam, pauci conscientiam. Si vero tanto studio, et sollicitudine quaereretur conscientia, et citius apprehenderetur, et utilius retineretur. *Bern. de consid.*

Docet spiritus scientiae reprobare malum et eligere bonum, item docet quid perniciosum sit, quidve expediat. *Bern. de don. S. S.*

Praecedit enim scientia virtutis cultum, quia nemo potest fide-

liter appetere quod ignorat, et malum nisi cognitum sit, non timetur. *Chrys. in polic.* lib. III.

Plerique accepta scientia literarum non ad Dei gloriam, sed ad suam laudem utuntur, dum de ipsa extolluntur, et ibi peccant, ubi peccata emendare debuerunt. *Isid.* lib. II *de sum. bon.*

Frustra in nobis divina cognitionis abundantia crescit, nisi in nobis divinae dilectionis flamma augescat. *Hug. de vanit. mund.*

Ignorantia mater cunctorum errorum maxime in sacerdotibus Dei evitanda est, qui docendi officium in populo Dei susoeperunt. Sacerdotes enim legere sanctas Scripturas frequenter admonet Paulus, dicens ad Timotheum: *Attende lectioni et exhortationi, etc.* Sciunt ergo Sacerdotes Scripturas Sanctas, et canones meditentur, omne opus eorum in praedicatione divina et doctrina consistat, atque aedificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina. *Conc. Tolet. Can.* XXIV, *Dist.* XXXVIII.

Si indoctus Doctor, quibus ignorantiae tenebris obvolvetur discipulus, auditor ? *Pastoral.* P. I, cap. I.

Salamon, non aurum, non divitias, non terrenam gloriam a Deo petiit: sed ut sciret populum Dei judicare et regere. Si hoc elegit rector corporum, multo magis hoc eligeret debent rectores animarum , ut observantiam evangelii populo demonstrent. Totius perfectionis compendium in literis sacris praesertim continetur. Si populi regendi sunt, si missiones committendae sunt ad animarum salutem, si juvenes erudiendi , si peccatores ad viam salutis revocandi, si poenitentes consolandi, si pauperes subveniendi, si etc. tibi necessaria erit scientia. Sacerdos quidem sine scientia, est navis sine remige , avis sine pennis. In scientia prudens invenit unde sapientior fiet; Episcopus quomodo populos regat; Iudex quomodo discrepantes sub aequalitate componat. Parochus quomodo animas sibi creditas ad pascula salutis dirigat:nec aliqua in mundo potest esse fortuna quam literarum non augeat gloriosa notitia. Et tamen scientia nostris temporibus pro nihilo fere habetur. Haec est Sol, per quem mentis lumen clarescit in tenebris, cordis oculus, animi paradisus: haec in coeleste terrenum, in immortale caducum,hominem in Dei participationem convertit.Ignorantia multorum est mater omnium malorum: cum per ignorantiam amittuntur omnia quae per scientiam cumulata fuerant. Literis enim carens Sacerdos ad officium suum aptus non est. In primis necesse tibi erit, ut scias quae populus debet credere et observare. Cum doctrina de fide,de Sacramentis,de Decalogo, de Praeceptis Ecclesiae etc. peritiam preces sacras recitandi, et Ecclesiasticorum rituum

ceremoniarumque notitiam conjunge. Non sit autem scientia tua saecularis. Piscatorum praedicationes Tullianis omnino literis praefer. Esto, ut docet S. Paulinus: *Peripateticus Deo*, *Pythagoraeus mundo*, *verae in Christo sapientiae praedicator* (*Ser. XVII*). Sis ut S. Joannes, *lucerna ardens et lucens* (*Joan.* V); est enim tantum lucere, vanum; tantum ardere parum: lucere et ardere, perfectum, ut loquitur S. Bernardus (*Ser. XII in Cant.*). *Aemulare charismata meliora* (*I Cor.* XII). Studia omnino vana devita, nec sis ut illi, qui, juxta expressionem Petri Blesensis, semper circumeunt montem Seir, nec unquam terram promissionis introeunt. Est eis coelum aeneum et terra ferrea; sunt scilicet sine affectione et sine devotione; sunt terra sine aqua, et quasi montes Gelboe, super quos *nec ros*, *nec pluvia descendit* (*II Reg.* I). Nihil ergo sapientia ardentius diligitur, nihil dulcius possidetur. Hinc est, quod perpauci sunt vere sapientes; quia admodum pauci Dei sunt justi: justi autem omnes esse potuissent, si id perfecte voluissent. Primum et essentiale, et necessarium obiectum tuae scientiae est Deus ipse, quoad essentiam, attributa, perfectiones omnes tam absolutas quam personales. Ex hac cognitione oritur infinita aestimatio Dei, et tuipsius vilissima ignorantia. Sit tuum praecipuum studium Deum cognoscere, et inde amare etc.

30. Pax vera

Ex Sacris Scripturis

Convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem. Invocabuntque nomen meum super Israel, et ego benedicam eis. *Num.* VI, 26-27.

Dabo pacem in finibus vestris: dormietis, et non erit qui exterreat. *Lev.* XXVI, 6, et seqq.

Benedicat tibi Dominus ex Sion; et videas bona Jerusalem omnibus diebus vitae tuae. Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel. *Psal.* LXXVII, 5, 6.

Fiat pax in virtute tua et abundantia in turribus tuis. *Psal.* CXXI, 7.

Benefac, Domine, bonis et rectis corde . . . pax super Israel. *Psal.* CXXIV, 4, 5.

Pax multa diligentibus legem tuam (*Domine*). *Psal.* CXVIII, 165.

Quia haec dicit Dominus: Ecce ego declinabo super eam (*Jerusalem*) quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis: ad ubera potabimini, et super genua blandientur vobis. *Isa.* LXVI, 12.

Et erit opus justitiae pax, et cultus justitiae silentium, et securitas usque ad sempiternum. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciae, et in requie opulenta. *Isa*. XXXII, 17, 18.

Et quaerite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci: et orate pro ea ad Dominum: quia in pace illius erit pax vestra. *Jerem*. XXIX, 7.

Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur. *Matth*. V, 9.

Bonum est sal: quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos. *Marc*. IX, 49.

Haec locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum. *Joan*. XVI, 33.

Ipse enim (*Christus*) est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem macerie solvens, inimicitias in carne sua . . . faciens pacem, etc. *Ephes*. II, 14, 15.

Et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras in Christo Jesu. *Philipp*. IV, 7.

Et pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore; et grati estote. *Coloss*. III, 15.

Ipse autem Dominus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco, etc. *II Thess*. III, 16.

Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. *Hebr*. XII, 14.

Qui enim vult vitam diligere, et dies videre bonos . . . inquirat pacem, et sequatur eam. *I Petr*. III, 10, 11.

Ex Ss. Patribus

Falsae pacis tres sunt species. Est enim pax aestimata, pax simulata, pax imperata. Num enim inter saeculares pacem quaerimus, dum discordes ad concordiam revocamus, aestimant saeculares, quod pacem inter nos habeamus: dum in vestimentis ovium foris eximus, et intus quasi lupi rapaces gregem simplicem fructum lacerando dispergimus, pacem simulamus, sed non habemus: dum vero praelato subditis imperant, et eos disciplinae legibus non coarctant, solummodo pacem docent, et non tenent: aestimant pacem saeculares, simulant perversi claustrales, imperant, et non tenent tepidi pastores. Sic igitur aestimatur a nescientibus, simulatur a non habentibus, imperatur a non tenentibus: sed verae pacis tres sunt species, scilicet pax probata, pax confirmata, pax certa. *Hugo de claustr. animae* lib. III, cap. IX.

Haec est vera pax, a Dei voluntate non dividi, et in his quae

solius Dei sunt, delectari; quando enim sensualitas nulla parte resistit voluntati, et voluntas nulla parte contradicit rationi, tunc est serenitas mentis, et tunc est regnum Dei. *Leo Pap. Ser. IX.*

Pax hominibus bonae voluntatis. Non bonae, sed plane iniquae voluntatis est, qui nequaquam pace contentus, superbo oculo, et insatiabili corde inquietus anhelat ad gloriam mundi, ne pacem perinde retinens, nec gloriam apprehendens. *Bern. sup. Cant.*

Lingua quandoque pacem praedicat, sed saepius turbat; cum autem habitus, cor et lingua concordant, pacem servant: ubi vero dissoluta discurrit, pacem solvit. *Hug. de claustr. anim.* lib. III, cap. IX.

Pax vera est concordiam habere cum moribus probis, et litigare cum vitiis. *Cass. sup. Psal. Factus est.*

Quae sunt amicae, justia et pax: tu forte unam vis, et alteram non facies. Nemo enim est, qui non velit pacem, sed non omnes volunt operare justitiam. Interroga omnes homines, vis pacem? uno ore respondebit tibi genus humanum: opto, cupio, amo, volo. Ama justitiam, quia duae amicae sunt justia et pax, ipsae se osculatur, si amicam pacis non amaveris, non te amabit ipsa pax, nec veniet ad te. Bona res est pax, sed fac justitiam, quia justitia, et pax osculatae sunt. Pax enim cum Deo per opera justitiae, et mandatorum observantiam conservatur. *Aug. in Psal.* LXXIV.

Ubi pax, ibi Deus; quia in pace factus est locus ejus: unde patet, quod sedes ejus bona voluntas est. *Bern. Serm. ad Past. congreg. in Synod.*

Pax tunc erit perfecta in nobis, quando natura nostra creatori suo inseparabiliter coharente, nihil nobis repugnabit ex nobis. *Aug. lib. de con.* cap. VII.

Qualis est ista pax, quam hic habent homines, tantis resistentibus molestiis, cupiditatibus, indigentiis, lassitudinibus? Non est ista vera, non est ista perfecta pax: sed perfecta erit, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem. *Aug. in Psal.* LXXXIV.

Religio, quam profitentur Christiani, et spes aeternae felicitatis, ad quam anhelant, sunt duo pacis et unitatis incentiva. Ad quam eos adhuc hortatur Apostolus: *Soliciti servate unitatem spiritus in vinculo pacis* (*Ephes.* IV). Ut autem ad hanc unitatem mentis et animi fortius eos stimulet Paulus, trina utitur ratione I. Proponit unitatem ejusdem Christi: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma* (*Idem, ibid.*). II. Eorum oculis obiicit unitatem coelestis Patris, de cujus filiatione gloriantur: *Unus Deus, et Pater omnium, qui est super omne et per omnia, et in omnibus nobis* (*Idem*

ibid.). III. Tandem sursum mentes extollite ad coelestem felicitatem, quam speratis. *Sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae* (*Idem ibid.*). Ad haec adde. Nos consociati, et confoederati sumus in spe, ut adipiscamur aeternam beatitudinem. Et a Christiana disciplina edocti sumus *in pace nos vocari ad Dominum Deum* (*Tert.* lib. II *ad Uxor.* 2), ut ejus possessione simus in coelo beati. Deus enim est obiectum beatitudinis, et pax est medium ad beatitudinem consequendam; et ut fatur Chrysol. *pax est futurae spei pignus idoneum* (*Ser. CXXXVIII*). Optimo ergo jure postquam Regius Vates de coelesti locutus est Jerusalem: *Lauda Hierusalem Dominum* (*Psal.* CXLVII), congregationem omnium Sanctorum ad laudandum Deum provocans protinus addidit: *Qui posuit fines tuos pacem. Ergo illius coelestis Hierusalem*, concludit Augustinus (*Ser. VIII de Comm.*) *murus de pace constructus est. Qui ergo talem pacem, et talem caritatem habet, coelestis Hierusalem portas apertas merebitur invenire: qui autem e contrario fuerit, ex omni parte portas clausas inveniet.* Et profecto si desideras pace potiri, sume arma, ini bellum, generose pugna. Pacis intentione geruntur bella etiam ab his, qui virtutem bellicam exercere student. Idcirco belligerans praeliando binam sibi comparant pacem, aeternam unam in coelis: non enim transis ad summam pacem, nisi magno strepitu prius cum tuis vitiis belligeraveris; alteram temporalem in semetipso; et ideo si pacis victoria placet, nequaquam displiceat mundi conflictus. Et ideo si adversitate gravaris, cum Deo ineas pacem, ut ipsemet asseverat Salvator. Ut in me pacem habeatis, in mundo pressuram habebitis. Hinc ut aeternam consequaris in coelo pacem, indicitur tibi bellum adversas carnis desideria, adversus inordinatos concupiscentiae motus, adversus perturbationes, et impetus passionum, adversus Daemonem, mundum, etc. Quam felix eris si hanc pacem habebis, a qua longe adhuc abes!

MAJUS

1. Mors justorum

Ex Sacris Scripturis

Ambulavitque (*Henoch*) cum Deo et non apparuit : quia tulit eum Deus. *Gen.* V, 24.

Et deficiens mortuus est (*Abraham*) in senectute bona provectaeque aetis, et plenus dierum : congregatusque est ad populum suum. *Gen.* XXV, 8.

Et completi sunt dies Isaac centum octaginta annorum, consumptusque aetate mortuus est: et appositus est populo suo senex, et plenus dierum. *Gen.* XXXV, 28, 29.

Justorum animae in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori : et aestimata est afflictio exitus illorum . . . illi autem sunt in pace. *Sap.* III, 1, 2, 3.

Justus autem, si morte preoccupatus fuerit, in refrigerio erit. *Sap.* IV, 7.

Timenti Dominum bene erit in extremis, et in die benedictionis suae benedicetur. *Eccli.* I, 13.

Noli metuere judicium mortis. Memento quae ante te fuerunt, et quae superventura sunt tibi: hoc judicium a Domino omni carni. *Eccli.* XLI, 5.

Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. *Psal.* CXV, 5.

Praecipitabit mortem in sempiternum: et auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, et opprobrium populi sui auferet de universa terra: quia Dominus locutus est. *Isai.* XXV, 8.

Justus perit, et non est, qui recogitet corde suo. . . veniat pax, requiescet in cubili suo qui ambulavit in directione sua. *Isai.* LVII, 1, 2.

De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne: consolatio abscondita est ab oculis meis. *Oseae* XIII, 14.

Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus ut non

contristemini, sicut et caeteri qui spem non habent, etc. *I Thess.* IV, 12.

Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt. *Apoc.* XXI, 4.

Ex Ss. Patribus

Interdum contingit justis, ut in morte sua sanctorum praecedentium visiones aspiciant, ne ipsam mortis suae sententiam poenalem pertimescant: sed dum eorum menti civium supernorum societas ostenditur a carnis suae copula sine doloris, et formidinis fatigatione solvantur: aliquando in consolatione egredientis animae, ipse apparere solet auctor et retributor vitae. *Greg. lib. IV Dialog.*

Qui desiderat dissolvi, et esse cum Christo non patienter moritur: sed patienter vivit, et delectabiliter moritur. *Aug. sup. ep., Joan.*

Pretiosa mors Sanctorum, pretiosa sane tamquam finis laborum, tamquam victoriae consummatio, tamquam vitae janua, et perfectae securitatis ingressus. Bona mors justi propter requiem, melior propter novitatem, optima propter securitatem. *Ber. ep. LV.*

Piis mors ultra non est mors, sed nomen tantum habet mortis: imo et ipsum nomen sublatum est. *Gris. in Matth.* X.

Mors justorum est bonis in adjutorium, malis in testimonium, ut inde perversi sine excusatione pereant, unde electi exemplum capiunt, ut vivant. *Greg. in Matth.* X.

Portabatur (*Lazarus*) post tantos labores, quia defecerat, et portabatur ab Angelis: non sufficerat ad portandum pauperem unus Angelus, sed proptera veniant plures, ut chorum laetitiae faciant; et portaretur ab Angelis: gaudet unusquisque Angelorum tantum onus tangere: libenter talibus oneribus praegravantur, ut adducant homines ad Regnum coelorum. *Gris. de div. et Lazar.*

Justorum animae levibus quibusque contagiis ipso saepe mortis pavore purgantur, et aeternae retributionis gaudia jam ab ipsa carnis solutione percipiunt. Plerumque erat contemplationis internae etiam prius quam carne spolientur hilarescunt: et dum vetustatis debitum solvunt, novi jam muneris laetitia perfruuntur. *Greg. lib. XXIV Dial.*

Qui autem de sua spe et operatione securus est, pulsati confestim aperit, quia laetus judicem sustinet. Et cum tempus propinquae mortis advenerit, de gloria retributionis hilarescit. *Greg. hom. XIII in Luc.*

Lachrymarum causas quidem tripudiantes peragunt, et mortis suae negotium ridentes exequuntur. *Greg. in Moral.*

Bonam mortem sequitur vita immortalis, quam praecedit bona vita, velut praeparatio, et dispositio necessario praerequisita ad bonam mortem. Homines, qui bonam exoptant habere vitam, non multum curant, an eorum vita sit longa, an brevis sed de ejus bonitate sunt multum solliciti. Non enim vivere bonum est, sed bene vivere. Itaque sapiens vivit quantum debet, non quantum potest. Cogitat semper qualis vita, non quanta sit. Citius mori, vel tardius, ad rem non pertinet: bene mori, an male, ad rem pertinet: bene autem mori est fugere male vivendi periculum. Justorum mors est ostium vitae; et ob hanc causam Ecclesia justorum mortem, natalem nuncupat; quia tunc nascuntur, dum moriuntur mundo, tunc vivere incipiunt felicitati, cum praesentis vitae miseriis moriuntur. O quam beate moritur, qui moriendo oritur! quam feliciter temporalem vitam finit, qui vivere perpetualiter incipit! At plerisque bona mors placet at non bonam volunt ducere vitam; similes illi qui olim interrogatus, utrum mallet esse Craesus, an Socrates: In vita, inquit, Craesus, in morte Socrates: ac si diceret in vita Nero, in morte Cato. Vide an tu etiam cum desideras bene mori sis in vita lupus, in morte agnus; in vita Diabolus, Angelus in morte. Id omnes solent desiderare. Mors echo est vitae: ut enim echo voci, ita mors vitae respondet. Si vita sanctitatem custodies, in morte laetaberis et post bonam mortem remuneraberis.

2. Timor Dei

Ex sacris Scripturis

Dixitque (*Angelus*) ei (*Abrahamo*): Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam: nunc cognovi quod times Deum, et non pepercisti unigenito filio tuo propter me. *Gen.* XXII, 12.

Haec sunt praecepta Domini, *dixit Moyses ad populum*: ut timeas Dominum Deum tuum, et custodias omnia mandata, et praecepta ejus quae ego praecipio tibi, et filiis, et ut . . . Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies, ac per nomen illius jurabis. *Deut.* VI, 2 . . . 13.

Dominum Deum vestrum sequimini, et ipsum timete, et man-

data illius custodite, et audite vocem ejus: ipsi servietis, et ipsi adhaerebitis. *Deut.* XIII, 4.

Noli timere filii mi, multa bona habebimus, si timuerimus Deum (*ait Tobias filio suo*) *Tob.* IV, 23.

Ecce timor Domini, ipsa est sapientia: et recedere a malo, intelligentia. *Job.* XXVIII, 28.

Beatus vir, qui timet Dominum; in mandatis ejus volet nimis. *Psal.* CXI, 1.

Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus. *Psal.* CXXVII, 1.

Timor Domini principium sapientiae. Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt. *Prov.* I, 7.

Ne sis sapiens apud temetipsum: time Deum, et recede a malo. *Prov.* III, 7.

Timor Domini apponet dies, et anni impiorum breviabuntur. *Prov.* X, 27.

Misericordia et veritate redimitur iniquitas: et in timore Domini declinatur a malo. *Prov.* XVI, 6.

In timore Domini esto tota die: quia habebis spem in novissimo, et praestolatio tua non auferetur. *Prov.* XXIII, 17, 18.

Timor Domini gloria, et gloriatio, et laetitia, et corona exultationis. *Eccli.* I, 11.

Initium sapientiae timor Domini. *Eccli.* I, 16.

Plenitudo sapientiae est timere Deum. *Eccli.* I, 20.

Timor Domini expellit peccatum. *Eccli.* I, 27.

Qui sine timore est, non poterit justificari. *Eccli.* I, 28.

In tota anima tua time Dominum, et sacerdotes illius sanctifica. *Eccli.* VII, 31.

Qui timet Deum, faciet bona: et qui continens est justitiae apprehendet illum, etc. *Eccli.* XV, 1.

Timor Domini initium dilectionis ejus. *Eccli.* XXV, 16.

Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertitur domus tua. *Eccli.* XXVII, 4.

Cum metu et tremore vestram salutem operemini. *Philipp.* II, 12.

Timete Dominum et date illi honorem, quia venit hora judicii ejus: et adorate eum, qui fecit coelum et terram, mare et fontes aquarum. *Apoc.* XIV, 7.

Ex Ss. Patribus

Sicut cruci affixus movere nec manus potest, nec pedes; sic qui timore Domini configitur, extra illius metum nequaquam movetur. *Basil. in Prov.*

Terra saevit, Deum time; serpens insidiatur, Deum time; homo te odit, Deum time; Diabolus te impugnat, Deum time; tota enim creatura sub illo est, quem juberis timere. *Aug. in Psal. XXXII.*

Hoc unum timeamus, ne quid magis quam Deum timeamus. *Greg. Naz. orat. VI.*

Deum non hominem timeas: si hominem times, ab eo ipso, quem times, derideberis, sin vero Deum timeas hominibus quoque venerabilis eris. *Gris. in Matth. hom. LXXXIII.*

Non est a quo fugias nisi ad Deum placatum. *Aug. sup. Psal.* LXXIV.

Qui timet Deum nihil negligit: timere Deum est, nulla quae facienda sunt bona praeterire *Greg. in Moral.*

In via Dei a timore incipitur, ut ad fortitudinem veniatur: nam sicut in via saeculi audaciam fortitudinem, ita in via Dei audacia debilitatem, ita in via Dei timor fortitudidem gignit. *Idem ibid.*

Noveris te, ut Deum timeas, noveris ipsum ut aeque ipsum diligas: in altero initiaris ad sapientiam, in altero consummaris, quia initium salutis, timor Domini, et plenitudo legis, est caritas. Quemadmodum ex notitia tui venit in te timor Dei, atque ex Dei notitia, Dei itidem amor: sic e contrario, de ignorantia tui, superbia, et Dei ignorantia venit desperatio. *Bern. sup. Cant. ser. XXXVII.*

Deum time, et mandata ejus observa; hoc est omnis homo: ergo si hoc est omnis homo, absque hoc nihil est homo. *Bern. ser. XX sup. Cant.*

Timor Dei valde necessarius est ad salutem, quia incitat ad bonum, conservat in bono, et praeservat a malo. Et ideo in aedificio spirituali tenet locum fundamenti, caementi et tecti. Nam in quantum est principium omnis boni, tenet locum fundamenti. *Timor Domini principium sapientiae* (*Prov.* I). In quantum conservat et stringit in bono, tenet locum caementi. *Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua* (*Eccli.* XXVII). In quantum praeservat a malo, tenet locum tecti. *Timor Domini super omnia se supponit.* (*Eccli.* XXV). Sicut namque tectum praservat habitantem in domo ab aestu, a vento et a pluvia. Sic timor Domini praeservat hominem ne cadat ab aestu concupiscentiae inflammatus, aut a vento diabolicae tentationis impulsus, aut pluvia examinationis coelestis, et divinae probatus. *Tabernaculum erit in umbraculo diei ab aestu, et in securitatem, et absconsionem a turbine et a pluvia* (*Isa* IV). Anima namque quae est Tabernaculum Dei, quoniam habet in se timorem

Domini, tunc habet umbraculum refrigerativum contra aestum concupiscentiae, tunc absconditur a turbine tentationis diabolicae, et a pluvia probationis divinae. Adde quod timor Domini super omnia se superposuit. Est tanquam janitor qui ostium clausum tenet, et per timorem Domini declinat omnis homo a malo,imo si intravit illud statim expellit.Est autem magnum periculum quando iste janitor dormit, juxta illud: *Si non in timore domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua* (*Eccl.* XXVII).Ne hoc solum sed et etiam est clavus timor Domini. Isto clavo timoris Domini nisi firmetur, cito profectus spiritus dissolvitur. Tanto autem minor fit timor, quanto patriae ad quam tendimus fit propinquior. Major namque timor debet esse peregrinantium, minor propinquantium, nullus pervenientium. Plura sunt fateor, quae nos terrent, quae premunt, et saepius opinione amplius laboramus, quam re. Tutissima est res nil timere praeter Deum. Timidam non facit animam, nisi reprensibilis vitae conscientia mala. Timuisti? sed propter quem? Non timuisti? sed ad quid? Cum ergo audis quod Dominus dulcis est, attende quid diligas: cum audis quod judex est, attende quid timeas, ut amore, et timore Dei excitatus legem ejus custodias.

3. Inventio S. Crucis

Ex Sacris Scripturis

Benedictum est enim lignum, per quod fit justitia. *Sap.* XIV, 7.

Fecit ergo Moyses Serpentem Æneum et posuit eum pro signo: quem cum percussi aspicerent, sanabantur. *Num.* XXI, 9.

Et levabit signum in nationes, et congregabit profugos Israel, et dispersos Juda colliget a quatuor plagis terrae. *Isai.* XI, 12.

Et dixit Dominus ad eum (*ad Ezechielem*): Transi per mediam civitatem in medio Jerusalem: et signa thau super frontes virorum gementium, et dolentium super cunctis abominationibus, quae fiunt in medio ejus. *Ezech.* IX, 4.

Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis: ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat; sed habet vitam aeternam. *Joan.* III, 14.

Nunc judicium est mundi: nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras. Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. *Joan.* XII, 31, 32.

Nos autem praedicamus Christum crucifixum: Judaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Judaeis, atque Graecis Christi Dei virtutem, et Dei sapientiam. *I Cor.* I,23.

Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. *I Cor.* I, 25.

Mihi autem absit gloriosi, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi. *Galat.* VI, 14.

Hoc signum Crucis erit in Coelo cum Dominus ad judicandum venerit.

Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita et ruserrectio nostra. *Galat.* VI, 14.

Ex Ss. Patribus

Dominus per lignum aquas dulces fecit, praefigurans gloriam et gratiam crucis. *Aug. in Exod.* q. 571.

Quid timent daemones? quid tremunt? Sine dubio Crucem Christi, in qua triunphati, in qua exuti sunt principatus eorum et potestates. *Orig. hom. VI in Exod.*

O bona Crux, fugantur per te daemones, liberantur aegroti, morti revocantur ad vitam: fides augetur, pusillanimitas propulsatur, roboratur virtus, spes utrumque collapsa erigitur. *Laur. Justin. ser. de exalt. S. Cruc.*

Crux tua, Domine, omnium fons est benedictionum, omnium est causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio vita de morte. *Leo ser. VIII de Pass.*

In quacumque tentatione invenitur in Cruce praesidium: ibi enim est obedientia ad Deum, ibi charitas ad proximum, ibi patientia in adversis; denique in Cruce invenitur doctrina et exemplum omnis virtutis. *Thom. in Hebr.* cap. XII.

Crux spes Christianorum, crux desperatorum vita, crux consolatio pauperum. *Chrys. serm. de Cruce.*

O vere coelestis planta praetiosior cunctis, sanctior universis! o vere lignum vitae quod solum fuit dignum portare salutis fructum! *Bern. serm. XXVII in Cant.*

Noli ergo erubescere ignominiam crucis, quam pro te Deus non dubitavit excipere, et dic cum Apostolo: mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. *Aug. serm. CCXXV.*

Crucis ignominia credentium facta est gloria. *Bern. Ser. II de Assumpt.*

Poterat apostulus gloriori in sapientia Christi, et verum dicere: poterat in maiestate, potestate, et verum dicere; sed dixit in Cruce. Ubi mundi philosophus erubuit, ibi apostolus thesaurum reperit, ubi humilitas, ibi maiestas. *Aug. ser. V de vertis apost.*

Crux habet exultationem. Ita est fratres mei, semper lignum

Crucis vitam germinat, fructificat iucunditatem, oleum laetitiae stillat, balsamum sudat charismatum. *Bern. Serm. de S. Andr.*

Gloriatio sane Ecclesiae catholicae est omnis Christi actio: gloriatio vero gloriationum est Crux. *Hierosol. Catech. XIII.*

Locus in quo delitescebat crux dominica, vocitari poterat divini thesauri conditorium, quia in illo erat occultata crux Christi, quae incomparabiles divitias occultabat. In sceptris olim regum et principum praecipua eorum ornamenta auri, et gemmarum thesauri abscondebatur. Juxta regis regum Christi monumentum occultata fuerat crux, omnium bonorum nobis est thesaurus, cujus inventionem hac die celebrat Ecclesia; et sanctum illud, quod olim latebat, hodie evasit manifestum; et thesaurus, qui fuerat absconditus in terrae meditullio, refulsit sicut aurum. Quomodo autem pretiosus dominicae crucis thesaurus quaesitus et inventus fuerit enarrat d. Ambrosius (*De obitu Theodos.*). Quanto cum gaudio inventa et miraculose agnita fuit, quae fuerat tandiu occultata, in thesauris reposita, et parata! Etenim si in Evangelica mulier ob inventam drachmam, quam perdiderat, laetatur; quanto magis exultat Helena de inventione sanctae crucis, quae est infinitus thesaurus hominibus, quo *qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei, propter disciplinae dona commendati* (*Sap.* VII). Haec autem disciplinae dona, quibus homines commendantur, divina amicitia donantur, et coelestibus gazis opulenter ditantur, sunt adversitates, tribulationes, cruces. Coelestes istae divitiae, ex quibus infinitus ille confluatur thesaurus, monilia crucis denotant: quam desiderandus est ille thesaurus crucis, quo nobis Dei comparamus amicitiam! Non ergo in rebus malis, neque in fictitiis et fallacibus fortunae bonis, sed in Cruce quaerendus est Christus. Circumire possum, Domine, coelum et terram, et nusquam te possum invenire nisi in cruce: ibi dormis, ibi cubas in meridie: ergo qui suaviter vivunt, qui carni deserviunt, Christum invenire non possunt. *Quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum: apparet autem eis etc.* (*Sap.* I).

4. Nominis Dei adoratio et invocatio

Ex Sacris Scripturis

Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustra: quia non erit impunitus, qui super re vana nomen ejus assumpserit. *Deut.* V, 11.

Non sumes nomen Domini Dei tui in vanum. *Exod.* XX, 7.

Et accessit ad eum (*Jonam*) gubernator, et dixit ei: Quid tu sopore deprimeris? surge invoca Deum tuum, si forte recogitet Deus de nobis, et non pereamus. *Job* I, 6.

Domine Dominus noster quam admirabile est nomen tuum in universa terra. *Psal.* VIII, 1.

Turris fortissima, nomen Domini: ad ipsum currit justus, et exaltabitur. *Prov.* XVIII, 10.

Omni vita tua dilige Deum, et invoca illum in salute tua. *Eccli.* XIII, 18.

Affer filios meos de longinquo; et filias meas ab extremis terrae. Et omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum, et feci eum. *Isai.* XLIII, 6, 7.

Non est qui invocet nomen tuum, qui consurgat, et teneat te. *Isai.* LXIV, 7.

Tu autem in nobis es, Domine, et nomen tuum invocatum est super nos, ne derelinquas nos. *Jerem.* XIV, 9.

Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, etc. *Malach.* I, 11.

Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse intrabit in regnum coelorum. *Matth.* VII, 21.

Nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum, etc. *Rom.* X, 12.

Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, cognovit Dominus qui sunt ejus; et discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini. *II Tim.* II, 19.

Ex Ss. Patribus

Ego puto divinam legem statuere, ne quis nomen Dei pronunciet sine aliqua ratione aut docendi, aut orandi, aut necessariae cujuspiam occasionis; solent enim nonnulli etiam ludentes, et ridentes, ut inciderit, reverendum Dei nomen lingua proferre; hoc arbitror divina lege prohiberi. *Theod. XLI Ex.*

Nescitis, quid sit Deus, et qualis debeat ore vestro vocari? quod si de studioso quadam viro male loquamur, dicimus: Os tuum ablue, et ita commemora: nunc vero nomen Venerandum, quod audientes daemones horrent, temerarie circumferimus? *Gris. hom. XXVI ad pop. Ant.*

Si simpliciter nominare Deum, non omnibus hebraeis olim fas erat, hoc certe, quod in testimonium vocatur, quantae audaciae dic, oro, quantae insaniae? quomodo enim non absurdum, servum

quidem non audere Dominum nominatim, et sine honoris praefatione appellare, hominem vero Dominum temere, et contemtim, ubique jactare? *Gris. hom. IX in Act.*

Cum dicimus sanctificetur nomen tuum, id petimus ut sanctificetur in nobis, qui in illo sumus: simul et in caeteris, quos adhuc gratia Dei expectat. *Tert. lib. de Orat. III.*

Ut viri sancti peregrino sermone loquerentur, providentia divinitatis factum est; et quia ad magnificandum Deum, una loquela non sufficit, per plures linguas menti devotio solveretur. *Ambr. ser. LXXV.*

Tanta reverentia Dei nomen venerabantur Hebraei, ut illud summus Pontifex in thiara sua gestaret in lamina aurea insculptum. Unde postquam Sapiens magnificum Aaronis repraesentavit ornatum, cunctas res universi pretiosissimas continentem; *in veste poderis Aaron totus erat descriptus orbis terrarum, et magnalia in quatuor ordinibus lapidum sculpta* (*Dion. Carth.*) subdit Deo alloquens: *Et magnificentia tua in diademate capitis illius sculpta erat* (*Sap.* XVIII) id est sanctum, ineffabile et proprie nomen tuum. Tetragrammaton scriptum fuit in aurea lamina diademati seu mitrae Pontificali adjunctum. Non infra, sed supra Pontificis gestabatur caput; ita ut nomen caeteris emineret, ipso situ denotans quantum in dignitate superaret quidquid est in mundo gloriosum, augustum et magnificum, prae cunctis rebus creatis supremum honorem sibi vindicans. *In superioribus quidem hoc nomen ponitur, ut quidquid undique est, quantumcumque sit, se cognoscat inferius, se fateatur indignius* (*Arnold. Cornot. Tract. ult. de sept. Verb. Dom.*). Nec immerito Alexander Magnus supremum divini nominis agnovit excellentiam occurrens Jaido Pontifici, et humi procumbens, Dei nomen quod deferebat in thiara, humiliter adoravit. Hebraei quoque, religionis et reverentiae causa, Dei nomen effari non audebant: solis Sacerdotibus et Pontificibus licitum erat illud pronuntiare, et hoc duntaxat in sacrificiis, in solemni populi benedictione, in ingressu Sancti sanctorum: caeteris vero nomen Dei Tatragrammaton eloqui, nec jus, nec fas erat; unde legentes Scripturam, quando augustissimum illud reperiebant nomen, pro eo legebant *Adonai*, et dum concurrebat cum *Adonai* legebant *Elohim*. Christus quoque Dominus paterni nominis zelatus est honorem: *Ego veni*, inquit, *in nomine Patris*. Et rursus: *Pater clarifica nomen tuum* (*Joan.* XII). Et apertius: *Nomen tuum manifestavi hominibus*. Ad quid? nisi ut illud venerentur? Et hoc est quod postulamus, ut sanctificetur no-

men suum; id est ut Dei nomen honoretur non solum a Christianis, qui ejus profitentur religionem, sed etiam ab infidelibus, qui nondum ad fidem, et veritatem adducti sunt. Confundere, quod in multis Dei nomen non sanctificatur, nec debitam accipit venerationem: sed potius opprobrium, et dedecus patitur. Sed et tu ora perseveranter, ut sanctificetur nomen suum. Amen.

5. Tepiditas

Ex Sacris Scripturis

Et ait illi Eliseus: affer arcum et sagittas: Cumque attulisset ad eum arcum, et sagittas, dixit ad regem Israel: Pone manum tuam super arcum. Et cum posuisset ille manum suam, superposuit Eliseus manus suas manibus regis, et ait: Aperi fenestram orientalem. Cumque aperuisset, dixit Eliseus: iace sagittam. Et fecit, et ait Eliseus: Sagitta salutis Domini, et sagitta salutis contra Syriam: percutiesque Syriam in Aphec, donec consumes eam. Et ait: Tolle sagittas. Qui cum tulisset, rursum dixit ei: Percute iaculo terram. Et cum percussisset tribus vicibus, et stetisset, iratus est vir Dei, contra eum, et ait: si percussisset quinquies, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumationem; nunc autem tribus vicibus percuties eam. *IV Reg.* XIII, 15 *et seqq.*

Scio opera tua, et laborem, et patientiam tuam, et quia non potes sustinere malos . . . . etc. Et patientiam habes, et sustinuisti propter nomen meum, et non defecisti. Sed habeo adversum te, quod caritatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque unde excideris: et age poenitentiam, et prima opera fac: sin autem venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi poenitentiam egeris. *Apoc.* II, 2 et seq.

Et Angelo Ecclesiae Sardis scribe: haec dicit qui habet septem Spiritus Dei, et septem stellas: scio opera tua, quia nomen habes, quod vivas, et mortuus es. Esto vigilans, et confirma caetera, quae moritura erant. Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe, qualiter acceperis, et audiveris, et serva, et poenitentiam age. Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tamquam fur, et nescies, qua hora veniam ad te. *Apoc.* III, 1 et seq.

Scio opera tua: quia neque frigidus es, neque calidus: utinam frigidus esses, aut calidus. Sed quia tepidus esses, et nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo. *Apoc.* III, 15, 16.

Ex Ss. Patribus

Invenire est homines pusillanimes, et remissos deficientes sub o-

nere, virga, et calcaribus indigentes quorum remissa laetitia pusillanimis tristia est, quorum brevis, et rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conversatio, obedientia sine devotione, sermo sine devotione, sermo sine circumspectione, quorum oratio sine cordis intentione, lectio sine aedificatione, quos vix gehennae metus inhibet, vix pudor cohibet, vix ratio fraenat, vix disciplina coercet. *Bern. ser. V de Ascens.*

In via Domini non progredi est retrogredi; aut ascendas necesse est, aut descendas, si attendas stare, ruas necesse est. Minime pro certo est bonus, qui melior esse non vult; et ubi incipis nolle fieri melior, ibi etiam desinis esse bonus. *Bern. epist. XCI.*

De frigidis, et carnalibus ad spiritualem venisse vitam vidimus, de tepidis omnino non vidimus. *Cassian.*

Nonne tibi horum vita inferno penitus appropinquare videtur? . . . Inferno plane proxima, et umbra mortis jure censetur. *Bern. serm. de Ascens. Dom.*

Non est stare omnino in pendulo fragilis scalae, neque in incerto hujus mortalis vitae quicquam in eodem statu permanet. . . aut ascendas necesse est, aut descendas: si non attendas stare, ruas necesse est. *Bern. ep. XCI.*

Semper tibi displiceat, quod es, si vis pervenire ad id, quod nondum es. Nam ubi tibi placuisti ibi remansisti. Si autem dixeris, sufficit, et periisti. Semper adde, semper ambula, semper proﬁce, noli in via remanere, noli retro redire, noli deviare. Remanet qui non proficit. *Aug. ser.* CLXIX § XVIII.

O tremenda negligentia! ad nugas saepe saepius vidimus homines expediti, ad preces pigri, ad iracundiam fervidi, ad caritatem frigidi, ad delicias parati, ad continentiam difficiles, ad bona segnes, ad mala praecipites. Si es frigidus, certe defectu fidei frigescis. Assuesce actualem fidem saepius exercere, maxime circa Deum et ejus attributa. Disce semper proficere, ex desiderio Christi, in hoc satisfacere Divinae voluntati. Nullum tempus aut occasionem bene agendi praetereundum, imo quotidie perfectionem appetere necesse est tibi, ac magnis et eximiis operibus instandum. Via coeli angusta est, et non admittit id quod libet, sed quod licet, et non potes in illam requiem introire cum iumentis tuarum passionum, cum sarcinis cupiditatum: solus cum Deo incedere debes, velociter currendo. Fatuus splendor rerum terrarum perstrinxit tibi oculos animi, passiones te excaecarunt ut non videres statum tepiditatis tuae. Per latam ut eas viam, non est certandum, naturali vi raperis. O misera conditio tua, nisi in adversum labores. Per an-

gustam ut penetres portam, magna contentione et fervore est opus; ut serio velis, serio opereris, et sine tepiditate.

6. Cultus Sanctorum

Ex Sacris Scripturis

Cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum: quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, et adoravit in terram. *Gen.* XVIII, 2.

Venerunt duo Angeli Sodomam vespere, et sedente Lot in foribus civitatis. Qui cum vidisset eos, surrexit, et ivit obviam eis: adoravitque pronus in terram. *Gen.* XIX, 1.

Abraham, Lot, Josue, adorarunt proni in terram Angelos. *Gen.* XVIII, 2; XIX, 1, et *Josue* V, 15.

Ego sum Deus Abraham patris tui (*dixit Dominus ad Isaac*): noli timere, quia ego tecum sum: benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum propter servum meum Abraham. *Gen.* XXVI, 24.

Dixit Moyses ad Deum: Recordare Abraham, Isaac, et Israel servorum tuorum, quibus jurasti per temetipsum, dicens: Multiplicabo semen vestrum sicut stellas coeli: et universam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro, et possidebitis eum semper. Placatusque est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum suum. *Exod.* XXXII, 13, 14.

Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum (*inquit Deus*). *I Reg.* II, 30.

Dixeruntque (*filii Israel*) ad Samuelem: ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philisthinorum. *I Reg.* VII, 8.

Protegam urbem hanc, et salvabo eam propter me, et propter David servum meum. *IV Reg.* XIX, 34.

Ite ad servum meum Job. Job autem servus meus orabit pro vobis: faciem ejus suscipiam, etc. *Job* XLII, 8.

Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua a saeculo, etc. *Eccli.* XLIV, 1.

Omnes isti in generationibus gentis suae gloriam adepti sunt, et in diebus suis habentur in laudibus. *Eccli.* XLIV, 7.

Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum vivit in generationem, etc. *Eccli.* XLIV, 14.

Henoch placuit Deo, et translatus est in Paradisum, ut det gentibus poenitentiam. Noe inventus est perfectus, justus, et in tempore iracundiae factus est reconciliatio. *Eccli.* XLIV, 16.

Abraham magnus pater multitudinis gentium, et non est inventus similis illi in gloria, qui conservavit legem Excelsi, etc. *Eccli.* XLIV, 24.

Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus. *Psal.* CXXXVIII, 17.

Laudate Dominum in Sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus. *Psal.* CL, 1.

Cecidit Josue in terram, et adorans (*princeps exercitus Domini*), ait: Quid Dominus Deus loquitur ad servum suum. *Josue* V, 15.

Josue pronus cecidit in terram coram arcam Domini tam ipse quam omnes senes Israel. *Josue* VII, 6.

Sumite ergo vobis septem tauros, et septem arietes, et ite ad servum meum Job. . . Job autem servus meus orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam etc. *Job* XLII, 8.

Et cum aperuisset librum, quatuor animalia, et viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas, et phialas aureas, plenas odoramentorum, quae sunt orationes sanctorum. *Apoc.* V, 8.

Et alius Angelus venit, et stetit ante altare, habens thuribulum aurum: et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei. *Apoc.* VIII, 3.

Si quis mihi ministrat, me sequatur: et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. *Joan.* XII, 26.

Ex Ss. Patribus

In sanctorum festivitatibus, et gaudere, et confundi debemus. Gaudere quia patronos praemisimus: confundi, quia eos sequi non possumus. *Bern. in fest. Omn. Sanct.*

Cum his nobis familiaritas esse debet, semper nobiscum sunt, nobiscum morantur: hoc est, et in corpore nos viventes custodiunt, et de corpore recedentes excipiunt. *Bern. Serm. XVIII de Sanc.*

Qui Sanctorum merita religiosa charitate miratur, quique justorum glorias frequenti laude colloquitur, eorum mores sanctos, atque justitiam imitetur; ut qui alium laudat, laudabilem se reddat, et qui Sanctorum merita admiratur, admirabilis ipsae vitae sanctitate reddatur. *S. Jo. Chr. ser. I de Martyr.*

Summopere a nobis desideranda sunt suffragia Sanctorum, ut quod possibilitas nostra non obtinet, eorum intercessione donetur. *Bern. ser. V Omn. Sanct.*

Hi sunt vere hominum duces, principes, propugnatores, custo-

des, per quos a nobis infortunia avertuntur, proculque arceantur. *S. Theodor.* l. 5 *de Martyr.*

Quae est ista justitia Sanctos colere, et sanctitatem contemnere? Primus gradus pietatis est, sanctitatem diligere, postea Sanctos; quia non Sancti ante sanctitatem fuerunt, sed sanctitas ante eos; sine causa ergo justos honorat, qui justitiam spernit. *Eus. Emiss. in hom.*

Si Sanctorum consortio gaudere velimus, imitemur eos, nam ut pro nobis absque ulla dubitatione intercedant, necesse est, ut aliquid in nobis de suis virtutibus agnoscant. *Bern. serm. de fest. Omn. Sanct.*

Quotiescumque, fratres carissimi, sanctorum Martyrum solemnia celebramus, ita ipsis intercedentibus, expectemus a Domino consequi temporalia, ut ipsos Martyres, imitando accipere mereamur aeterna. Ab ipsis enim sanctorum Martyrum in veritate festivitatum gaudia celebrantur qui ipsorum Martyrum exempla sequuntur: solemnitates enim Martyrum exhortationes sunt martyriorum, et imitari non pigeat, quod celebrare delectat. *Aug. ser, XL de Martyr.*

Tria sunt, quae in festivitatibus sanctorum vigilanter considerare debemus, auxilium sancti, exemplum eius, confusionem nostram. Auxilium eius, quia qui potens in terra, potentior est in coelis ante faciem Domini sui. Si enim dum hic adhuc viveret, misertus est pecccatoribus et oravit pro eis, nunc quanto amplius, quanto verius agnoscit miserias nostras? orat pro nobis patrem quia beata illa patria charitatem eius non mutavit, sed augmentavit: imo potius movit sibi viscera misercordiae, quum ante fontem misericordiae, adsistit. Debemus etiam vitam eius attendere: quia quandiu in terris visus est, et cum hominibus conversatus est non declinavit neque ad dexteram, neque ad sinistram: sed viam regiam tenuit, donec veniret ad illam, qui dicit: ego sum via, veritas et vita. Item diligentiori intuitu confusionem nostram aspiciamus: quia homo ille similis nobis fuit passibilis, ex eodem lutu formatus, ex quo et nos. Quid ergo est, quod non solum difficile, sed impossibile credimus, ut faciamus opera quae fecit, et sequimur vestigia ejus? *Bern. in*

Cum ratione ministerii tui frequenter in mundo, tanquam *in medio nationis pravae*, ut loquitur Apostolus (*Philipp.* II), versari debeas, necesse habes tibi constituere refugium, ubi in laboribus exemplum invenire, ac in tentationibus auxilium experiri. Hoc nullibi melius aut commodius, quam in cultu Sanctorum, et prae-

cipue eorum qui in ministerio Ecclesiastici, seu Sacerdotali Ecclesiam Dei illustrarunt. Talium virorum vitam lege ; eorum exempla imitare; lauda virtutes illorum: invoca protectionem, dicta et facta et consulta sectare, ut imaginem illorum, morum vitaeque imitatione referas. Horum exemplum tum ad vitiorum emendationem, tum ad pusillanimitatis ac tepiditatis correctionem, fervorisque innovationem efficacissimum est medium. Igitur honorandi semper sunt sancti, sed praesertim diebus quibus Ecclesia eorum celebrat festivitates. Celebramus ergo hos dies non prophanis ritibus paganorum, sed vera devotione nonnullorum fidelium. Imitandi sunt, et ut ipsi ferventes fuerunt, gaudeamus in fervore ipsorum, sed ad imitationem. Multa in eis imitanda sunt,potissimum caritas, et humilitas; ardeamus caritate Dei et proximi, deiiciamus nos ante magnitudinem Dei. Quapropter Sancti studiosi Christi imitatores suis virtutibus Christum secuti sunt, ipsum suis moribus expresserunt: nam ad Christi exemplum ecclesiam illustrarunt, amaverunt, et adhuc virtutibus ornaverunt. Ecclesiam ornarunt violis humilitatis, liliis castitatis, rosis caritatis. Vacemus ad instar Sanctorum humilitati, quae est virtutum basis, et fundamentum: servemus castitatem, quae est virtutum decus et ornamentum: ardeamus caritate quae est virtutum forma et complementum. Cura ut animum magis, ac magis a caducis abstrahas, ut sit unicus thesaurus tuus is, qui est omnia. In coelo est patria tua, etiam et tu concivis Sanctorum. Illuc migrandum est; fac ut ibi tuum invenias thesaurum, aliter in aeternum exulabis. Conclude ergo: Nullum tempus, aut occasionem bene agendi praetereunda. Magnis, ac eximiis operibus instandum. Faxit hoc Deus.

7. Electio

Ex sacris Scripturis

Quem ex his elegero germinabit virga ejus. *Num.* XVII, 5.

Mille viri de singulis tribubus eligantur. . . ad bellum. *Num.* XXXI, 1.

Sed elegit Dominus Deus Israel me de universa domo patris mei, ut essem rex super Israel, etc. *I Paral.* XXVIII, 4.

Habeatis scientiam discernendi inter sanctum et profanum, inter pollutum et mundum. *Lev.* X, 10.

Dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, et discernere inter bonum et malum. *III Reg.* III, 9.

Sed elegit (*Deus*) tribum Juda, et elegit David servum suum, etc. *Psal.* LXXVII, 68.

Quaerite bonum, et non malum, ut vivatis: et erit Dominus Deus exercitum vobiscum, etc. *Amos* V, 14.

Elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. *Matth.* XIII, 14.

Vocavit (*Dominus*) discipulos suos: et elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit. *Luc.* VI, 13.

Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris. *Act.* I, 24.

Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide, etc. *Act.* VI, 5.

Segregate mihi Saulum et Barnabam, in opus, ad quos assumpsi eos. *Act.* XIII, 2.

Et hoc oro, ut caritas vestra magis, ac magis abundet in scientia, et in omni sensu: ut probetis potiora, ut sitis sinceri, et sine offensa in diem Christi, repleti fructu justitiae per Jesum Christum. *Philipp.* I, 9.

Omnia autem probate: quod bonum est tenete. *I Thess.* V, 21.

Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, et electionem faciatis *II Pet.* I, 10.

Ex Ss. Patribus

Quis ferat, si quis divitem eligat ad sedem honoris ecclesiae, contempto paupere instructiore et sanctiore? *Ambr. sup. illud Jac. Nolite in pers. accep.*

Ad episcopalem dignitatem eligi non debuit, qui minora officia gubernare non didicit, qui cura navis illi committi non debuit, qui remum tenere non novit. *Aug. in ser.* XXVIII.

Haec pax domestica, et cohabitantium ordinata a Deo concordia, et clara justitia, ut scilicet, qui excellunt ratione, excellant dominatione. *Aug. in lib. sent.*

Moyses amicus Dei, cui facie ad faciem Dominus locutus est, potuit utique successores principatus filios suos facere, et posteris propriam relinquere dignitatem, sed extraneus de alia tribui eligitur Jesus, ut sciremus principatum in populos non sanguini deferendum esse, sed vitae. Ac cernimus nunc plurimos hominum beneficium facere, ut non quaerant eos, qui possunt in ecclesia plus prodesse, in ecclesia erigere columnas, sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis dediti: vel pro quibus majorum quisquam rogaverit et (ut deteriora taceam) qui ut clerici fierent, muneribus impetrarunt ut constituantur per civitates. *Hier. sup. illud titul. I et ponit. 8, quaes. I, cap. Moys.*

Requiritur in ordinando sacerdote, et praesentia populi, ut sciant omnes et certi sint, qui ex omni populo praestantior, qui doctior,

qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium; et hoc adstante populo, ne aliqua postmodum retractatio cuiquam, ne quis scrupulus resideret. *Orig. sup. Levit.*

Res pene contra naturam est, ut sine peccato aliquis sit: sed talis eligatur, cujus comparatione, caeteri grex dicantur. *Hier. ep. ad Ocean.*

Si in quibuslibet ecclesiae gradibus, provide omnis gradus constituitur, non erratur. Nam totus familiae Domini status et ordo mutabitur, si quod requiritur in corpore, non invenitur in capite. *Leo Pap. in ser. et pen. LXI distin.*

Conquerebatur se ferre non posse, ut iuvenilem aetatem congruam sacerdotio causabatur: sed quanto plus repugnabat, tanto magis omnium in se studia concitabat, et merebatur negando, quod esse nolebat, eo quod dignior erat, quod se clamabat indignum. *Hier. ad Eliod.*

Discant electorum Principes, successores sibi non eos qui consanguinitate generis juncti sunt, neque qui carnis propinquitate sociantur, testamento signare, neque haereditarium tradere ecclesiae principatum, sed referre ad judicium Dei, et non negligere illum, quam humanus affectus commendat, sed totum Dei judicio de successoris electione permittere. *Orig. sup. XXVII Num.*

Nulla haec populi acclamatio, nulla propinguitatis acclamatio: propinguis agrorum et praediorum relinguatur haereditas: gubernatio autem populi illi tradatur, quem Deus elegit, scilicet in se habet spiritum Dei, id est in quo sit caritas legis et scientiae, ut possint eum audire filii Israel. *Idem ibid.*

Olim inter haeredes hareditates sorte dividebantur; inde sors dicitur portio haereditatis, quaecumque sorte contigit. *Sorte divisit eis* (habetur in Psal. *LXXVII*) *terram in funiculo distributionis*, id est per funiculum quo terram dimetiebatur, et unicuique tribui filiorum Israel suam distribuebat partem. Hodie in Ecclesia Dei, non sors, sed electio ex vero merito dependere debet, et ideo in conferendis dignitatibus et beneficiis, non caro et sanguis, non famulatus, non propensio, non divitiae, non nobilitas, non species aut aliqua sympathia, sed sanctitas, sed doctrina, sed meritum etc. praeponderare debet. Sed non hoc solum in electione, sed et etiam in promovendis. Ex tot hominibus elegit Christus, vocavit et cooptavit in suos Legatos et Apostolos, non respiciens commendatitias, favores, supplicationes, nobilitatem et alia hujuscemodi. Hoc exemplo instruens ut quis non praesumat vel ambiat de suo merito, nec justus de sua justitia, nec doctus de sua do-

ctrina, ut quaerant honores, dignitates, Canonicatus, Episcopatus, Christi Apostoli vocati fuerunt, non praesumpserunt,non ambierunt. Vis eligere dignum? dic confidenter cum Apostolis: Tu Domine estende quem elegeris. Medium bonae electionis oratio, et indifferentia ad Dei nutum. Sine his quam male elegisti multos! quanto melius elegisses, si haec adhibuisses! At saepe saepius praefertur Matthias Barnabae, nec iste murmurat. Si alteri praeponeris, esto Matthias; si postponeris, esto Barnaba.

8. Apparitio S. Michaelis

Ex Sacris Scripturis

Cum autem esset Josue in agro urbis Jericho, levavit oculos, et vidit virum stantem contra se, evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, et ait: Noster es, an adversariorum? Qui respondit: Nequaquam: sed sum princeps exercitus Domini, et nunc venio. Cecidit Josue pronus in terram. Et adorans ait: Quid Domimus meus loquitur ad servum suum? *Josue* V, 13.

Scio, quia bonus es tu in oculis meis, sicut Angelus Dei. *I Reg.* XXIX, 9.

Cum fletu et lacrimis regobat Dominum, et omnis turba simul, ut bonum Angelum mitteret ob salutem Israel. *II Mach.* XI, 6.

Ecce ego mitto Angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet a templum suum, Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis. *Malach.* III, 1.

Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia, etc. *IV Reg.* XIX, 35.

Oculi ejus ut lampas ardens: vox ejus, ut vox moltitudinis: brachia ejus quasi species aeris candentis. *Dan.* X, 6.

Michael unus de principibus primis venit in adjutorium meum. *Dan.* X, 13.

In tempore autem illo consurget Michael Princeps Magnus, qui stat pro filiis populi tui, et veniet tempus quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse ceperunt usque ad tempus illud. *Dan.* XII, 1.

Factum est praelium magnum in coelo, Michael et Angeli ejus praeliabatur eum dracone. *Apoc.* XII, 1.

Ex Ss. Patribus

Terram uno momento pervadit Michael, piosque, qui affliguntur, adjuvat, recreat, consolatur. *Pont. Mart.* cap. I.

Michael: quis ut Deus? *Greg. hom. XXXIV in Evang.*

Quamvis omnes milites coeli maximo cum honore debeamus excolere, praecipue tamen gloriosissimum Michaelem coelestis exercitus ducem, et primatem. *Laur. Just. ser. de S. Mich.*

Primum locum obtinet inter mille millia, et deces mille myriades Angelorum: et proxime ac citra ullum stuporem colitur sanctum et admirabilem hymnorum Michael, qui est maxima et clarissima stella angelici ordinis. *Pontal. Mart. in enc. S. Michael.*

Michael vitiorum flamma extinguit, daemonum impetum propulsat, christianos reddit victores, fidelium populorum ecclesia exhilarat. *Pontal. Mart. in encom. S. Michael.*

Non autem abs re illum sacrosancta mater honorat ecclesia, quem sui specialem et proprium novit esse custodem, intercessorem assiduum, curiae coelestis principium, et animarum electarum sedulum susceptorem. *Laur. Justin. in laud. S. Michael.*

Tibi, o Michael, duci supernorum spirituum, qui dignitate et honoribus praelatus es caeteris spiritibus supernis, tibi, in quam supplico. *S. Basil. hom. de Angel.*

Sanctis spiritibus praelatus est Michael, sicut lucifer malis. *Laur. Justin. hom. XII.*

Michael Angelicarum copiarum dux. *Basil. hom. de S. Michael.*

Colimus imperatorem, et hominem a Deo secundum, et quidquid a Deo consecutum, et soli Deo minorem. Sic enim omnibus major est Michael, dum solo vero Deo minor est, et ipsis Angelis major est, dum et ipsi in potestate ejus sunt. *Tert. lib. ad Scap. II.*

Ego sum Michael archidux Domini sabaoth, christianorum fidei tutor, qui tibi contra impios tyrannos belligeranti, auxiliaria arma praebuit. *Nic.* lib. VII, cap. I.

Quoties mirae virtutis aliquid agitur, Michael mitti perhibetur. *Greg. hom. XXXIV in Evang.*

Insignem inter Angelos, et superis potestatibus spectabilem. *Cyrill. Alex. in cap. IV Isai.*

Sanctus Michael bellum spiritale adversus spirituales hostes spiritali militia, et spiritualibus armis debellaturus, etc. *Tert. lib. IV advers. Marcian.*

S. Michael memoriam sui haberi voluit in continuis apparitionibus, ut ab hominibus de quorum salute sollicitus est, agnosceretur, et obsequiis veneraretur. Plura sunt autem, quae hanc venerationem a nobis expostulant. Magna S. Michaelis dignitas: nam Michael est speciosum, et non occidit, luminare totius orbis. Ex-

cellens ejus ministerium, nam Dei majestatem prae se tulit: caeteri Angeli legatorum munere funguntur: Michael in persona Dei loquitur, et divinas perfectiones repraesentat: Michael omnium supremus ignemque ferens est lampas divinitatis, quae est principium hujus, qui fines terrae currit celeriter, et pie iis, quibus vult Deus apparet. Idcirco non aliud habet nomen, nisi id quod ex suo ministerio mutuatur. Michael enim quis ut Deus interpretatur, quia Dei nomen defert, ut Deus ipse testatur: *Et est nomen meum in illo* (*Exod.* XXXIII). Ideo ab Isaia Angelus faciei Dei appellatur: *Angelus faciei suae salvavit eos* (*Isai.* LXIII), quia scilicet ejus attributa et majestatem repraesentat. Divinam namque gloriam repraesentavit, apparens Moysi (*Exod.* III) tanto splendore fulgidus, ut eum intueri propheta non valeret; divinam potentiam enecando una nocte centum octoginta quinque millia militum exercitus Sennacherib regis Assyriorum (*IV Reg.* XIX); divinam justitiam, puniendo Ægyptios, quorum primogenitos interfecit, et militares copias mari rubro sepelivit; divinum dominium promulgando leges in monte Sina (*Exod.* XX); divinam bonitatem, uno fere instanter deferendo Abacuc a Judea in Babylonem, ut Danieli esurienti alimenta praeberet, concludendo ora leonum, ut prophetam ab eorum feritate liberaret (*Dan.* XIV); divinamque providentiam deducendo Judaeos per desertum in columna nubis, eosque quadraginta annos manna cibando. Tanto magis Michael est ab hominibus honorandus, quanto pro Dei honore decertavit, et quotidie etiam pro hominum salute cum daemonibus pugnat. Michael venerandus est tum pro aequitate, tum pro gratitudine, quia omnium christianorum est protector, quos tum in decursu vitae, tum in hora mortis defendit, toto tempore vitae protegit, quare sic eum alloquitur Sophronius: *Re et nomine, et quantum possum, sensum obtestor, ut et vitae hujus curriculo exituro, laetus, pagatusque appareas, meque sub honorato alarum tuarum velamine abscondas, atque ex angustis obscurisque inferorum locis ereptum, in loco tabernaculi admirabilis constituas, deducens usque ad domum Dei, in voce exultationis et confessionis, et soni festum celebrantis* (*Soph. de S. Mich.*) Utinam sicut S. Michael de nostra protectione est sollicitus, ita nos sedulo ejus honori incumberemus. Igitur Deo honore et gloria, et Sancto Michaeli pariter: quia ipse Deus mandavit Michaeli, ut defendat te in omnibus viis tuis. Et ideo Michael Arcangele, esto memor nostri hic et ubique semper deprecare pro nobis Filium Dei.

9. Abstinentia

Ex Sacris Scripturis

De ligno autem scientiae boni et mali ne comedas: in quocumque autem die comederis ex eo morte morieris. *Gen.* II, 17.

Quis enim indicavit tibi, quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo praeceperam tibi ne comederes comedisti? *Gen.* III, 11.

Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantum assum igni: caput cum pedibus ejus, et intestinis vorabitis. *Exod.* XII, 9.

Viri sancti eritis mihi: carnem, quae a bestiis fuerit praegustata, non comedetis, sed projicietis canibus. *Exod.* XXII, 31.

Ne comedatis, quae immunda sunt. Hoc est animal, quod comedere debetis, bovem et ovem et capram, cervum, et capream, etc. . . . De his autem quae ruminant, et ungulam non findunt, haec comedere non debetis, ut camelum, leporem chaerogryllum: haec quia ruminant et non dividunt ungulam, immunda erunt vobis. Sus quoque, quoniam dividit ungulam, et non ruminat, immunda erit. *Deut.* XIV, 3, 7, 8.

Contingit autem septem fratres una cum matre sua apprehensos, compelli a regere edere contra fas carnes porcinas, flagris et tauris cruciatos. *II Macch.* VI, 1.

Et cum omnes ederent ex cibis Gentilium, iste *solus* custodivit animam suam, et nunquam contaminatus est in escis eorum. *Tob.* I, 12.

Justus comedit et replet animam suam; venter autem impiorum insaturabilis. *Prov.* XIII, 25.

Beata terra . . . . cujus principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, et non ad luxuriam. *Eccles.* X, 17.

Propter crapulam multi abierunt: qui autem abstinens est adjicet vitam. *Eccli.* XXXVII, 34.

Proposuit autem Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensa regis, neque de vino potus ejus, et rogavit eunuchorum praepositum, ne contaminaretur . . . dentur nobis *tantummodo* legumina ad vescendum. *Dan.* I, 8, 12.

Esca autem ejus (*Joannis*) erat locustae, et mel silvestre. *Matth.* III, 4.

In diebus Noe. . . edebant et bibebant: uxores ducebant, et dabantur ad nuptias, usque in diem, qua intravit Noe in arcam: et venit diluvium, et perdidit omnes. *Luc.* XVII, 27.

Esca ventri, et venter escis; Deus autem hunc et has destruet. *I Cor.* VI, 13.

Omnis enim, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam. *I Cor.* IX, 25.

Nos autem, qui Dei sumus, sobrii simus . . . ab omni specie mala abstinete vos. *Thess.* V, 8, 22.

Ex Ss. Patribus

Pensandum est quod, corda in cithara, si minus tenditur, non sonat, si amplius raucum sonat; sic virtus abstinentiae, aut omnino nulla est, si tantum quisque corpus non edomat, quantum valet, aut valde inordinata est, si corpus atterit, plusquam valet. *Greg. Moral.* lib. XX, cap. XXXI.

Sobrietas servat memoriam, acuit sensum, sincerat mentem, dirigit vultum, integrat pudorem, mitigat vitia, elinit aures, exonerat cerebrum, exprimit linguam, explicat sermonem, nutrit medullam, confirmat sanguinem, procurat venas, constringit nervos, contemnit libidinem, recreat somnum, propagat senectutem, perhibet mysterium, et hominem constabilit. *Beda in Collec.*

Quod necessitatem in edendo excedit, id non alimentum, sed pestis est, satietas morborum, omnium origo. *Gris. hom. XXI in Joan.*

O magna, et admirabilis abstinentiae virtus, per quam homines Filii Dei excelsi efficiuntur, per quam vitia expelluntur, et daemones; per quam non solum animarum salus augetur, sed etiam corporum sanitas possidetur! *Aug. ser. XXXI ad Frat. in Eremo.*

Christus multos habet amatores, et sodales mensae, sed paucos sectatores abstinentiae. *Kemp.* cap. VII.

Quia Paradisi gaudiis per cibum cecidimus, ad haec in quantum possumus per abstinentiam resurgamus. *Greg. in hom. XXX.*

Solus in illicitis non cadit, qui se aliquando et a licitis caute restringit. *Greg. lib. V Moral.*

Abstinentia est, quae edendi horam non praevenit, ut fecit Jonathas in favo mellis, non lautiora quaerit edere, ut Israelitae in deserto: non accuratius parare, ut filii Eli in Silo: non ad superfluitatem, ut Sodomitae, non vile quidlibet, Esau edulium in fame concupit. *Greg. lib. V Moral.*

Nihil sic jucundum est, ut cibus bene digestus, ac decoctus. Nihil sic ad salutem, nihil sic sensum acumen operatur, nihil sic aegritudinem fugat, ut moderata refectio. Sufficientia quippe cum nutrimento et sospitate, simul etiam procreat voluptatem, exundantia vero morbum facit, et molestias ingerit, et aegritudines generat. *Grys. sup. ep. ad Hebr. ser. XXIX.*

Semper virtuti cibus jejunium fuit, de abstinentia quoque prodeunt castae cogitationes, rationabiles virtutes, salubria consilia, et per voluntarias afflictiones caro concupiscentis moritur, et virtutibus spiritus innovatur. *Leo Pap. ser. de jejun. X mens.*

Si nostras modo collationes cum primaevis christianis, qui semel in die comedebant post occasum solis, non opipare, sed frugaliter, non abunde, sed parce; non erit inanitas oris vel ventris, sed potius repletio ; nec pabuli pressura, sed sobria satietas nec sera et arida esca, nec matutina, nec exquisitis vinis et exquisitis condimentis irrigata. Scito enim quod nimia ciborum repletio corpus reddit pigrum, quia vas plenum ponderosum efficitur: hebetat intellectum, et effectum devotionis obruit ac imminuit. Ad majora natus es, quam ut sis mancipium corporis tui. Dum carni parcis, contra te hostes nutris. Tibi ipsi impera: abstine, sustine. At tot sunt ciborum commenta, piscium varietates, vinorum exquisitis, placentarum genera condimentorum, ingenia diversaque, alia, edulia; ut majores vigeant in diebus jejuniorum deliciae cum piscibus, quam diebus in quibus carne vesci licitum est. Imo tanta est in aliis elementis curiositas seu diversitas, ut merito dici potest; nullum habere terminum delicta utique ad poenitentiam. Non sic David, non sic, cinerem quidem edens velut panem, idest, panem velut cinerem aridum et sordidum, potum vero fletu miscens utique pro vino. Quam longe a Davide distas, qui carnem nullo modo maceras, imo opipare colis !

10. Honor Sacerdotibus

Ex Sacris Scripturis

Locutus est Dominus ad Aaron : Ecce dedi tibi custodiam primitiarum mearum. Omnia quae sanctificantur a filiis Israel, tradidi tibi et filiis tuis pro officio sacerdotali legitima sempiterna , etc. *Num.* XVIII, 8.

Veniesque ad Sacerdotes etc. qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint tibi, etc. *Deut.* XVII, 9, 10.

Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio . . . . morietur homo ille, etc. *Deut.* XVII, 12.

Accedentque sacerdotes filii Levi , quos elegerit Dominus Deus tuus ut ministrent ei , et benedicant in nomine ejus , et ad verbum eorum, omne negotium, et quidquid mundum vel immundum est judicetur. *Deut.* XXI, 5.

Vos estis Presbyteri in populo Dei, et ex vobis pendet anima illorum, etc. *Judith* VIII, 21.

Nolite tangere Christos meos, et in Prophetis meis nolite malignari. *Psal.* CIV, 15.

Honora Deum ex tota anima tua, et honorifica Sacerdotes. *Eccli.* VII, 33.

Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. *Zacch.* II, 8.

Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est. *Malach.* II, 7.

Et cum fuerit controversia, stabunt (*Sacerdotes*) in judiciis meis, et judicabunt. *Ezech.* XLIV, 24.

Ait illi Jesus: Vide, nemini dixeris sed vade, ostende te Sacerdoti, et offer munus, quod praecipit Moyses, in testimonium illis. *Matth.* VIII, 4.

Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit. *Luc.* X, 16.

Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. *I Cor.* IV, 1.

Ex Ss. Patribus

Sacerdotis aspice dignitatem: agitur in terra, sed officium coelestibus negotiis continetur. Non enim homo, non Angelus, non Archangelus, non aliqua alia creatura, non virtus, sed ipse S. Sanctus hoc munus instituit, atque adhuc manentes in carne mysterio fungi praestitit angelorum. *Gris. de dign. Sacerd.* lib. II.

Morietur, inquit, quisquis contempserit Sacerdotem. Magnum igitur est, et admirabile revera munus Deo assistere, ac ministrare. Quisquis vero Dei ministerium contempserit, vindictae, atque supplicio subjicietur, et qui divinam hanc dignitatem contempserit acerbissimas suae despicientiae poenas luet. *Cirill. Alex. lib. XIII de ador. in spir. et ver.*

Omni reverentia, et honore prosequendi sunt Dei Sacerdotes: Christianorum enim sunt Patres spirituales, et hujus mundi spiritus, et vita; ego si viderem venientem per viam Presbyterum, et Angelum, ad Sacerdotis manus deosculandas citius me conferram, quam ad Angelum. *Francisc. Assis. in opusc. orac. XXII.*

Per ipsos Christum induimus, per ipsos Dei filio conjungimur, per ipsos membra beati ipsius capitis efficimur. Quomodo ergo nobis isti non solum reverendi magisquam reges aut judices? *Gris. de dignitate Sac.*

Dominus in lege praecepit: *Diis non detrahes.* Sacerdotes intelligens qui propter excellentiam ordinis, et officii dignitatem, Deorum nomine nuncupantur. *Innoc. III de Ord.*

Sacerdotes Christi vicarii sunt, et qui honorat Sacerdotem Christi, honorat Christum, et qui injuriat Sacerdotem Christi, injurat Christum, cujus est Vicarius, et Sacerdos. *Gris. hom. XVII in Matth.*

Presbyteri, qui bene praesunt vita et doctrina, digni habentur a subditis duplici honore, scilicet ut spiritualiter eis obediant, et exteriora bona ministrent. Boni enim dispensatores et fideles non solum honore sublimi praemiari debent, sed et terreno, ut non contristentur indigentia sumptuum, et gaudeant obedientia spiritualium: instantior enim fit, si non humilietur inopia, et crescit in illo aucthoritas, quum videt se etiam in praesenti laboris fructum percipere, non ut abundet, sed ut non deficiat. *Glos. Aug. sup. l. I, tit. V.*

Dubium non est nos per Sacerdotes Christum induere, per ipsos Dei filio conjungimur, per ipsos membra beati ipsius capitis efficimur. Quomodo ergo nobis isti non solum reverendi magis, quam reges, aut judices? sed etiam nobis magis erunt honorabiles, quam parentes. Dubium non est quidem esse multos sacerdotes, et paucos sacerdotes, multi nomine, et pauci in opere; multi certo scio male sedere super cathedram, quia non locus sanctificat hominem, sed homo locum. Sed haec ad quid? An quia malus desinit ne esse sacerdotem? Qui vos spernit, ait Christus, me spernit. Melius est propter bonos etiam malos fovere: quam propter malos etiam bonos contemnere: propter bonos ergo sacerdotes etiam malos honorare, ne propter malos etiam bonos contempseris. Amemus Sacerdotes, et potestatem eorum veneremur. Non patiamur eos fidelium malorum, aut pessimorum servorum injuriis atque insidiis lacerari.

11. Ambitio

Ex Sacris Scripturis

Sublevavit te cor tuum (*ait Joab rex Israel ad Amasiam regem Juda*). Contentus esto gloria, et sede in domo tua. *IV Reg.* XIV, 10.

Noli quaerere ab homine ducatum, neque a Rege cathedram honoris. *Eccl.* VII, 4.

Qui potestatem sibi sumit iniuste, odietur. *Eccl.* XX, 8.

Numquid regnabis, quoniam confers, te cedro? *Jerem.* XXII, 15.

Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister. *Matth.* XX, 26.

Quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum. *Luc.* XVI, 15.

Et tu Capharnaum, usque ad coelum exaltata *es*, *sed* usque ad infernum demergeris. *Luc.* X, 15.

Jesus autem cum cognevisset, quod venturi essent, ut raperent eum, et facerent cum regem, fugit iterum in montem ipse solus. *Joan.* VI, 15.

Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei. *Joan.* XII, 43.

Cum vidisset autem Simeon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus Sanctus obtulit eis pecuniam . . . Petrus autem dixit ad eum. Pecunia tua, *et ambitio tua*, tecum sit in perditionem. *Actor* VIII, 18.

Non efficiamini inanis gloriae cupidi. *Galat.* V, 26.

Quorum gloria in confusione ipsorum. *Philip.* III, 19.

Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron: sic et Christus non semetipsum glorificavit, ut Pontifex fieret, etc. *Hebr.* V, 4.

Caritas non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt. *I Cor.* XIII, 5.

Ex Ss. Patribus

Noluit Christus regnum terrenum cum superbia, quae est cathedra pestilentiae : ideo recte dicitur quia non fere quisquam est, qui careat amore dominandi, et humanam non appetat gloriam. *Aug. sap. Psal. LXI.*

Ambitio, sublime malum, secretum virus, pestis occulta, doli opifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum aerugo, tinea sanctitatis, excecatrix cordium, ex remediis morbus creans, generans ex medicina languorem. *Bern. in Psal. Qui habit.*

Ambitiosus humilitatem simulat, honestatem mentitur, affabilitatem exhibet, et obsequitur, cunctos honorat, frequentat curias, visitat Optimates, assurgit, et amplexatur, applaudit, et adulatur. *Gris. hom. II ad Tit.*

Omnis honor saeculi diaboli est negotium. *Hil. cap. III in Matth.*

Potestatis ambitio Angelum felicitate privavit, scientiae appetitus hominem immortalitatis gloria spoliavit; non Hevam cibus deflexerat, non mandatorum destituerat oblivio, sed promissi honoris ambitio illecebrosa decepit. *Bern. ser. V in Dom. Psal.*

O ambitio ambientium crux! quomodo omnes torques, omnibus

placere nihil acrius craciat, nihil molestius inquietat: nihil tamen apud miseros mortales celebrius negotiis ejus. *Ber. lib. III de consid.*

Quot per fas et nefas ad loca superiora se ingerunt! non fere quispiam est, qui careat amore dominandi, et humanam non appetat gloriam. *Ber. lib. I de Con.*

Locus regiminis desiderantibus negandus est, fugientibus afferendus. Virtutibus ergo coactus ad regimen veniat. *Greg. in post.*

Ambitiosus promotus et fervidus, ubi placere cognoverit, remissus et tepidus ubi putaverit displicere. Improbat mala, et detestatur iniqua, sed alia cum aliis probat et improbat ut judicetur idoneus, ut reputetur acceptus, ut laudetur ab omnibus, ut a singulis approbetur. Sed gravem intra se sustinet pugnam, difficilemque conflictum, dum iniquitas pulsat animam, ambitio continet manum, et quod illa suggerit, haec fieri non permittit. Colludunt ad invicem mater et filia iniquitas et ambitio; haec vindicat sibi publicum, illa secretum. *Innoc. de util. cond. hum.*

Quoties hominibus praesse desidero, toties Deo praeire contendo. *Aug. sup. Psal. L.*

Omnis adeundi honoris ecclesiastici abscinderetur ambitio, si se judicandos potius, quam judicaturos, hi qui praeesse volunt populis cogitarent. *Orig. sup. ep. ad Rom.*

Sicut is qui invitatus renuit, quaesitus refugit, sacris est altaribus admovendus: sic qui ultro ambit vel importune se ingerit, est procul dubio repellendus; nam qui si nititur ad altiora conscendere, quid agit, nisi ut crescendo decrescat, et ascendendo exterius, interius in profunda descendat. *Greg. in Regi.*

Certe ad vanitatem ambitionis retundendam, nullum est amplius medium quam vanitatem earumdem rerum, quas tanto ardore prosequitur demonstrare. Quae sunt vel nobilitas, vel augusta nomina, vel, fama vel honores, vel pulchritudo, vel vestes ornatae, vel sumptuosa convivia, vel divitiae, quae omnia certe vana sunt, ut enumeratione patebit. Nobilitas generis vana est: tum quia est ab Adamo, qui ex luto formatus fuit! tum quia Apostolus genealogias nobilium fabulis confines pronuntiat. *Rogavi te ut denuntiares quibusdam ne intenderent fabulis, et genealogiis interminatis* (*I Tim.* I). Tum quia multi alienum usurpant nomen. *Pars enim filiorum aut potior solet ejus nomine comprehendi: quod ad ipsum nomen non pertinet* (*Aug. lib. I Quaest. Vet. Test.* quaest. VII). Tum quia nobilitas temere usurpatur vel nullo merito conceditur, vel sordide pecunia emitur. *In hanc ignobilem nobilitatem invehitur*

(*Tert. Apol. VI*). Tum quia vana est gloria, quae de aliena virtute mutuatur. Nomina vana sunt: homines superbia inflati, inflant nomina: ut non tantum homo, sed nomen turgeat. Hoc comparant Patres chamaeleonti minuto animaculo, cuius pomposum est nomen. Fama vana est: quam tamen omnes ferme homines ambiunt: non solum dum vivunt, sed etiam post mortem. At quanta sit famae hujus vanitas, hoc unum ostendit, quod solam saeculi gloriam, quae vana est, concupiscat; et quid fama vanius, quae a vulgi ignorantia, vel depravatione dependet? Honores vani sunt, et imaginarii. *Omnia imaginaria in saeculo et nihil veri ait Tertullianus* (*Tert. lib. XIV de Cor. Mil.*). Dignitates ita sunt inanes, et vanae: ut sint duntaxat dignitatum nomina. *Dignitates temporales haudquaquam quis dignitates dixerit, sed dignitatum nomine dumtaxat* (*Chrys. hom. in ep. ad Rom.*). Immo: *Temporalia apud Deum nomine carent, licet apud homines magnum nomen habere viderentur* (*Rup. in cap. I Gen.*). Pulchritudo vana est. Pulchritudinis infirmitatem prodit sapiens. *Fallax gratia, et vana est pulchritudo* (*Prov.* XXXI). Sirus legit: *Mentitur decor, infructuosa est pulchritudo.* Haebraeus rem vivacius exponit: *Mendacium gratiae, et vana pulchritudo.* Quare *ob formositatem corporis se jactare, et laudes aucupari mentis compos nemo potest* (*Greg. Naz. orat. XXXI*). Vestium ornatus vanus est. Vestium ornatus vanus est: Nam gens Medorum, quamvis pretiosis vestibus praedita fuisset, devicta fuit ab Alexandro. Convivia vana sunt in quibus est pretiosorum ciborum ambitio. Quid enim dicendum si modo aspiceremus convivia christianorum? quae gentilium fercula sumtibus, novitatibus et deliciis multo superant. Verum si tota ventris ambitio pulsetur, nihil hinc exiet nisi mera vanitas: tum quia gula obruit sensum, tum quia gulosi ad *brutam naturam proprius accedunt* (*Greg. Naz. orat. pro Basil.*). Tandem divitiae vanae sunt: tum quia est concupiscentia quae vana est: tum quia divitiae vanae. Quid autem sunt divitiae? umbra iners, fumus, qui cito evanescit. Et tamen ea est ambitiosorum dementia, ut pro dignitatibus valedicant saluti, renuncient coelo, et pro flore morituro, aeternum sustineant dolorem, et immortalem patiantur mortem. Ambitio enim est privatio vitae ac felicitatis, et via lata quae ducit ad aeternam mortem.

12. Desiderium fruitionis Dei

Ex Sacris Scripturis

Et universa terra desiderabat (*videre*), vultum Salomonis. *III Reg*. X, 24.

Quis det, ut veniat petitio mea: et quod expecto, tribuat mihi Deus? *Job* VI, 8.

Non est satiatus venter ejus, et cum habuerit quae concupierat, possidere non poterit, etc. *Job* XX, 20.

Quis mihi tribuat, ut cognoscam et inveniam illum? *Job* XXIII, 3.

Domine ante te omne desiderium meum. *Psal.* XXXVIII, 10.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. *Psal.* XLI, 1.

Sitivit anima mea ad te Deum fortem vivum . . . Haec recordatus sum, et effundi in me animam meam. *Psal.* XLI, 2 . . . 4.

Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. *Psal.* LXII, 2.

Heu mihi, quia incolatus meus promulgatu est! *Psal.* CXIX, 9.

Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. *Ps.* LXXXIII, 2.

Super flumina Babylonis illic sedimus, et flevimus, dum recordaremur tui, Sion. *Psal.* CXXXVI.

Desiderium suum justis dabitur. *Prov.* X, 4.

Vir, cui dedit Deus divitias, et substantiam et honorem, et nihil deest animae suae ex omnibus, quae desiderat: nec tribuit ei potestatem Deus, ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud; hoc vanitas et miseria magna est. *Eccles.* VI, 2.

Quid necesse est homini majora se quaerere, cum ignorat quid conducat sibi in vita sua, etc. *Eccles.* VII, 1.

Nomen tuum, et memoriale tuum in desiderio animae . . . Anima mea desideravit te in nocte. *Isai.* XXVI, 8, 9.

Noli timere, vir desideriorum: pax tibi. *Dan.* X, 19.

Curremus in odorem ungentorum tuorum. *Cant.* I, 3.

Qui autem scrutatur corda, scit quid desiderat spiritus. *Rom.* VIII, 27.

Coarctor autem e duobus: desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo. *Philipp.* I, 23.

Quae sursum sunt sapite non quae super terram. *Coloss.* III, 2.

Ego sitienti dabo de fonte aquae vitae gratis. *Apoc.* XXI, 6.

Ex Ss. Patribus

Ferocia sunt terrena desideria, quae non solum contra praece-

pta Conditoris, sed etiam contra percussionum verbera, duram, atque insentiabilem mentem reddunt. *Greg. lib. VI Moral.*

Cum habes, quod desideras, nole nimis inniti ei per delectationis affectum, sed cogita quod cito pertransiet, et nihil post se relinquet, nisi vestigia dolorum. *Bonav. de prof. Rel.*

Quanta desideria sunt in cordibus hominum? alius desiderat aurum, alius desiderat argentum, alius desiderat possessiones, alius desiderat hereditates, alius amplam pecuniam, alius multa pecora, alius domum magnam, alius uxorem, alius honores, alius filios, ardent omnes homines desiderio. *Aug. in Psal. LXII.*

Solerter nostra probanda sunt desideria, absque tamen fraude, et cunctatione curiositatis, ne forte sub devotionis germine, deceptionis lateat coluber. *Laur. Just. in fascic. amor.*

Non omni spiritui est credendum, neque cuncta desideria, quae bona in se censentur, sunt opere perficienda. *Laur. Just. de obed.* cap. XXVI.

Ardentibus spiritualibus desideriis, carnalia desideria sine dubitatione frigescunt. *Aug. in Psal. CXVIII.*

Nihil in hac vita laboriosus quam desideriis terrenis aestuare, et nihil hic quietius, quam hujus saeculi nihil adpetere praeter Coelum. *Bern. in ser. VI.*

Facilius possumus dicere in illa vita aeterna, quod ibi non sit, quam quod sit. Non est ibi mors, non est ibi luctus, non ibi lassitudo, non est infirmitas, non est fames, nulla sitis, nullus aestus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla moestitia, nulla tristitia. *Aug. de symbol.* lib. III.

Illuc festinate, ubi semper vivatis. Si enim sic amatis istam miseram, fluidamque vitam, ubi cum tanto labore vivitis, et ubi vix currendo, satagendo, suadendo, suspirando necessariis corporis satisfacitis: quanto magis desiderare debetis vitam aeternam, ubi nullum laborem sustinebitis? ubi semper summa securitas, summa foelicitas, foelix libertas, foelix beatitudo? ubi implebitur illud quod Dominus dicit in Evangelio. Erunt homines similes Angelis, et illud: Fulgebunt justi, etc. *Aug. de util. agendae poenit.*

Festinemus ad locum tutiorem, id est ad agrum uberiorem, ad pastum saniorem, ut habitemus sine metu, abundemus sine defectu, epulemur sine fastidio. *Greg. sup. Ezech. hom. VIII.*

Quandiu vivimus in hoc seculo, infallibilem absque Dei revelatione de salute nostra non habemus certitudinem. Et quis scit, si est dignus amore, vel odio? At inter probabilitates, et conjecturas assequendae beatitudinis non ultima est, procul dubio, deside-

rium fruitionis Dei. Hoc solido innititur fundamento nimirum in amorem Dei, nam qui Deum amat, fruetur Deo. In Lycia erat fons, ex quo desumebatur faustum, vel infaustum vaticinium. Si enim pisces in illo existentes injectum panem avide deglutiebant, erat prosperitatis omen. Si vero illum dumtaxat rostro tangebant, et cauda dejiciebant, erat adversitatis vaticinium (*Plin. lib. XXX, cap. II*). Verum relicta historia naturali de falsitate suspecta, ex desiderio fruitionis Dei sumitur praedestinationis signum, sicut e fastidio et contemptu reprobationis argumentum. At proh dolor! quam multi fastidiunt Deum frui, et quam pauci in illam penetrare patriam desiderant? Videmus hac aetate apud homines, qui avide terrena desiderant bona, ardenter mundanam sectantur fortunae felicitatem, et nullo aestuant ardore pro obtinendis spiritualibus bonis, pro immortali adipiscenda beatitudine. Sed quale est tuum desiderium? desideras ne coelestia an terrena? Amas ne, quae Christus amavit, docuitque? Quomodo ergo tam dissimiliter desideras? Quomodo vanitates mundi hujus Christo plane oppositas desideras? Desideras? et quid desideras? Vitam aeternam ne? Apud Deum non verba probantur sed facta. Non enim sunt omnes Christi, qui se dicunt Christianos. Vis ergo te Deum desiderare? fac, operare, quae Deus incarnatus fecit.

15. Superbia

Ex Sacris Scripturis

Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judiciis, morietur homo ille, et auferes malum de Israel: cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia. *Deut.* XVII, 12, 13.

Et conteram superbiam duritiae vestrae: daboque vobis coelum desuper sicut ferrum, et terram aeneam, etc. *Levit.* XXVI, 19.

Quoniam tu (*Deus*) populum humilem salvum facies: et oculos superborum humiliabis. *Psal.* XVII, 28.

Non habitabit in medio domus meae, qui facit superbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum. *Psal.* C, 7.

Domum superborum demolietur Dominus. *Prov.* XV, 25.

Odibilis coram Deo est, et hominibus superbia: et exsecrabilis omnis iniquitas gentium. *Eccli.* X, 7.

Initium omnis peccati est superbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis: et subvertet eum in finem. *Eccli.* X, 15.

Disperge superbos in furore tuo, et respiciens omnem arrogantem humilia. Respice cunctos superbos, et confunde eos, et contere impios in loco suo. *Job* XL, 6.

Timor Domini odit malum: arrogantiam, et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor. *Prov.* VIII, 5.

Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia: ubi autem est humilitas, ibi et sapientia. *Prov.* XI, 2.

In ore stulti virga superbiae. *Prov.* XIV, 13.

Abominatio Domini est omnis arrogans: etiam si manus ad manum fuerit, non est innocens . . . Contritionem praecedit superbia: et ante ruinam exaltatur spiritus. Melius est humiliari cum mitibus: quam dividere spolia cum superbis. *Prov.* XVI, 5 . . . 18, 19.

Quomodo coecidesti de coelo, lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo: In coelum conscendam , super astra Dei exaltabo solium meum , sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendum super altitudinem nubilum, similis ero Altissimo. Veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci. *Isa.* XIV, 12 et seqq.

Audivimus superbiam Moab, superbus est valde: superbia ejus, et arrogantia ejus , et indignatio ejus, plusquam fortitudo ejus. Idcirco ululabit Moab ad Moab, universus ululabit. *Isa.* XVI, 6, 7.

Et tu, Capharnaum, nunquid usque in coelum exaltaberis? usque in infernum descendes. *Matth.* XI, 25.

Dispersit superbos mente cordis sui: deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. *Luc.* I, 51, 52.

Pharisaeus stans, haec apud se orabat. Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut caeteri homines; raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus. *Luc.* XVIII, 11.

Detractores, Deo odibiles, contumelisos, superbos, etc. *Rom.* I, 30.

Similiter, adolescentes, subditi estote senioribus. Omnes autem invicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. *I Pet.* V, 5.

Quantum glorificavit se (*Babylon*), et in deliciis fuit: tantum date illi tormentum et luctum; quia in corde suo dicit: Sedeo regina: et vidua non sum: et luctum non videbo. *Apoc.* XVIII, 7.

Ex Ss. Patribus

Audeo dicere superbis esse utile cadere in aliquod apertum et manifestum peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus displicuit, quando flevit, quam sibi placuit, quando praesumpsit. Hoc dicit sacer Psal. Imple facies eorum ignominia. *Aug. de Civ. Dei* lib. XIV.

Omni vitio deterior est superbia, seu quia a summis personis assumitur, seu quod ex opere justitiae, et virtutis exoritur, minusque culpa ejus sentitur; luxuria vero carnis ideo notabilis omnibus est, quoniam statim per se turpis est, et tamen, pensante Deo, superbia minor est. *Isid. lib. II de sum. bono.*

Malum superbiae maxime virtutibus est cavendum, quia nullis opportunis insidiatur, quam quibus laus justa debetur. *Ambr. lib. X, ep.* 84.

Caetera vitia in male factis valent, sola superbia etiam in recte factis est cavenda. *Aug. lib. de nat. et grat.*

Superbos verba non corrigunt, sed tantum dum amittere honores trepidant, humilitatem quam non habent, simulant, ne gloriae culmen perdent. *Greg. lib. I, cap. VI in Evon.*

Unde superbis, homo, cujus conceptio culpa, nasci poena, labor vita, necesse mori? ista tria semper in mente habeto, quid es, quid eris, quid fuisti. Quia sperma foetidum, quia vas stercorum, quia cibus verminum. *Bern. ser. XXIV.*

Quid superbis, homo, Deus propter te humilis factus est: puderet te fortasse imitari hominem, saltem imitare humilem Deum. *Aug. XXV in Joan.*

Nulla fere pagina est sanctorum librorum, in qua non sonet, quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. *Aug. de doct. Chr.* cap. XXXIII.

Quoniam delicto alio nisi superbiae? non est enim majus peccatum, quam apostatare a Deo: quod est initium superbiae hominis. Et vere iste immaculatus est, qui etiam hoc delicto caret. Quia hoc est ultimum redeuntibus ad Deum, quod recedentibus primum fuit. *Aug. sup. illud Psal. Et emand.*

Vitia quippe caetera in peccatis, superbia vero in recte factis timenda est: ne illa, quae laudabiliter facta sunt ipsius laudis cupiditate amittantur *Aug. in ep. ad Diosc.*

Si vix toleratur dives superbus, pauperem superbum quis ferat? *Aug. sup. Psal. XXIX.*

Vermis divitiarum est superbia. Difficile est ut non sit superbus, qui dives est. Tolle superbiam, et divitiae non nocebunt. *Aug. in ser. XXXI.*

Humilitas homines sanctis Angelis similes facit, et superbia ex Angelis daemones facit: et ut evidenter ostendam, ipsa est omnium peccatorum initium, et finis, et causa: quia non solum peccatum est ipsa superbia, sed etiam nullum peccatum potuit, aut potest, aut poterit esse sine superbia. *Aug. in ep. ad Diosc.*

Superbus est praesumptione altus, vanitate plenus. Sed cur de sua fortuna tumet? Quid habet quod sibi datum non sit? Si a Deo munifico accepit cuncta, ut quid gloriatur de iis, quae habet, quasi non acceperit? Deus in largitione gratiae supernam suam demonstrat auctoritatem, munificentiam, et independentiam; quia gratis eam largitur. Homo vero Deo supremo Domino, et benefactori munificentissimo tenetur praestare obsequium, dependentiam, et gratitudinem: superbus tamen erga Deum ingratus, nec ei obsequi, neque ab eo dependere vult. Idcirco superbus ingratus, qui gratiam gratuito datam suis viribus et meritis attribuit, ea merito spoliatur. Romani ut suam denotarent potentiam, et magnanimitatem, solebant *parcere subiectis, debellare superbos* (*Virg. Æneid. VI*). Non absimiliter Deus gloriae suae zelotes, superbos eam ambientes deprimit, humiles eam adorantes extollit, suaque gratia abundanter locupletat. Unde Regius Vates: *Inter medium montium pertransibunt aquae* (*Psal.* CIII). Duo montes sunt duae species superbiae, quarum una nascitur ex bonis fortunae, altera ex donis naturae, vel gratiae. Inter duos illos montes est vallis humilitatis, non declinans ad aliquam speciem superbiae, in medio autem montium fluunt aquae gratiarum, quae humilem irrigant. Simus igitur non montes per superbiam, sed valles per humilitatem. Sed multi habent humilitatis speciem, sed virtutem non habent: multi eam foris praetendunt, sed intus impugnant. Perfacile est aliquem habere vestem contemptam, salutare submissum, manus, genua et pedes deosculari, inclinato in terram capite, oculisque eiectis humilitatem polliceri, lenta voce tenuique sermone infringere, et ad omne verbum peccatorem se, ac miserum clamare: sed si levi sermone offensus fuerit, continuo videbis attollere supercilia, levare cervicem, delicatum illum vocis sonum insano clamore repente mutare, et arrogantiae verbis fucatam, et ementitam prodere humilitatem. Ideo quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam. Non praesumas de te ipso, nec bonam de te ipso habeas opinionem. De limo terrae formatus, in peccato conceptus, ad malum pronus es ab adolescentia, instabilis, árundo ventis agitata, peccator, et superbis? Primos parentes nostros, propter hoc peccatum Paradiso ejectos esse, veritas fidei est. Superbia de Angelo diabolum fecit, et homini mortem intulit, omnium malorum mater, scelerumque fons, vena nequitiae. Abhorre ab hoc peccato, humilia te in omnibus. Expende vilitatem tuam et deprime cor tuum.

14. Sanitas

Ex Sacris Scripturis

Surgentes autem pariter, instanter orabant ambo simul, ut sanitas daretur eis. *Tob.* VIII, 6.

Melior est . . . . corpus validum, quam census immensus. Non est census super censum salutis corporis. *Eccli.* XXX, 15, 16.

Jucunditas cordis, haec est vita hominis . . . et tristitiam longe repelle a te : multos enim occidit tristitia, et non utilitas in illa. Zelus et iracundia minuunt dies, et ante tempus senectam adducet cogitatus. *Eccli.* XXX, 22 et seq.

In omnibus operibus tuis esto velox, et omnis infirmitas non occurret tibi. *Eccli.* XXXI, 27.

Sana me, Domine, et sanabor: salvum me fac, et salvus ero; quoniam laus mea tu es. *Jerem.* XVII, 14.

Ego autem Dominus Deus tuus (*qui te eduxi*) ex terra Ægipti: et Deum absque me nescies, et Salvator non est praeter me. *Oseae* XIII, 4.

Ecce sanus factus es: jam noli peccare, etc. *Joan.* V, 14.

Ex Ss. Patribus

Quid boni habet sanitas, languor ostendit, et in comparatione gravioris morbi sanos nos esse credimus. *Hier. in quad. ep.*

Nulla res obtinet integritatem naturae, nisi in suo genere salva sit, ab eo autem est omnis salus, a quo est omne bonum, et omne bonum ex Deo est, salus igitur omnis ex Deo est. *Aug. de ver. Relig.* cap. XVIII.

Multa cautela custoditur salus corporis, quae etiam custodita amittitur, amissa cum gravi dolore reparatur, et tamen reparata in dubio semper est. *Greg. Moral.* lib. II, cap. XXVI.

Laboribus sanitas, et sudoribus salus comparatur. *Damasc.* lib. III.

Qui aegrotat, non aliter recipit sanitatem, nisi tenui cibo, et castigato victu ; quibus recipitur sanitas, his et servari potest. *Hier. adv. Jovin.*

Salus humana est sanitas carnis, salus divina integritas mentis: hanc homo diligit, illam Deus custodit; hanc homo conservat, molestias fugiendo, illam Deus confirmat, molestias inferendo. *Hug. a S. Vict. in Psal. XVII.*

Quid prodest, si quod exterius est, sanum est, et putrefacta est medulla conscientiae ? *Aug. in Psal. XLV.*

Cum corpus sanum est, anima aegrotat, cum vero infirmatur, anima floret, et ad superna respicit, voluptates superantur, et cum corpore marcescunt. *Greg. Naz. orat. IV.*

Frustra pro salute corporis laboratur, nisi salus animae obtineatur. *Beda in Prov.*

Si quis bona est valetudine, terrestria, et coelestia speculetur, omni studio mortem meditetur. *Greg. Naz. or. XXV.*

Sanitas, est integritas; et temperantia naturae ex callido et humido, quod est sanguis: unde sanitas dicta est, quasi sanguinis status. *Isid. lib. IV etymol.*

Corporis debilitas nimia etiam vires animae frangit, mentis quoque ingenium marcescere facit. Quidquid cum modo et temperamento fit, salutare est. *Hier. in ep. ad Nep.*

Quidam pro libito suo vivunt, et semper sunt vegeti, quidam a regulis Hippocratis non deviant, et assidue sunt infirmi. *Petr. Barv. in ep.*

Quis enim est mentis gaudio recreatus facilius membrorum recipit sospitem. Naturalis siquidem cura est, aegris dare laetitiam: nam fac invalidum gaudere, et sanatus est. *Cass. lib. II Ep.*

Nihil aliud est caro cumque tanta est societas, nisi spuma caro facta, fragili decore vestita: sed erit quandoque cadaver miserum et putridum, et cibus vermium. Si diligenter consideres quid per os et nares et caeteris corporis meatus egreditur vilius sterquilinium nunquam vidisti. Si singulas ejus miserias enumerari velis quam sit onerata peccatis, irretita vitiis, pruriens concupiscentiis, occupata passionibus, polluta illusionibus, prona semper in malum, et in omne vitium proclivis, plenam confusione et ignōminia invenies. *Hugo de claust. animae* lib. I, cap. I.

Sanitas tua infirma est? Redde gratias Deo, sic merita tua augeantur, ut Job. Adhuc infirma est? Hoc evenit ad custodiam virtutum, ne tenteris superbia, ut Paulo, vel ad corrigendum peccata tua, sicut Mariae lepra, vel paralytico. Et etiam tua salus deperiit, et obstinatus morbus est? et hoc est vel ad gloriam Dei, ut caeco nato, et Lazaro. Vel ad initium poenae, quod absit, ut Herodi, quatenus hic videat quod in inferno sequatur; unde dicitur: *Duplici contritione contere eos* (*Jerem.* XVII). Agatur corporis cura ad sanitatem, ita tamen ut quam exigit ratio, dignitas non vilescat, et non multum scruteris an contraria contrariis, an similia similibus proficiant. Sic nos gerere debemus curam sanitatis, at non tamquam propter corpus vivere debeamus, sed tamquam non possimus sine corpore; et tantum corpori indulgeamus, quantum bonae valetudini satis est.

15. Numerus peccatorum

Ex Sacris Scripturis

Generatione autem quarta revertentur huc: necdum enim completae sunt iniquitates Amorrhaeorum usque ad praesens tempus. *Gen.* XV, 16.

Dixit itaque Dominus: Clamor Sodomorum et Gomorrhae multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis. Descendam, et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint; an non est ita, ut sciam. *Gen.* XVIII, 20, 21.

Tentaverunt me per decem vices, non videbunt terram. *Num.* XIV, 22.

Dominus patienter expectat, ut eas cum judicii dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat. *II Macch.* VI, 14.

Signasti quasi in sacculo delicta mea, etc. *Job* XIV, 17.

Et dixi: Usque huc venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos. *Job* XXXVIII, 11.

Sed omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti. *Sap.* XI, 21.

Fili, peccasti, non adjicias iterum, sed et de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur. *Eccl.* XXI, 1.

Haec dicit Dominus: Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non convertam eum . . . . super tribus sceleribus Gaze, et super quatuor non convertam eum . . . Super tribus sceleribus Tyri, et super quatuor non convertam eum . . . Super tribus sceleribus Edom, et super quatuor non convertam,etc. *Amos* I, 3 et seq.

Mittite falces, quoniam maturavit messes. *Joel.* III, 13.

Mane, Thecel, Phares. Appensus est in statera, et inventus es minus habens . . . . Eadem nocte interfectus est Balthassar Rex. *Dan.* V, 27 . . 39.

Dixit autem eis: Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate. *Act.* I, 7.

Et vos implete mensuram patrum vestrorum. Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehenne? *Matth.* XXIII, 32, 33.

Ex Ss. Patribus

Hinc completo numero peccatorum civitates eorum constat esse crematas: *in solitudine hac deficiunt, et morientur* (*Num.* XIV, 35). *Aug. de vit. Christ.* cap. IV.

Plurimorum habemus exempla, per quae probare sufficimus,

sceleratis peccatorum suorum fine complelo praesentem vitam negari non minus, quam futuram. *Aug. ibid.*

Esse apud Deum certum peccatorum numerum atque mensuram, ipsius Dei testimonio comprobatur et manifestissime demonstratur. *Aug. de Ser. Dom.*

Illud sentire non convenit tamdiu unumquemque a Dei patientia sustineri , quo consummato , nullam illi veniam reservari. *Aug. de vit. Christ.* cap. III.

Deus expectat usque ad certum numerum , et postea deserit. *Euseb. Cesar.* lib. VIII, cap. II.

Quando ingnem aeternum introibit homo tunc quando irremidiabilem malorum omnium summam, crescentium delictorum multiplicitate compleverit. *Salv. lib. IV de prov.*

Quamdiu peccator vivit, et demoratur in hoc saeculo, misericordiae janua ei non accluditur. Deus enim semper ad se revertentem respicit, attenta mutabilitate humanae naturae ; qui enim Petro annunciavit septuagies septies fratri ignoscentem, multo magis vel septies millies homini ignoscet resipiscenti. Verum licet scelestos quosque Deus misericorditer vocet ad poenitentiam: ejus tamen bonitate abuti non debent peccatores , neque temeraria securitate relabi in peccata, et cum timore ac tremore operari dubitans an numerus peccatorum finierit. Et ne iterum incidatis in malum, et verae poenitentes custodiatis stabilitatem: *rememoramini pristinos dies in quibus illuminati* (*Hebr.* X) per gratiam baptismatis, renunciastis diabolo et operibus ejus. Rememoramini adhuc pristinos dies, quibus in poenitentiae sacramento polliciti estis , nunquam vos deinceps relapsuros in praeterita peccata. Nolite itaque amittere confidentiam vestram (*Ibid.*) qua certi estis si statis fideles in promissis: si in gratia constanter perseveratis, vos accepturos a Deo promissam bene operantibus gloriam. Quid ergo agis ? amplius peccas? Deum offendis ? Et quando cogitas resilire? hoc ne ages? peccas, et iterum peccas? Sed Deum offendis? Et quoties tibi in corde loquutus est Deus ? quam vero tu fuisti obstinatus ? Forte jam completus est numerus peccatorum, et adverte quia finis venit, venit finis, nunc finis super te. Cogita, et emenda.

16. Mundus

Ex Sacris Scripturis

Filii hominum usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium? *Psal.* IV, 2.

Quoniam Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent. *Psal.* LII, 6.

Levate in coelum oculos vestros, et videte sub terra deorsum: quia coeli sicut fumus liquescent, et terra sicut vestimentum atteretur, et habitatores ejus sicut haec interibunt: Salus autem mea in sempiternum erit, etc. *Isa.* LI, 6.

In mundo erat, et mundus per ipsum factus est et mundus eum non cognovit. In propria venit et sui eum non receperunt. *Joan.* I, 10, 11.

Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. *Joan.* XIV, 16, 17.

Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret. Qui vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. *Joan.* XV, 18, 19.

Et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: praeterit enim figura hujus mundi. *I Cor.* VII, 31.

Nolite confirmari huic saeculo, etc. *Rom.* XII, 2.

Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. *Galat.* VI, 14.

Quae sursum sunt sapite non quae super terram. *Coloss.* III, 2.

Nolite diligere mundum, neque ea, quae in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo. Quoniam omne, quod est in mundo concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae: quae non est ex Patre, sed ex mundo est. *I Joan.* II, 15, 16.

Et mundus transit, et concupiscentia ejus. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in aeternum. *I Joan.* II, 17.

Quoniam omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum: et haec est victoria, quae vincit mundum fides nostra. *I Joan.* V, 4.

Religio munda, et immaculata apud Deum, et Patrem, haec est: visitare pupillos, et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc saeculo. *Jac.* I, 27.

Adulteri, nescitis, quia amicitia hujus mundi inimica est Dei?

Quicumque ergo voluerit amicus esse saeculi hujus, inimicus Dei constituitur. *Jac*. IV, 4.

Qui vocavit nos propria gloria et virtute, per quem maxima et praetiosa nobis promissa donavit: ut per haec efficiamini divinae consortes naturae: fugientes ejus, quae in mundo est concupiscentiae corruptionem. *II Pet*. I, 3, 4.

Ex Ss. Patribus

Vincula hujus mundi asperitatem habeat veram, jucunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miseriae, spem beatitudinis inanem. *Aug. ep. XXIX ad Licen.*

Qui contempserit saecularia, ipse merebitur sempiterna, nec potest meritum regno coelesti adipisci, qui mundi cupiditate pressus, emergendi non habet facultatem. *Ambr. lib. V in Luc.* cap. XIX.

Fieri nequit, ut existat amor erga mundum cum amore Dei. *Orig. in VI Is.*

O amatores mundi, cujus rei gratia militatis? major non esse poterit spes vestra in mundo, quam ut mundi amici sitis. Ibi quid nisi fragile, plenum periculis, et per quot particulas pervenitur ad majus periculum? pereant haec omnia, et dimittamus haec vana, et inania: conferamus nos ad solam inquisitionem eorum, quae finem non habent, vita haec misera est mors: mors incerta subito abrepit: et post haec negligentia poena supplicio luenda est. *Aug. lib. confess.*

Plenus est mundus spinis, quae in terra sunt, in tua carne sunt; versari in his, et minime laedi, divinae potentiae, non virtutis nostrae. *Bern. sup. Cant.*

Mundus transit, et concupiscentia ejus. Quid vis? utrum amare temporalia, et transire cum tempore, an Christum amare, et in aeternum vivere? *Aug. sup. ep. Joan.*

Discite in hoc mundo, supra mundum esse, et si corpus geritis, volitet in vobis ales interior. *Ambr.* lib. I *de Virg.*

In hoc mundo non timere, non dolere, non laborare, non periclitari, impossibile: sed plurimum interest, qua causa, qua expectatione, quo animo quisque patiatur. *Aug. ad Diosc.*

Mari juste comparatur hic mundus, quia falsitatibus amarus est, fluctibus diabolicis quatitur, vitiorum tempestatibus commovetur. *Cassiod. in Psal. XLIV.*

Adhuc paulum, et ecce mundus transit, ac scena dissolvitur. *Greg. Naz. Orat.* XVII.

Utrum amare temporalia, et transire cum tempore, an mundum non amare, et in aeternum vivere? *Aug. in tract. II in ep. Joan.*

Mundi incostantia, et mutabilitas, quae cito transit, evanescit, et deperditur, ingenerare debet in te ejus contemptum. Quid mundus, nisi scena, quae aperitur, et clauditur? quid cuncta temporalia, nisi modicus vapor, qui illico solvitur, ac dissolvitur? Similis floribus, qui tanto citius evanescunt, quanto velocius splendent. Quid tibi cum flore morituro? quid tibi cum transeuntibus, et perituris mundi bonis, quae necessario vel sibi, vel tibi pereunt? Sis ergo veluti hospes, et peregrinus in mundo. Quidquid in eo arridet, tamquam immaginationis somnum habe. Sicut oculus, quanto mundior fuerit, tanto longius videt: sic et anima, quanto longior fuerit a sollecitudine mundi, tanto proximior erit Deo. *Ego non sum de hoc mundo* inquit Christus (*Joan.* VIII, 23) *vos de mundo non estis* (*Joan.* XV, 19), dicebat discipulis suis, et tu vis de hoc mundo esse? Quo tibi gratia mundi, quae est odium Christi? Gratuleris tibi, si displiceas eis, quibus Deus displicet. Nemo potest Deum simul amplecti, et saeculum. Fuge ergo de medio Babylonis, et salva animam tuam.

17. Votum

Ex Sacris Scripturis

Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filiis Israel, et dices ad eos: Homo, qui votum fecerit, et spoponderit Deo animam suam, sub aestimatione dabit pretium, etc. *Lev.* XXVII, 1, 2.

Omne, quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino. *Lev.* XXVII, 28.

Rex Arad pugnavit contra illum (*Israel*), et victor existens, duxit ex eo praedam. At Israel, voto se Domino obligans, ait: Si tradideris populum istum in manu mea, delebo urbes ejus. Exauditque Dominus preces Israel, et tradidit Chananaeum, quem ille interfecit subversis urbibus ejus: et vocavit nomen loci illius Horma, id est Anathema. *Num.* XXI, 1 et seq.

Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. *Deut.* XXIII, 21.

Quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis et

facies, sicut promisisti Domino Deo tuo, et propria voluntate et ore tuo locutus es. *Deut.* XXIII, 23.

Dixit Absalom ad regem David : Vadam et reddam vota mea, quae vovi Domino in Hebron. Vovens enim vovit servus tuus, cum esset in Gessur Syriae, dicens : Si reduxerit me Dominus in Jerusalem, sacrificabo Domino. *II Reg.* XV, 7 et seq.

Vota mea reddam (*Deo*) in conspectu timentium eum. *Psal.* XXI, 26.

Immola Deo sacrificium laudis : et redde Altissimo vota tua. *Psal.* XLIX, 14.

Reddam vota mea de die in diem. *Psal.* LX, 9.

Vovete, et reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu ejus affertis munera. *Psal.* LXXV, 12.

Ruina est homini devorare sanctos, et post vota retractare. *Prov.* XX, 25.

Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis et stulta promissa : sed quodcumque voveris, redde: multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere. *Eccles.* V, 3, 4.

Ego autem in voce laudis immolabo tibi (*Deo*) : quaecumque vovi, reddam pro salute Domino. *Jonae* II, 10.

Sunt nobis viri quatuor, votum habentes super se. *Actor.* XXI, 23.

Ex Ss. Patribus

Quia jam vovisti, jam te adstinxisti, aliud tibi facere non licet. Non talis eris, si non feceris quod voluisti, qualis mansisses si nihil tale vovisses. Melior enim tunc esses non pejor, modo autem, quod absit, miserior, si Deo fidem frangeris quanto beatior, si persolveris. *Aug. in ep. ad Arment. et Paulin.*

Disce in Evangelio, quod non liceat retro aspicere ei, qui semel manum ad aratrum misit; nam, etsi cum pulsares, non repuli, tamen, ut intrares non compuli, non licet ergo dimittere, quod sponte promisisti, non est fas requirere, quae per te dimisisti. Juste exigitur ad solvendum, qui non cogitur ad vovendum. *Bern. ep. II ad Tulc.*

Absque necessitate remissio voti non dispensatio, sed praevaricatio est. *Bern. de praec. et disp.*

Si ille mortis periculo dignus fuit, qui eos, quos dederat, nummos Deo abstulit, considera, quanto periculo in divino judicio dignus eris, qui non nummos, sed temetipsum Deo Omnipotenti, cui te devoveras, subtraxisti. *Greg. in reg. ad Ven.*

Quare hoc fecisti? voluisti habere Anania? oportebat initio habere, et non promittere; nunc autem postquam promisisti, majus sacrilegium commisisti. *Gris. hom. XXI in Act. Apost.*

In vovendo fuit stultus, qui discretionem non adhibuit, et in reddendo impius. *Hier. tract. vot. vov.*

Melius est non vovere, quam vovere illud quod sibi is, cui promittitur, nolit exolvi. *Ber. de praec. et disp.*

Bonum quidem votum, si tamen ibi nihil admisceatur adversum. Nam licet ubique deceat justitiam custodiri, in illis tamen rebus maxime necessaria est, quae divinis oblatibus afferuntur: ne putemus ignorare Deum unde accipiat, si fraudaris oblationibus acquiescat. *Cassiod. lib. III.*

Sancti quidem et honesti propositi dilatio, magna ruina est. Unde sapiens, quidquid potest manus tua, eum instanter operare. Qui non est hodie, cras minus aptus erit. *Petr. Crys.*

Absque necessitate remissio voti, non dispensatio, sed praevaricatio est et restrictio contra voluntatem, murmur est, non profectus. *Ber. in ep.*

In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum. Quod incaute vovisti, non facias, impia est promissio, quae scelere adimpletur. *Isid. lib. II Soliloq.*

Nullus ex praecepto ad vovendum tenetur. Emisso autem libere et sponte voto, vovens votum servare necessario tenetur, nec amplius est in eius voluntate non servare. Vovens ad vovendum consilio adducitur, sponte, et voluntarie vovet; at voto Deo facto, et a Deo acceptato ad voti observantiam adstringitur. Audiatur hac supra re Tertullianus, qui Novatores vota damnantes pungit, et doctissime expendit quomodo emissum, et acceptatum votum, habeat vim praecepti, et ad sui observationem obliget. *Dum ostendimus quo semper in ordine fuerint religionis, eos revincamus qui haec ut nova accusant; nec novum quod utile: sed et illud in medio est, quaedam ex his officiis a Deo homini imperata, legem constituisse: quaedam ab homine Deo oblata, votum expunxisse: tamen et votum cum a Deo acceptatum est, legem in posterum facit, per auctoritatem acceptatoris (Tert. lib. de Jei.* II) His verbis plura scitu dignissima elucidat Tertullianus. Asseverat vota non esse nova; nam ab initio mundi Abel Deo vota obtulit, quod adhuc praestiterunt Patriarchae in legem naturae: Judaei quoque in lege mosaica. Tum quia magna merita acquirit: nam ut rationatur Doctor Angelicus (XXIV, q. 88, a. 6) qui magis Deo subiicit, magis Deo placet, magis meretur: vovens autem, magis

Deo se Deo subiicit; ideoque plus dat Deo, sicut plus daret homini qui daret ei arborem cum fructibus, quam qui tantum daret ei fructus. Priusquam voves igitur, delibera: ne cum voveris non facias. Sunt enim qui plura vovunt et pauca reddunt, et inimicum sibi faciunt Deum. Multo magis timeo ne in voto quod voves, illud vulgare proverbium locum habeat. Dum herba crescit, equus moritur. Quid injustius quam votum non solvere, aut longos terminos dare? terminum termino addere, est hoc votum, an calliditas? Ea sunt in nostris officiis gratiora, quae cum liceret nobis etiam aliis non impendere tamen causa dilectionis impendimus. Sed felix necessitas, quae in meliora compellit. Quod enim difficile tibi reddit votum est quod non vides ipsum Deum cui vovisti. Nam si Deum ipsum ea, que vovisti, postulantem videres, et audires, nonne facilius persolveris?

18. Flagellatio Christi

Ex Sacris Scripturis

Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis. . . . Quoniam circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me. *Psal.* XXI, 6 . . 16.

Sicut aqua effusus sum : et dispersa sunt omnia ossa mea. *Psal.* XXI, 14.

Dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi vero consideraverunt, et inspexerunt me: Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem. *Psal.* XXI, 17, 18.

Congregata sunt super me flagella, et ignoravi. *Psal.* XXXIV, 15.

Quoniam ego in flagella paratus sum: et dolor meus in conspectu meo semper. *Psal.* XXXVII, 17.

Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit: et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra : disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus. *Isai.* LIII, 4, 5.

Ait illis praeses: Quid enim mali fecit? At illis magis clamabant, dicentes: Crucifigatur. Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum a sanguine justi hujus, vos videritis. Et respondens universus populus, dixit: sanguis ejus super nos, et super filios nostros. *Matth.* XXVII, 22 et seq.

Tunc milites praesidis suscipientes Jesum in praetorium, congregaverunt ad eum universam cohortem. Et exuentes eum chla-

mydem coccineam circumdederunt eum. *Matth.* XXVII, 26, 27.

Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. *Joan.*XIX,1.

Iterum autem Philatus locutus est ad eos, volens dimittere Jesum. At illi succlamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Ille autem tertio dixit ad illos: Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis invenio in eo: corripiam ergo illum et dimittam. At illi instabant vocibus magnis postulantes, ut crucifigeretur: et invalescebant voces eorum. *Luc.* XXIII, 21 et seq.

Pilatus autem iterum respondens, ait illis: Quid ergo vultis faciam regi Judeorum? At illi magis clamabant: Crucifige eum. *Marc.* XV, 12, 13.

Ex Ss. Patribus

Nudatur Jesus? Heu mihi, qui vestivit coelos, expoliatur? Nudatur Dominus, qui ante saecula regnans, decorem induit, et fortitudinem? cui canimus: confessionem et decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento? Heu candor lucis aeternae nicrescit in carne, pro carne salvanda. *Bern. de Pass.* cap. V.

Ecce Dominus meus aptatur ad verbera; ecce rumpit sanctam cutem violentia flagellorum; et repetitis ictibus crudelia vulnera scapularum terga conscindunt. *Aug. ser. de Pass.*

Agnosce homo quantum valeas, et quantum debeas. Ecce pro impio pietas flagellatur. *Aug. ser. CXIV de temp.*

Perpende inter haec, qui talem pro nobis dedit pecuniam, qualem a nobis sit exacturus usuram. *Idem ibid.*

O cum quanta quantitate putas illum sanctissimum sanguinem e conscisso corpore Jesu, et flagellato distillasse in terram! O quanta putas saevitia impiorum frementium, quanto fremitu saevientium flagellatum putas fuisse dulcem Jesum, qui venerat, ut nos a flagellis liberaret aeternis! *Bern. de Pass.* cap. XL.

Vulnera vulneribus infixi, quia scelera sceleribus addere non minui. Recenti cicatrices labe respersi, quia prisca flagitia modertiis iniquitatibus reciprocavi. *Aug. Med.* cap. III.

Tam dure flagellatus est Dominus, ut sanguis ejus sursum resultaret in aera. . . . Non parcunt amarissimis verberibus virgineam carnem divellere, et livores livoribus, plagas plagis infligere. *Bern. de Pass. Dom.*

Pro dolor! jacet extensus ante hominem Deus, et supplicium patitur rei, in quo nullum peccati vestigium potuit inveniri. *Aug. de Pass. Dom.*

Voluntatem bonam non habuit Pilatus; quia ferventiorem habuit

ad placandum Judaei, et ad honorem suum quam ad me liberandum. *Revel. S. Brig.* lib. IV, cap. CVI.

O scelestam vocem! non solum adversus seipsos, sed etiam adversus filios suos trahunt imprecationem! *Euthim. in Matth.* XXVII.

Crudelis impietas Judeorum, quae facinore suo non solum praesentes non liberat, sed etiam non natos occidit. *Maxim. hom. III de Pass. Dom.* cap. XV.

Quid enim profuit testimonium perhibuisse innocentiae, et velut reum addixisse nequitiae? Ipse iniquitatis suae testis est, qui ore absolvit et corde condemnat: laverit licet manus suas Pilatus, tamen sua facta non diluit. *Amb. ser. XLIX.*

Cogita quis? quid? pro quibus? Quis Dei Filius. Quid passus est sub Pontio Pilato? Pro quibus? pro impiis et peccatoribus. Magna dignatio, magna gratia. *Aug. de Symb.* lib. I, cap. III.

O quam humilis Jesus, sic ab hominibus sine causa contemtus, sine vindicta conculcatus! quo ultra progredi non poterimus? *Bern. tract. de Pass. Dom.* cap. XXVII.

Illi se proditione, tu parricidio te condemnas. Illi lingua, tu ferro occidis. Tam te quam illos inaudite crudelitatis scelus involvit. Veniet anima tua in manibus Judicis, quem condemnas. *Cypr. de Pass. Dom.*

Flagellatur Christus ut vilis, et abjectio ipsa populi; flagellatur coram infensissimis suis hostibus, qui ob impietatem eum despexerunt; flagellatur, velut vermis et non homo, toto nudatur corpore, ut majori afficiatur pudore. *Sicut natus est sic stabat, et patiebatur erubescentiam nuditatis suae* (*S. Brigit.* lib. I, rev. X). Christus manibus circa dorsum ligatur, et S. Hieronymus testatur se vidisse columnam sanguine Domini cruentatam: *ad quam dicitur vinctus, et cruentatus* (*in Epitaph. S. Paul.* cap. IV), et flagellatus fuit tum spinis et vepribus acutissimis; tum chordis cum stimulis ferreis, cum catenis ferreis, cum uncis ferreis. In flagellatione vero, ut in extasi beata Magdalena de Pazzis didicit, a sexaginta ferocientibus militibus flagellatus est: quod innuere videtur ipsemet Salvator per os regi Vatis: *Congregata sunt super me flagella peccatoris* (*Psal.* XXXIV). Et sic vulnera vulneribus, plagae plagis, flagella flagellis, ita multiplicabantur, ut omnem modum, et numerum excederent. Quantus vero fuerit numerus colligi potest tum ex verbis Christi asseverantis. *Fui flagellatus tota die* (*Psal.* LXXII), non ratione temporis, sed considerato verberum numero, qui tantus est ut potuerit integrum im-

plere diem : tum maxime ex numero peccatorum pro quibus flagellatus est , *pro mensura delicti erit et plagarum modus* (*Deut.* XXV). At hominum peccata sunt sine numero; hinc sine numero fuerunt Salvatoris plagae. Hinc compatere dilaniato Jesu! Agnosce, quid pro te passus sit, considera etc.

19. Preparatio ad Missam

Ex Sacris Scripturis

Audite me (*ait David*) fratres mei et populus meus: cogitavi, ut aedificarem domum, in qua requiesceret arca foederis Domini et scabellum pedum Dei nostri , et ad aedificandum omnia praeparavi. *I Paral.* XXVIII, 2.

Opus namque grande est; neque enim homini praeparatur habitatio sed Deo. *I Paral.* XXIX, 1.

Ego autem totis viribus meis praeparavi impensas domus Dei mei. *I Paral.* XXIX, 2.

Domus enim, quam edificare cupio, magna est . . . Quis ergo poterit praevalere, ut aedificet ei dignam domum, si coelum, et coeli coelorum eum capere nequeunt, quantus ego sum , ut possim aedificare ei domum. . . . Sed ad hoc tantum ut adoleatur incensum coram illo. *II Par.* II, 5 et seq.

Desiderium pauperum exaudivit Dominus praeparationem cordis eorum audivit auris tua. *Psal.* IX,

Qui timent Dominum praeparabunt corda sua , et in conspectu illius sanctificabunt animas suas. *Eccli.* II, 20.

Praeparare in occursum Dei tui Israel. *Amos* IV, 12.

Amice quomodo huc entrasti , non habens vestum nuptialem? . . . ligatis manibus, et pedibus ejus, mittete eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, et stridior dentium. *Matth.* XXII, 12.

Et misit Petrum, et Joannem dicens : Euntes parate nobis Pascha, ut manducemus. *Luc.* XXII, 8.

Et ipse ostendit vobis coenaculum magnum stratum, et ibi parate. *Luc.* XXII, 12.

Probet autem seipsum homo: et sic de pane illo edat, et de calice bibat , qui enim manducat , et bibit indigne , judicium sibi manducat, et bibit: non dijudicans Corpus Domini. *I Cor.* XI, 28, 29.

Venerunt nuptiae Agni et uxor ejus praeparavit se. *Apoc.* XIX, 7.

Ex Ss. Patribus

Cave ne tepidus, et inconsideratus accedas, quia indigne sumes,

si non accedis reverenter circumspecte, et considerate. *Bonav. ser. XVIII.*

Diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia, et sanctitate ad id percipiendum accedat. *Conc. Trid.* § XIII, cap. VII.

Effectus hujus sacramenti solet esse secundum praeparationem suscipientium. *Bonav. in Joan.*

Communionis tempus non est festum, atque celebritas, sed conscientia pura, vitaque a peccatis repurgata. *Gris. de S. Philog.*

Cogita qualis sis insignitus honore, factus unum Christi corpus, et una caro, quod Angeli videntes horrescunt. *Gris. hom. LX.*

Dicendum quod non esset consulendum alicui quod statim post peccatum mortale etiam contritus, et confessus ad Eucharistiam accederet, sed deberet, nisi magna necessitas urgeret, per aliquod tempus propter reverentiam abstinere. *Th. in IV*, dist. 9, art. IV, q. 1.

Si ad communionem ejus aspiramus, sanctitas ipsius impeccantiam imitando, debemus ad Dei formam, et immaculatum statum contendere. *Dion. de Coel. Hier.* cap. III.

Oportet igitur accedentem ad Corpus et Sanguinem Domini ad rememorationem ejus, qui pro nobis est mortuus, et resurrexit, non solum purum esse a quovis inquinamento carnis, et spiritus, ne ad judicium edat, et bibat, sed evidenter ostendere, et exprimere memoriam ejus, qui pro nobis, mortuus est, ac revixit, in eo quod et mortificatus est peccato, mundo, ac sibi, et Deo vivit in Christo Jesu Domino nostro. *Basil. de Bapt.* lib. I, cap. III.

Non valde justum est, ut ad tam dignum, et venerandum cibum, scilicet ad ipsum Dominum omnium, non incurate, et indevote, sed aliquo competenti modo praeparate accedamus. *Thom. Opusc. XV.*

Praeparatio ad corpus Christi sumendum, est munditiei magnitudo. *Thom. Opusc. XXV.*

Tantam cuilibet praestat gratiam, quantam in eo reperiet dispositionis sufficientiam. *Thom. a Vill. ser. LXI.*

Ante orationem, ait Sapiens (*Eccli.* XVIII, 23) *praepara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum.* Quod si Deum tentare, atque ad iracundiam provocare dicitur, qui ipsum audet in oratione interpellare, non praemissa diligenti et accurata praeparatione: quanto magis eundem sua temeritate, et audacia irritabit, qui Unigenitum suum illi offerre, illumque suscipere imparatus praesumit? Omnium autem optima praeparatio, et magis necessaria illa est, quae in puritate, et sanctitate vitae consistit: cum quidquid agis, quidquid cogitas, quidquid moliris, ad hunc

scopum refers, ut vivas vita divina, teque dignum reddas hoc coelesti convivio. Sicut enim fructus frequentis celebrationis in hoc praecipue attenditur: ut quotidie crescas in humilitate, patientia, mundi contemptu, et caritate: ita vera praeparatio in hoc sita est, ut quotidie aliquod vitii deponas; aliquid virtutis acquiras, donec possis cum Apostolo dicere: *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Galat.* II, 20). Talis accede ad sacram mensam, qualis ab ea recedere desideras. Cupis recedere ut Deus, accede ut Deus per gratiam, et eris in Coelo Deus per gloriam. Scito, qui esurientes, seu pauperes implet bonis, ille divites dimittit inanes. Agnosce in ejus majestate, tuam indignitatem! dignus fieri potes si corde sincero, si sis humilis. Quam alius esses, si quoties ad hanc escam accessisti vel unum ex his praemisisses?

20. Praedicator sit integrae vitae

Ex Sacris Scripturis

Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem, exalta (*vocem*), noli timere. *Isai.* XL, 9.

Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno coelorum: qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno coelorum. *Matth.* V, 19.

Super cathedram Moysi sederunt Scribae et Pharisaei. Omnia ergo quaecumque dixerint vobis, servate et facite: secundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim, et non faciunt. *Matth.* XXIII, 2.

Qui ergo alium doces, te ipsum non doces: qui praedicas non furandum, furaris: Qui dicis qui non moechandum, moecharis. Qui abominaris idola, sacrilegium facis. Qui in lege gloriaris, per praevaricationem legis Deum inhonoras. *Rom.* II, 21 et seq.

Castigo corpus meum, et in servitutem redigo: ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar. *I Cor.* IX, 27.

Nemo adolescentiam tuam contemnat: sed exemplo esto fidelium, in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate. *I Tim.* IV, 12.

Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis. *II Tim.* II, 15.

In omnibus te ipsum, praebe exemplum bonorum operum; in doctrina, in integritate, in gravitate. *Tit.* II, 7.

Non confundant opera tua sermonem tuum, ne, cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat : Cur ergo haec quae dicis , ipse non facis ? delicatus magister est , qui pleno ventre de jejuniis disputat: accusare avaritiam, et labro potest etc. ... Sacerdos Christi os, mens, manusque concordent. *Hier. ep. IV ad Nepot.*

Si doctus quidem fuerit, non sit autem bonus , verendum est , ne non tam nutriat doctrina uberi, quam sterili vita noceat. *Bern. in Cant. ser. XVI.*

Neque perfectus praedicator est , qui vel propter contemplationis studium operanda negligit , vel propter operationis instantiam contemplanda postponit. *Greg. lib. VI Moral.*

Eos dicit Dominus furari verba sua , qui boni volunt videri , loquendo quae Dei sunt, cum mali sint, faciendo quae sua sunt. *Aug. de doct. Christ.* lib. IV.

Praedicator laboret, ut intelligenter, ut libenter , ut obedienter audiatur, et hoc se posse magis pietate orationum, quam oratoris facultate non dubitet, ut orando pro se ac pro illis, quos est allocuturus, sit prius orator , antequam doctor, et ipsa hora accedens prius quam exerat proferentem linguam, ad Deum levet animam sitientem , ut ructet quod biberit, vel quod impleverit fundat. *Idem ibid.*

Aperi os tuum, sed prius ut aperiatur implora. Vita enim verbum erigit, et acquirit, sermo enim sine vita, non est Dei sermo. *Ambr. supr. Luc.*

Qui speculator Dei futurus est, multo tempore debet quiescere, et dolere ea, quae videt: nihilque habere in conscientia, quod in aliis correcturus est. *Hier. sup. illud: Vinum tuum mixt. est aq.*

Ad praedicandum namque plus conscientia sancti amoris aedificet , quam exercitatio sermonis. Qui enim vitam suam interius pensat, et exemplo suo foris admovendo alios aedificat , quasi in corde linguae calamum tingit in eo , quod manu verbi proximis exterius scribit. *Greg. sup. Ezech. hom. X.*

Nihil aliud enim probitatis aut sanctitatis nomine intellige ad praedicandum verbum Dei , quam gratissimum illum virtutum omnium, quae ad animae puritatem spectant, atque humilitatis imprimis , orationis , et assiduae meditationis concentum. Hinc non immerito Concionatores ob hanc causam vocitantur, tum lux mundi quia scilicet luce sapientiae coelestis coruscantes mundum illuminant splendore virtutis ; tum sal terrae , quia Sal symbolum

est sapientiae, condit enim cibos, ut sapidi sint, sic praedicator condit ex sapientia suae sanctitatis animas hominum. At quomodo fiet istud si nec lux, nec sal sunt, imo tenebrae et insipidi? Enim vero cum sacra concio ad maximas virtutes referri debeat, quae hominem ad Dei et proximi amorem succendunt, omnemque turpitudinem et vitium abhorrere faciunt, illud merito edocet, quanta sanctitate pollere debet praedicator. Est itaque probitas et vitae integritas, maxime sacro concionatori necessaria. Si cum fructu praedicare vis; duc vitam inculpatam, sanctamque. Tua vox auditorum cor penetrat, si vita quod praedicas commendas. Si bene doces et male vivis, misces lucem tenebris. Christus coepit facere et docere. Vita sine sermone magis prodesse solet, quam sermo sine vita. Validior operis, quam oris vox. Apostolus enim dicebat: *Non quaerimus vestra sed vos* (*II Cor.* XII). Ecce quia non descendebat ad terrenum commodum. Nec quaerens ab hominibus gloriam, nec ergo et favorem humanum. *Sed facti sumus parvuli in medio vestri*: quia non intendebat nisi tantum honorem divinum, et fructum animarum. Mundare se prius oportet, et sic alios mundare. Lumen effici, et ita alios illuminare. Accedere ad Deum, et sic alios adducere ad Deum. Secus piscaris in nocte, et nihil capis. Si praedicas in peccato nihil, crede mihi, nihil capis; et nullum fructum capis laborum tuorum. Nihil capis, quia nullum meritum vitae tibi acquirit. Qui merces congregavit, *misit eas in saccum pertusum* (*Agg.* I). Saccus consutus est animus in gratia stabilitus. Saccus pertusus est animus peccati gladio laceratus. Talis multa merita tenere potest, sed omnia effunduntur. Tibi in posterum dictum existimes, quod de se Apostoli verissime predicabant: *Nos orationi, et ministerio verbi instantes erimus* (*Rom.* II).

21. Gloria vana

Ex Sacris Scripturis

Laetatus est autem in adventu eorum Ezechias (*nuntiis Regis Babilonis ex vana gloria ostendit omnes thesauros*), et ostendit eis domum aromatum et aurum et argentum et pigmenta varia, unguenta quoque et domum vasorum suorum et omnia, quae habere poterat in thesauris suis. Non fuit, quod non mostraret eis Ezechias in domo sua et in omni potestate sua. (*Sed propterea a Propheta graviter increpatur, qui ait*): Ecce dies venient, et auferentur omnia, quae sunt in domo tua, et quae condiderunt patres tui usque in diem hanc, in Babylonem: non remanebit quidquam, ait Dominus. *IV Reg.* 13, 17.

Non zeles gloriam et opes peccatoris: non enim scis, quae futura sit illius subversio. *Eccli.* IX, 11.

Nonne haec est Babylon magna (*ait Nabuchodonosor vana gloria tumens*), quam ego edificavi in domum regni in robore fortitudinis meae, et gloria decoris mei? Cumque sermo adhuc esset in ore Regis, vox de coelo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonosor rex. Regnum tuum transibit a te. Et ab hominibus ejicient te, et cum bestiis, et feris erit habitatio tua: foenum quasi bos comedes, et septem tempora mutabuntur super te, donec scias, quod dominetur Excelsus in regno hominum, et cuicumque voluerit, det illud. *Dan.* IV, 27 et seq.

Noli extollere te in faciendo opere tuo, et noli cunctari in tempore angustiae. Melior est qui operatur, et abundat in omnibus, quam qui gloriatur, et eget pane. *Eccli.* X, 29.

Dilixerunt gloriam hominum magis quam gloriam Dei. *Joan.* XII, 43.

Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. *Joan.* VIII, 43.

Quomodo potest credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quae a solo Deo est, non quaeritis? *Joan.* V, 44.

Haec dicit Dominus: Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et posse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam et judicium, et justitiam in terra. *Jerem.* IX, 23, 24.

Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister. Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus, *Matth.* XX, 26.

Ego autem non quaero gloriam meam est qui quaerat, et judicet. *Joan.* VIII, 50.

Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: sed in humilitate, superiores sibi invicem arbitrantes. *Philipp.* II, 3.

Nec quaerentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis. *I Thess.* II, 1.

Ex Ss. Patribus

Gloria inanis, est inordinatus animi motus quo aliquis propriam desiderat excellentiam, ut alios honore praecellat. *Hier. ad Nep.*

Quam bene vivitur, valde timendum est, mens despectis caeteris de gloria singularitate elevetur. *Greg. lib. VI Moral.*

Qui omnium pecuniarum contemptum habent, et nulli immaginationi totius mundi se immiscuerint, et tyrannicas corporum con-

cupiscentias sustinuerint: hi multoties capti a vana gloria omnia perdiderunt. *Chrys. sup. cap. V Joan.*

Quisquis ex deteriore jam melior esse coepit, caveat de acceptis extolli virtutibus, ne gravius per vanam gloriam corruat, quam prius per lapsum vitiorum jacebat. *Isid. lib. I de sum. bon.*

Time sagittam, leviter volat, leviter penetrat, sed non leve infligit, cito interficit, nimirum sagitta haec vana gloria est. *Bern. ser. VI in Psal. Qui habi.*

Haec est vana gloria quae non recipit disciplinam, curari renuit, medelam non sustinet ulcus pessimum, quod nec summis solum digitis patitur attrettari. *Ber. decl.* cap. IX.

Quicumque se, dum benefacit, extollit, majorem culpam superbiendo per vanam gloriam agit, quam bonam mercedem largiendo, fitque nudus, dum vestit, et fit deterior, dum putat meliorem. *Greg. Moral.* lib. XXI, cap. XV.

Nec satis religiosa velis videri, nec plus humilis, quam necesse est, ne gloriam fugiendo quaeras: plures enim paupertatis, misericordiae, atque jejunii arbitros declinantes, hoc ipso cupiunt placere, quo placere contemnunt, et mirum in modum laus, dum vitatur, appetitur. *Hier. lib. II, ep. XVII.*

Inanis gloria hujus saeculi, fallax suavitas, et infructuosus labor, et perpetuus timor, et periculosa sublimitas, initium sine providentia, finis sine poenitentia. *Aug. in Psal. VII.*

Remedium nullum potest esse contra vanam gioriam, nisi oratio sola, at haec ipsa vanitatem generat, nisi caute perspexeris, si bene oraveris. *Gris. hom. XV in Matth.*

Gloria vana crudelis est bellua, daemon horrendus, comunis totius orbis terrarum pestis, et vipera venenata. *Gris. hom. XXXV in I ad Cor.*

Longe sit a te vana gloria, quia gloria est a diabolo, cujus pompam in baptismo ejecisiti, quia Deo inimica, cum idololatriam sapiat; quia a Christo aliena, quia in humilitate, et ignobilitate incessit: quia christianis extranea, qui ex forma Domini agere debent; quia irrogat impiis poenas; quia humilitati contraria; cuius ad acquirendum coelum necessitatem non videt vanae gloriae cupidus, gloria, et ambitione excaecatus. Et quod est magis timendum quanto magis ex munere tuo praeclara quaedam opera pro animarum salute et subsidio exequi debes, tanto majoribus periculis captandae vanae gloriae es expositus. Cave hoc vitium quam maxime. Est enim veluti blandissima bonorum nostrorum depraedatrix, jucundus animarum nostrarum hostis, ventus urens, coe-

lestis gratiae fluenta frustra desiderans. Et tamen gloriam vanam immoderato quaerimus affectu, quod boni magis videri quam esse, mali autem esse quam videri volumus. Pudet te usque adhuc petisse hanc inanem et vanam gloriam, et si cupis hoc desiderum vincere, attende ad singulos defectus tuos, quasi omnibus notos, et vitabis vanae gloriae deliramenta.

22. Servitus Dei

Ex Sacris Scripturis

Dominum Deum tuum time, et illi soli servies. *Deut.* VI, 13.

Dixit autem Samuel ad popolum: Nolite timere, vos fecistis universum malum hoc: Veruntamen nolite recedere a tergo Domini, sed servite Domino in omni corde vestro. *I Reg.* XII, 20.

Usquequo claudicatis in duas partes (*ait Elias ad populum Israel*)? Si Dominus est Deus, sequimini eum. *III Reg.* XVIII, 21.

Tu autem Salamon, fili mi, scito Deum patris tui, et servito ei corde perfecto, et animo voluntario. *I Par.* XXVIII, 9.

Servite Domino in timore. *Psal.* II, 11.

Servite Domino in laetitia. *Psal.* XCIX, 1.

Ecce sicut oculi servorum....sicut oculi ancillae, ita oculi nostri ad Dominum nostrum, etc. *Psal.* CXXII, 2.

Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia, et timore, et praepara animam tuam ad tentationem. *Eccli.* II, 1.

Servus meus es tu (*Israel*) elegi te, et non abieci te. *Isai.* XLI, 9.

Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. *Matth.* IV, 10.

Nunc autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate litterae. *Rom.* VII, 6.

Nemo potest duobus dominis servire; aut enim unum odio habebit, et alterum diliget: aut unum sustinebit, et alterum contemnet, etc. *Matth.* VI, 14.

Quis autem vestrum habens servum arantem aut pascentem (*boves*), qui regresso de agro dicat illi: Statim transi, et praecinge te, et ministra mihi, donec manducem et bibam: et post haec tu manducabis et bibes? Nunquid gratiam habet servo illi: quia fecit quae ei imperaverat? Non puto. Sic et vos, cum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus. *Luc.* XVII, 7.

Vos scitis (*ait Paulus*) a prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, serviens Domino cum omni humilitate, etc. *Actor.*

Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem: finem vero vitam aeternam. *Rom.* VI, 2.

Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, etc. *I Cor.* IV, 1.

Non estis vestri; empti enim estis pretio magno. Glorificate, et portate Deum in corpore vestro. *I Cor.* VI, 19.

Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam: per quam serviamus placentes Deo, cum metu et reverentia. *Hebr.* XII, 28.

Ex Ss. Patribus

Cui Deus portio est nihil debet curare, nisi Deum, ne alterius impediatur necessitatis munera; suis se abneget, qui servire Deo gestit. *Ambr. de fug. saec.* cap. II.

Generale pactum est societatis humanae obedire Regibus suis quanto magis Deo Regnatori universae creaturae ad ea, quae jusserit sine dubitatione serviendum est. *Aug. Conf.* lib. III, cap. VIII.

Professio haec fidei Christianae est, ut, qui vivit, jam non sibi vivat, sed ei, qui pro omnibus mortuus est. *Bern. in Psal. XXIII.*

Omnes sancti, qui Deo fideliter serviunt, lectioni, et orationi vacare, et in bonis operibus perseverare contendunt. *Caes. Arel. hom. VIII in BB. PP.*

Qui in veritate Deo servire cupiunt totum cor in divinis obsequiis ponere jubentur: ut sic, quae Dei sunt, agant, ut in mente aliquid, quod contra Deum sit, non retineant. *Greg. lib. V in I Reg.* cap. II.

Deus nostra servitute non indiget, nos vero dominatione illius indigemus, ut operetur, et custodiat nos; et ideo verus est solus Dominus quia non illi ad suam, sed ad nostram utilitatem, salutemque servimus. *Aug. de Gen. ad litt.* lib. VIII, cap. II.

Non conveniunt inter se Patres, in quo sita sit imago Dei in homine. Augustinus in animae spiritualitate constituit: Origines in immortalitate: Ambrosius in libertate: Gregorius Nyssenus, in beatitudinis capacitate: Basilius in existenti totam in toto, et totam in qualibet parte corporis: Joannes Damascenus in memoria, intellectu, et voluntate: Thomas in unitate essentiae, et trinitate facultatum: Tertullianus in motibus, qui operationes nationales aemulantur. Quomodocumque sit, geris alte tibi inditam Dei imaginem, ab ea tacite moneris, ne aliquem servias Deo, minus dignum cum aut mundus vocat, aut blanditur caro, aut sollicitat daemon

servitus tua. Ipse Christus, dixit: *Reddite quae sunt Caesaris Caesari quae Dei Deo* (*Matth*. XXII). Reddite Caesari nummos, Deo vos ipsos. Nummos regibus reddimus, cum nos ipsos reddimus. Est enim homo nummus Dei. Quaerit Deus nummum suum, sicut Caesar suum. Nummus Caesaris est argentum habens imaginem Caesaris; nummus Dei est homo, habens imaginem Dei. Vosmetipsos reddite Deo, quod omnino non potestis, nisi vos primum praestetis censum Caesari, quatenus deinceps liberi sitis ad serviendum Deo. Nolite fraudari Deum sed potius servite illi soli. Et quamvis omnibus sit imposita servitus Dei, specialiter tamen Sacerdotibus probatur imposita, ut tales habeat Ecclesia ministros qui toto corde, omni tempore divino servitio emancipentur. Attamen filii hujus saeculi tota die adsistere fortes sunt principi terreno: in oratione vero, filii Excelsi, coram Domino etiam unius horae lassantur! O quam egenus es hactenus! Itane coram Deo comparebis? Adde quod potes: nam, etsi feceris quidquid potes in servitutem Dei, adhuc servus inutilis eris. Deus tamen quae potes, a te exigit. Servis ne Deo? Signa autem ex quibus potes cognoscere an servis Deo, haec sunt. Ferventia desideria quae habebat Propheta dicens: *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum* (*Psal*. XLI). Ferventia verba. *Surrexit Elias quasi ignis, et verba ejus quasi facula ardebat* (*Eccli*. XLVIII). Ferventia opera. *Nonne vestimenta tua callida sunt cum perflata fuerit terra austro* (*Job* XXVII). Desideria enim et verba et opera sanctorum virorum, sunt signa. *Servitus Dei*. Ne hoc solum, sed servi Dei habent tres odores. Unus est devotae orationis. *Habentes singuli cytaras et phialas odoramentorum quae sunt orationes sanctorum* (*Apoc*. III). Secundus est famae praeclarae. *Christi bonus odor sumus in omni loco* (*II Cor*. II). Tertius est conscientiae floridae. *Lectulus noster floridus* (*Cant*. 1). Et sicut quantum sentimus odorem rosarum, ibi rosas esse praesupponimus, etiam si eas minime videamus, sic quantum in nobis istos odores sentimus, rosas gratiarum et virtutum in nobis esse praesupponere debemus. Ut autem istos effectus in nobis sint, debemus servire Deo cum munditia cordis, cum justitia boni operis, cum rectitudine intentionis, et cum longanimitate finalis intentionis et consummationis.

23. Adoratio Dei

Ex Sacris Scripturis

Enoch coepit invocare nomen Domini. *Gen.* IV, 26.

Abraham adoravit in terram, etc. *Gen.* XVIII, 2.

Inclinavit se homo, et adoravit Dominum. *Gen.* XXIV, 26.

Adoravit Israel Deum. *Gen.* XLVII, 31.

Joseph adoravit pronus in terram. *Gen.* XLVIII, 12.

Audieruntque, quod visitasset Dominus filios Israel, et quod respexisset afflictionem illorum: et proni adoraverunt. *Exod.* IV,31.

Stabantque ipsi, et adorabant Deum per fores tabernaculorum suorum. *Exod.* XXXIII, 10.

Festinusque Moyses curvatus est pronus in terram, et adorans ait, etc. *Exod.* XXXIV, 8.

Dominum Deum vestrum timete, et illum adorate. *IV Reg.* XVII, 30.

Venite adoremus, et procedamus et ploremus ante Dominum, qui fecit nos. Quia ipse est Dominus Deus noster: et nos populus pascuae ejus, et oves manus ejus. *Psal.* XCIV, 6, 7.

In conspectu Angelorum psallam tibi: adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo. *Psal.* CXXXVII, 2.

Appropinguat populus istae ore suo, et labiis suis glorificat me cor autem ejus longe est a me. *Isai.* XXIX, 13.

Dixit ei Jesus . . . scriptum est Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies. *Matth.* IV, 10.

Videns autem Jesum a longe cucurrit, et adoravit eum. *Marc.* V, 6.

Et ipsi adorantes regressi sunt (*Apostoli*) in Jerusalem cum gaudio magno. *Luc.* XXIV, 52.

Sed venit hora, et nunc est quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quaerit qui adorent eum. Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum in spiritu et veritate oportet adorare. *Joan.* IV, 23, 24.

Ex Ss. Patribus

Deus affectu et desiderio colendus est, et Deus et sui cultus ipse sit merces. Non qui Deum ideo colit, ut magis aliud quam ipsum promereatur, non Deum colit, sed id quod assequi concupiscit. *Aug. lib. de Virt.*

Illum religione colas quem imitari velis; cum religionis summa sit imitari quem colis. *Aug. de Civ. Dei* lib. XVIII.

Deum colere dicimus, et diabolo obtemperamus. *Salv.* lib. IV.

Fide, spe, et caritate colendus est Deus. *Aug. Enchir.* cap. III.

Deum verbis lauda, operibus cole, et cogitatione honora. *In BB. PP.*

Colitur Deus sacrificio laudis, actionisque gratiarum, et cultor ejus non in se ipso, sed in illo glorietur. *Aug. de sp. et lit.* cap. XIII.

Colimus Deum, et colit nos Deus. Sed sic Deum colimus, ut non eum meliorem faciamus. Colimus enim adorando, non orando: ille autem colit nos tamquam agricola agrum. Quod ergo ille nos colit meliores nos reddit: quia et agricola agrum colendo, meliores facit, et ipsum fructum in nobis quaerit, ut eum colamus, cultura ipsius est in nos, quod non cessat verbo suo extirpare mala semina de cordibus nostris, aperire cor nostrum tamquam aratro sermonis, plantare semina praeceptorum, expectare fructum pietatis. Cum enim istam culturam sic acceperimus in cor nostrum, ut eum bene colamus, non esistimus ingrati agricolae nostro, sed fructum reddimus quo gaudeat, et fructus noster non illum ditiorem facit, sed nos beatiores. *Aug. ser. XIX de Ver. Dom.*

Nos Deo servitutem, quae, et latria grece dicitur, debemus. *Aug. lib. II de Civ. Dei.*

Desideras breviter aperiri, atque in sermonem brevem collegi, quonam modo colendus sit Deus? Respondeo, fide, spe, et charitate. *Aug. in Enchir.* cap. I.

Quia hoc colitur, quod diligitur, et Deus rebus omnibus major, et melior invenitur: ideo plus diligendus est omnibus, ut colatur. Dei cultu Dei mercedem non habebimus? Habebimus plane, sed ipsum Deum quem colimus. Ipse nobis merces erit, quia videbimus eum sicuti est. *Aug. in Psal. LXXVII.*

Essentia adorationis non consistit in actu intellectus: multi enim cognoscunt Deum, qui Deum non colunt, sed offendunt. Neque etiam consistit tantumin signis venerationis corporeis, quae fieri possunt derisorie. Sic milites, et Judaei illudentes Christo, genuflectebant: sed consistit in interiore voluntatis adoratione, qua corde et animo adoratur. Quia tamen voluntas est potentia caeca, quae non fertur in incognitum; intellectus cognitio debet praecedere, et demonstrare voluntati excellentiam Dei, quem debet adorare. Et quia homo est corpore et anima compositus, accepitque a Deo tum animam, tum corpus, aequissimum est, ut anima et corpore Deum adoret. Hoc enim externo signo denotatur interna voluntatis adoratio; qua se dejecit ante Deum, cumque supremo latriae cultu

adorat, tanquam suum auctorem, finem ultimum, summum et infinitum. At tu qui sacrificas, et qui ministras, et qui assistis, qui templa Dei ditas et ornas, debes duplici nitere splendore in tua adoratione; et puritate conscientiae, et puritate intentione ut adorationem sinceram valeas Deo offerre. Et quia Deum colere non possumus, nisi ipse prius edoceat nos, postulemus ab illo Divino cultore, ut serviamus illo in sanctitate omnibus diebus (*Luc.* XIX). Et quia es et anima et corpore compositus, et accepisti a Deo tum animam, tum corpus, aequissimum est ut anima, et corpore Deum adores latriae cultu, tanquam tuum auctorem, finem ultimum, summum et infinitum bonum. Coluistine hactenus? Expende, propone, adora etc.

24. Usura

Ex Sacris Scripturis

Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes. *Exod.* XXII, 25.

Si attenuatus fuerit frater tuus, et infirmus manu, et susceperis eum quasi advenam et peregrinum, et vixerit tecum; ne accipias usuras ab eo, nec amplius quam dedisti. . . Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, et frugum superabundantiam non exiges. *Lev.* XXV, 35 et seq.

Non foenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem: sed alieno. Fratri autem tuo absque usura id, quo indiget, commodabis, etc. *Deut.* XXIII, 19, 20.

Domine, quis habitabit in taberuaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? . . . Qui pecuniam suam non dedit ad usuram et munera super innocentem non accepit. *Psal.* XIV, 1 et seq.

Qui calumiatur pauperum, ut augeat divitias suas, dabit ipse ditiori, et egebit. *Prov.* XXII, 16.

Qui coecervat divitias usuris, et foenere, liberali in pauperes congregat eas. *Prov.* XXVIII, 8.

Vae mihi, mater mea: quare genuisti me virum rixae, virum discordiae in universa terra? Non foeneravi, nec foeneravit mihi quisquam: omnes maledicunt mihi. *Jerem.* XV, 10.

Qui ad usuram non commodaverit, et amplius non acceperit: ab iniquitate avertit manum suam, et iudicium verum fecerit inter virum et virum: in praeceptis meis ambulaverit, et judicia mea custodierit, ut faciat veritatem: hic justus est, et vita vivet, ait Dominus Deus . . . Ad usuram dantem, et amplius accipientem,

nunquid vivet? non vivet: cum universa haec detestanda fecerit; morte morietur, sanguis ejus in ipso erit. *Ezech*. XVIII, 8 et seq.

Munera acceperunt apud te (*Jerusalem*) ad effundendum sanguinem: usuram et superabundantiam accepisti, et avare proximos tuos calumniaberis: meique oblita es, ait Dominus Deus. *Ezech*. XXII, 12.

Etsi mutuum dederitis his, a quibus speratis recipere; quae gratia est vobis? nam et peccatores peccatoribus foenerantur, ut recipiant equalia. *Luc*. VI, 34.

Mutuum date, nihil inde sperantes: et erit merces vestra multa apud Deum. *Luc*. VI, 35.

Stans autem Zaccheus, dixit ad Dominum. Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. *Luc*. XIX, 8.

Ex Ss. Patribus

Usura ab usu arbitror dictam, quod sicut vestes usu, ita usuris patrimonia scindantur. *Ambr. de Tob.*

Et esca usura est, et vestis usura est: et quodcumque sorti accedit, usura est. Quod velis ei nomen imponas, usura est. *Ambr. lib. I de David.*

Sors usurae cito generat, et nunquam desinit, imo cum exordium crescendi acceperit, in infinitum extendit argumentum: usuram petere suffocare hominem est, foenerare, occidere est. *Ambr. de Tob.*

Mirum est, quod non timent homines, quod post buccellam, quam de usura acquirunt, intret in eos satanas. *Bonav. ser. I Dom. III Quadrag.*

Usurarii in mediis urbibus latrocinantur, et ideo tanto latronibus pejores sunt, quanto difficilius observantur, et majore confidentia ea ipsa audent, quae illi timidi latitantes tentant. *Chrys. ser. II in Mor.*

Usurae vitium est detestandum, et aeterna morte dignum. *Thom. de usur.* cap. IV.

Dives es? ne sumas mutuum; pauper es? ne sumas mutuum: si enim dives es, mutuo non indiges, si vero nihil habes, mutuum non respondes. *Basil. in Psal. XXIV.*

Nullus Sacerdos manifestos usurarios ad confessionem admittat, sive ipsos absolvat, nisi de usuris satisfecerint, vel de satisfaciendo pro suarum viribus facultatum praestent idoneam cautionem. *Conc. Lugdun. sub Greg. X Pap.*

Si quis clericorum detectus fuerit usuras accipere, placuit de-

gradari et abstinere. Si quis etiam laicus accepisse probatur usuras et promiserit correptus se jam cessaturum, nec ulterius exacturum, placet ei veniam tribui. Si vero in ea iniquitate duraverit ab Ecclesia sciat se esse projiciendum. *Conc. Elibertin. dist. XLV.*

Si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare praesumat, exercere usuras non esse peccatum : decernimus eum velut haereticum puniendum. Locorum nihilominus ordinariis, et haereticae pravitatis inquisitoribus districtius iniungentes, ut contra eos quos de errore hujusmodi diffamatos invenerint, aut suspectos, tanquam contra diffamatos vel suspectos de haeresi procedere non omittant. *Habetur in Clem. de usuris;, Cap. Sane.*

Non est qui ignorat grande malum, incurabilem morbum esse usuram. Quam turpe sit hoc vitium ex hoc uno intelligi potest, quod usurarii sibi faciunt Deum in nummis. At experientia duce usurarii saepe saepius propter amorem pecuniae impoenitentes moriuntur. Similis est enim pecunia usurarii, morsui aspidis: percussus enim ab aspide, quasi delectatus vadit in somnum et per suavitatem saporis moritur: quia tunc venenum latenter per omnia membra decurrit; sic qui usuram accipit, in tempore quasi beneficium sentit: sed usura per omnia ejus facultates decurrit, et totum convertit in mortem, et ideo ordinarie loquendo usurarii impoenitentes moriuntur. Et ideo age poenitentiam, si in tantum malum incidisti. Ut autem poenitentia sit vera, Deoque grata, duplex praestanda est justitia. Una Deo, qua pro commissis peccatis satisfaciendum est: altera homini, cui bona injusta usurpata restituere tenetur usurpator, seu detentor usurarius. Haec justitia quae restituit alienum bonum, Deo gratissima est, et ad sanctitatem viam sternit. Suas quisque conscientiae discutiat latebras, ne forte quid furtivium sit, domus suae perquirat angulos, an non haedum (sicut Tobias dixit cap. II), balantem audiat; an non pars pretiositatis, alteriusve mercis ex usura balet, an non usura, et argentum pupillis, viduis, et orphanis subtractum ex arca vocem sanguinis emittat. Caeteri peccatores interpolationem faciunt in peccatis. Usurarius vero qualibet die, qualibet hora, quolibet momento, et quolibet festo peccat. Ideo videtur esse pejor quam Juda. Iste enim tantum vendidit Christum, ille autem vendidit Christum, B. Virginem, Sanctosque omnes, quia earum festivitates etiam computat in usuras, et quia similis fuit Judae in culpa, ideo similis erit in poena. Judas namque in aëre qui est medius inter coelum et terram interiit, ad innuendum quod neque

in coelo debebat stare cum Angelis, neque in mundo cum hominibus, sed in aëre cum daemonibus. Sic et usurarius non habitabit in coelo, quia Deum, et B. Virginem et Sanctos offendit, nec in mundo, quia homines conturbavit, sed in inferno cum daemonibus quos per avaritiam adoravit. Hoc si ita est, unum e duobus eligat, aut restituendum aut damnandum. Faxit nunc Deus ut tantus horror longe sit ab Ecclesia ejus.

23. Spiritus Sanctus

Ex Sacris Scripturis

Spiritus Dei ferebatur super aquas. *Gen.* I, 2.

Spiritus Domini (*ait David*) locutus est per me, et sermo eius per linquam meam. *II Reg.* XXIII, 2.

Verbo Domini coeli firmati sunt: et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum. *Psal.* XXXII, 6.

Emittes Spiritum tuum et creabuntur, etc. *Psal.* CIII, 30.

Effundam enim aquas super sitientem, et fluenta super aridam: effundam Spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam. *Isai.* XLIV, 3.

Et dabo eis cor unum, et Spiritum novum tribuam in visceribus eorum: et auferam cor lapideum de carne eorum et dabo eis cor carneum. *Ezech.* XI, 19.

Et non abscondam ultra faciem meam ab eis, eo quod effuderim Spiritum meum super omnem domum Israel, ait Dominus Deus. *Ezech.* XXXIX, 29.

Effundam Spiritum meum super omnem carnem: et prophetabunt filii vestri, et filiae vestrae: sanes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt. *Joel* II, 28.

Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. *Matth.* X, 19, 20.

Hoc autem dixit (*Jesus*) de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. *Joan.* VII, 39.

Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitnm dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis quem mundus non potest accipere . . . Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis. *Joan.* XIV, 16, 17, . . 26.

Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Pa-

tre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. *Joan.* XV, 26.

Sed ego veritatem veritatem dico vobis: expedit vobis, ut ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos, etc. *Joan.* XVI, 17.

Et cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes (*discipuli*) parietur in eodem loco: et factus est repente de coelo sonus, tamquam advenientis Spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes, etc. *Actor.* II, 1.

Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. *Rom.* V, 5.

Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei . . . . Similiter autem Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Rom.* VIII, 16, 26.

Nescitis, quia templum Dei estis vos, et Spiritus Dei habitat in vobis? *I Cor.* III, 16.

Ex Ss. Patribus

Spiritus sapientiae negligentiam impegre repellit, spiritus intellectus diligentiam rationabiliter quaerit, spiritus consilii divinam providentiam prudenter invenit, spiritus virtutis instigationes fortiter recondit, spiritus scientiae oblivionem lubricam diu esse integre non sinit; spiritus pietatis humanam fragilitatem clementer indulcet, spiritus timoris Dei improvidam ignorantiam ardenter detorquit, et bene replet. *Hier. sup. Marc.*

Spiritus Sanctus in columba et igne apparuit: quia omne cor, quod ejus gratia tangitur, et mansuetudinis lenitate tranquillum, et zelo justitiae fit accensum. *Greg. hom. sup. Matth.*

Spiritus Sanctus in linguis igneis apparuit, quia omnes quos replevit, ardentes pariter et loquentes fecit. *Greg. in hom. Si quis dilig.*

Considero patres novi et veteris testamenti, David, Danielem, Amos, Petrum, Paulum, et Matthaeum, et apertis oculis fidei intueor: implet namque Spiritus Sanctus puerum citharae dum et psalmistam facit: implet abstinentem puerum, et judicem senum facit: implet pastorem armentarium, et prophetam facit, implet piscatorem, et principem Apostolorum facit, implet persecutorem et doctorem Gentium facit, implet publicanum, et Evangelistam facit; quam ergo insani sumus, qui hunc spiritum non quaerimus. *Greg. sup. Ezech.*

Quod est anima corpori hominis, hoc est Spiritus Sanctus cor-

pori Christi, quod est Ecclesia: hoc agit Spiritus Sanctus in tota Ecclesia, quod agit anima in omnibus membris unius corporis. *Aug. ser. II in fer. II Pent.*

O qualis est artifex iste Spiritus? nulla ad discendum mora agitur in omne quod voluerit, mox enim, ut tetigerit mentem, docet, solumque tetigisse docuisse est. *Greg. hom. XXX in Evang.*

Habitare in corpore animam, probant vitales sensus corporis; habitare in anima spiritum, probat vita spiritualis; illud ex visu, et auditu cognoscitur; istud ex caritate, et humilitate, caeterisque virtutibus. *Greg. in Moral.*

Spiritus Paraclitus dat signum salutis, robur vitae, scientiae lumen. *Ber. ser. II de Pent.*

Quomodo agnoscere potero Spiritus hujus praesentiam? non oculis, quia colore careat, non auditu, quia sonus non est, non olefactu, quia sine odore est; cognoscam ergo illum mutatione cordis mei, cum e terreno illud coeleste factum video, et cerneo spirituale. *Ber. in Cant.*

Si vultis vivere de Spiritu Sancto, tenete caritatem, amate caritatem, desiderate unitatem, et pervenietis ad aeternitatem. *Aug. ser. CLXXXVIII de temp.*

Idcirco Spiritus Sanctus in igne et columba nobis monstratus est, quia videlicet quos implet et columbae simplicitate mansuetos, et igne zeli ardentes exhibet. *Greg. in Moral.*

Haec est administratio Spiritus Sancti Scripturae revelantur, intellectus reformatur, disciplina dirigitur. *Bon. ser. XII.*

Magnum donum Deus Pater nobis dedit, quando Filium suum nobis misit ad nostram redemptionem, magnum etiam superaddidit, quando Spiritum Sanctum nobis exhibuit ad nostram filialem adoptionem. Et hodie festum celebramus de nostra adoptione. Hoc festum igitur quod agimus de nostra adoptione expressit, cum dicitur: *Paraclytus autem Spiritus Sanctus quem Pater mittet in nomine meo, Ille docebit omnia* (*Ioan.* XIV). Ubi de Sancto Spiritu multa illustrantur. Est enim advocatus, et consolator noster. Ista duo notantur in hoc verbo quod dicitur, *Paraclytus.* Nam secundum Greg. graeca lingua Paraclytus, latina advocatus et consolator dicitur. *Spiritus Sanctus.* Et Spiritus Sanctus ideo advocatus dicitur quia pro errore deliquentium apud iustitiam Patris intervenit, dum eos quos replevit exorantes facit. Spiritus igitur Sanctus, in eo quod apostolos replevit exoratores, et nostros advocatos eos fecit. Spiritus Sanctus est consolator noster. *Ecclesia quidem per totam Judaeam, et Galileam, et Samariam habebat pacem, et aedifica-*

batur ambulans in timore Domini, et consolatione Sancti Spiritus replebatur (*Actor.* IX). Vera consolatio enim non est in nisi in Spiritu, et de Spiritu Sancto. Et istam consolationem Spiritus Sancti non possunt recipere illi, qui habent consolationem mundanam iuxta illud (*Joan.* XIV). *Spiritum veritatis quem mundus*, id est amatores mundi, *non potest accipere*, *quia non videt eum*, *nec scit eum*. Est Spiritus Sanctus instructor noster sive informator noster cum dicitur. *Ille vobis docebit omnia.* Nisi enim ille doceat interius, frustra omnis alius magister laborat exterius. *Nisi Spiritus Sanctus* ait Greg. (*Hom.* IX) *cordi adsit audientis, in vacuum laborat lingua docentis.* Nemo ergo docenti homini tribuat quod ex ore intelligit docentis, quia nisi intus sit qui doceat, docentis lingua exterius in vacuum laborat. Non est tribuenda doctori, sed Spiritui Sancto, si aliquando quis bene doceat vel fructum facit. Si ergo per aliquem doctorem in corde alicuius scribuntur Dei praecepta, vel pinguntur virtutum ornamenta, non est commendatio calami scribentis, sed manus scribae per calamum operantis. *Non enim*, ait Christus, *vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (*Matth.* V). Ne hoc solum, sed vocatur etiam Spiritus Sanctus, suavis, benignus, et humanus, quia illos quos replet, facit suaves in corde, benignos in sermone, et humanos in conversatione. At cum venturum certo crederent Apostoli Spiritum Sanctum, horam autem ignorarent, ita agebant, ut semper parati reperirentur. In dilatione erat longanimitas, et patientia; cum ardenti desiderio aequanimitas. Tamen in oratione perseverabant abstracti a rebus saeculi, et hominum commercio, ut Spiritum Sanctum acciperent. Discede ergo a distractionibus, et te intra te collige. Anima dissipata non est cum Deo. Si id fecerunt quibus Christus revelavit adventum Spiritus Sancti, quanto magis te decet id praestare? Solitudine, oratione, committendo preces tuas Virgini sponsae ejus, trahis Spiritum Sanctum. Esto certo, si petes, ut debes, accipies. Sancte Spiritus! Sanctum semper opus in me spira, ut sancte cogitem: compelle ut faciam, suade ut te diligam: confirma me, ut te teneam: custodi me ne te perdam. Sursum erige me per aeternorum affectionem, conjunge tecum per amoris unitatem, conserva per finalem perseverantiam, ut tuo ductu currat anima mea ad te principium, et finem suum, a quo nunquam separetur. Amen.

26. S. Philippus Nerius

Ex Sacris Scripturis

Quam pulchra tabernacula tua Jacob et tentoria tua Israel! Ut valles nemerosae, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula, quae fixit Dominus, quasi cedri prope aquas. *Num.* XXIV, 5, 6.

Et elegit Sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege Dei: Et mundaverunt sancta, et tulerunt lapides contaminationis in locum immundum. Et fecerunt vasa sancta nova, et intulerunt candelabrum et altare incensorum et mensam in templum. *I Mach.* IV, 43, . . 49.

Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. *Psal.* CXVIII, 32.

Est enim in illa spiritus intelligentiae, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis incoinquinatus et certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, stabilis, certus, securus omnem habens virtutem, omnia prospiciens, et qui capiat omnes spiritus: intelligibilis, mundus, stabilis. *Sap.* VII, 22, 23.

Dilectus Deo, et hominus Moyses, cujus memoria in benedictione est. *Eccli.* XLV, 1.

Et surrexit Elias propheta, quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat. *Eccli.* XLVIII, 1.

Et factus est in corde meo quasi ignis exaestuans, claususque in ossibus mei: et defeci, ferre non sustinens. *Jerem.* XX, 9.

Repletus fortitudine spiritus Domini. *Mich.* III, 8.

Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates. *Dan.* XII, 3.

Fulcite me floribus stipate me malis: quia amore languo. *Cant.* II, 5.

Nemo se seducat: si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc saeculo, stultus fiat ut sit sapiens. *I Cor.* III, 18.

Et posuit in nobis verbum reconciliationis. *II Cor.* V, 19.

Exemplum esto fidelium, in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate. *I Tim.* IV, 12.

Ex Ss. Patribus

Dilatatum est cor, ut Patris et Filii et Spiritus Sancti sustineat mànsionem. *Ambr. in Psal. CXVIII.*

O quam sublime quam magnum, quam Dei oculis acceptum. *Cypr. ser. III.*

Exaestuat, seipsum non capit, immensitatem aemulatur. *Gilb. Ab.*

Deferbuit . . . in cordibus hominum Christi amor. *Th. a Vill. com. III in Nat.*

Manu gratiae fingit (*Deus*) singillatim corda eorum. *Aug. in Psal. XXII.*

Amor fortis non quaerit causam, nec fructum, amo, quia amo; amo, ut amer. *Bern. ser. III sup. Cant.*

O extasim exuberantis amoris, o ferventis caritatis excessum! *Thom. a Vill. serm. de transfig.*

Zelo domus Dei comeditur, qui omnia adversa, quae videt, cupit emendare, et si emendare non potest, tolerat, et gemit. *Aug. in Joan.* cap. III.

In via Domini socios habere desiderate; si ad Deum tenditis, curate, ne ad eum solum veniatis. *Idem ibid.*

Zelum tuum inflammet caritas, informet scientia, firmet constantia; sit fervidus, sit circumspectus, sit invictus. *Bern. ser. II in Cant.*

Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia. *Ambr. lib. II in Luc. cap. I.*

Quod sumus professione, actione potius, quam nomine monstramus. *Ambr. de Sac. dign.* cap. III.

Professio vestra vita coelistis est. *Cassiod. ep. XXIV.*

Homo si Deum amat, mundum non amat. *Chrys. hom. XLVII in Matth.*

Fortem facit vis amoris; quia nihil durum, nihil amarum, nihil grave computat amor verus. Quod ferrum? quae vulnera? quae poena? quae mortes amorem praevalent superare perfectum Amor impenetrabilis est lorica, respuit jacula, gladios excutit, periculis insultat, mortem ridet; si amor est vincit omnia. *Chrysol. ser. XL.*

Philippus post mortem in coelo collocatur inter lapides igneos, inter gemmantes syderum ardentium radios; nimirum inter Seraphinos, ob amorem Dei quo ardebat in terris. Nonne talis ei debebatur locus, qui dum viveret, Seraphinus videbatur ab amorem Dei? Etenim divini amoris fervore inflammatus aestuabat, caritate Dei vulneratus languebat jugiter: tantoque cor ejus aestuabat ardore, ut cum intra fines suos contineri non posset, illius sinum, confractis atque elatis duabus costulis, mirabiliter Dominus ampliaverit (*Lec.* II). Ut autem Philippi obtineamus auxilium ejus

imitari debemus perfectiones, et per eam viam incedere debemus per quam ipse ambulavit. Duas recenset Christus Dominus vias. Latam unam, angustam alteram. Illa est explanata divitiis, deliciis, gloriis vanis hujus saeculi: sed ducit ad infernum. Altera e contra est plena spinis, laboribus, adversitatibus, aerumnis, quae sunt mala dumtaxat apparentia, sed ducit ad coelum. *Sicut ad verum malum per fallacia bona; sic ad verum bonum per fallacia mala pervenitur* (*Lact. lib. VI, cap. XXI*). In inferno sunt vera mala, in coelo sunt vera bona: per fallacia saeculi bona ad vera inferni mala pervenitur: e contra per fallacia mala vitae aerumnosae vera coeli bona pervenitur. Philippus pervenit ad coelum, ubi veris perfruitur bonis, quia incessit per viam non latam, sed angustam. *Non quaeritur, qui latam viam sequi paratus sit, sed qui angustam.* Imitemur egregias Philippi virtutes, simplicitatis candorem, innocentiae fulgorem, caritatis fervorem, probitatis morem, urbanitatis amorem, gratiae decorem; praesertim ergo sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum, ut in coelo cum ipso possideamus gloriae splendorem. Amen.

27. Eleemosyna

Ex Sacris Scripturis

Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum, quasi exactor, nec usuris opprimes. *Exod.* XXII, 25.

Postquam autem messueritis segetem terrae vestrae, non secabitis eam usque ad solum: nec remanentes spicas colligetis; sed pauperibus et peregrinis dimittitis eas. *Lev.* XXIII, 22.

Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet, ut ne a te avertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude .... Eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna, omnibus facientibus eam. ... Panem tuum cum esurientibus et egenis comede, et de vestimentis tuis nudos tege. etc. *Tob.* 4, 7, 8 et seqq.

Quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est, quae purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam aeternam. *Tob.* XII, 9.

Eripite pauperem: et egenum de manu peccatoris liberate. *Psal.* LXXXI, 4.

Dispersit dedit pauperibus, justitia ejus manet in saeculum saeculi: cornu ejus exaltabitur in gloria. *Psal.* CI, 9.

Ne dicas amico tuo: Vade, et revertere: cras dabo tibi, cum statim possis dare. *Prov.* III, 28.

Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis. *Eccli.* III, 33.

Fili, eleemosynam pauperis ne defraudes, et oculos tuos ne transvertas a paupere. Animam esurientem ne despexeris, et non exasperes pauperem in inopia sua. Cor inopis ne afflixeris, et non protrahas datum angustianti. *Eccli.* IV, 1, 2, 3.

Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. *Isai.* LVIII, 7.

Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua: Ut sit eleemosyna tua in abscondito: et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. *Matth.* VI, 3, 4.

Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. *Matth.* X, 42.

Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in Coelo. *Matth.* XIX, 21.

Jesus dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det (*unam*) non habenti: et qui habet escas, similiter faciat. *Luc.* III, 11.

Date eleemosynam: et ecce omnia munda sunt vobis. *Luc.* X, 41.

Quod superest, date eleemosynam: et ecce omnia munda sunt vobis. *Luc.* XI, 41.

Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? *I Joan.* III, 17.

Ex Ss. Patribus

Melius servatur pecunia, quae in dextera pauperis collocatur: hanc calumniator non extorquet, invidus non criminatur, latro non aufert, fur nocturnus non diripit: servus fugam meditans non invadit, sed semper est tuta, semper integra, semper salva. *Chrys. super illud Matth. facite eleem.*

Supplicem nullum spernas: et cui dare non potes quod petierit, non eum spernas; si potes dare, da, si non potes, affabilem te praesta; coronat Deus intus bonitatem, ubi non invenit facultatem: nemo dicat non habeo: caritas non de sacculo erogatur. *Aug. in Psal. CXXX.*

Foecundus est ager pauperum. cito reddit donantibus fructum.

Via coelesti est pauper per quam venitur ad patrem. Incipe ergo erogare, si non vis errare. *Aug. de Verb. Dom.*

Eleemosyna maxime valet ad abolenda peccata, et extinguendum gehennae ignem, modo liberaliter, et non ad ostensionem illa fiat. *Gris. hom. VIII in Gen.*

Non solum qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, aegro vel incluso visitationem, non sano medelam, erranti viam, deliberanti consilium, et quod cuique necessarium est indigenti, verum etiam, et qui dat veniam peccanti eleemosynam dat. *Aug. in Ench.* cap: LXXII.

Eleemosyna plerumque fit a tristibus, et murmurantibus, ut careant tedio interpellantibus, non ut reficiant viscera indigentis: hilarem enim datorem diligit Deus : ut si panem dederis tristis, et panem, et meritum perdidisti: ergo ex animo fac, ut ille, qui intus videt, adhuc torquente te dicat: Ecce adsum. *Aug. in Psal. XLII.*

Si vis esse mercator optimus, foenerator egregius, da quod non potes retinere, ut recipias quod non poteris amittere, da modicum, ut recipias centuplum: da temporalem possessionem, ut consequaris haereditatem aeternam. *Aug. ep. ad quon. comit.*

Hoc est occidere hominem, vitae suae et subsidia denegare. Cave ne inter loculos tuos includas salutem inopum: et tanquam in tumulis sepelias vitam pauperum. *Ambr. sup. Psal. Beati imm. in via.*

Quidquid tribuitur pauperi si subtili consideratione pensetur : non est donum, sed mutuum: quia quod datur, multiplicato sine dubio recipiatur. *Greg. in reg.*

Qui indigenti proximo exteriorem substantiam praebet sed vitam suam a nequitia non custodit, rem suam Deo tribuit, et se peccato. Hoc quod minus est, obtulit auctori: et hoc quod maius est, servavit iniquitate. *Greg. Moral.* lib. XIX.

Si indifferenter omnibus dederimus, semper miserebimur, si autem discutere caeperimus, numquam misericordiam praestabimus. *Chrys. sup. Matth. ser. IX.*

Eleemosyna est multum utilis et fructuosa, ideo dicitur et dabitur vobis scilicet regnum coelorum. Eleemosynarii enim in judicio pro se et suis allegabunt, juxta illud: *Jucundus homo qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in judicio* (*Psal.* CXI). Pauperes facti amici pro ipsis orabunt. *Facite vobis* , ait Christus, *amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis re-*

cipiant vos (*Luc.* XVI). Nihilominus et ipsa eleemosyna orabit pro eo qui eam facit. *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, et haec pro te exorabit, ut eruaris ab omni malo* (*Eccl.* XIX). Ipsae namque eleemosynae sunt munera quam Deo offerre debemus per quae iram Dei extinguemus, et regnum obtinebimus. *Munus absconditum extinguit iras, et donum in sinu indignationem maximam mitigat* (*Prov.* XXI). Hae sunt utilitates quae in se continet eleemosyna. Et quicquid nobis superfluum Dominus dedit, impendendum est pauperibus pro quibus Deus nobis non necessaria donavit, ut ea pauperibus elargiamus. Fili apud Deum pietatis januam claudis, qui viscera misericordiae proximo mendicanti non aperis. Sed eleemosyna debet esse instar seminis idest occulta, pura et irrigua. Occulta quidem ab omni laude humana. *Conclude eleemosynam in sinu pauperum* (*Eccl.* XXIX). *Te autem faciente eleemosyna, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua* (*Matth.* VI). Pura sine admixtione zazaniae idest rei alienae. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, qui victimat filium in conspectu patris sui* (*Eccli.* CXXIV). Item irrigua ex interna compassione. *Euntes ibant et flebant mittentes semina sua* (*Psal.* CXXV). *Flebam eum qui afflictus erat, et anima mea compatiebatur pauperi* (*Job* XXX). Da ergo pauperi terram, ut accipias coelum; da pauperi, ut detur tibi, quia quidquid pauperi dederis, tu habebis: quod pauperi non dederis, habebit alter. Et scito, quod cum quaelibet necessaria indigentibus ministramus: sua illis reddimus, non nostra. Quidquid tribuitur pauperibus non est donum, sed mutuum; quia quod datur, multiplicato sine dubio fructu recipitur.

28. Sequitur Christi Flagellatio

Ex Sacris Scripturis

Membra mea quasi ad nihilum redacta sunt. *Job* XVII, 7.

Foderunt manus meas et pedes meo: dinumeraverunt omnia ossa mea. *Psal.* XXI, 16. 17.

Ipsi vero consideraverunt, et inspexerunt me: diviserunt sibi vestimenta mea. *Psal.* XXI, 18.

Tota die verecundia mea contra me est: et confusio faciei meae cooperuit me. *Psal.* XLIII, 15.

Quoniam ego in flagella paratus sum. *Psal.* XXXVII, 17.

A planta pedis usque ad verticem capitis, non est in eo sanitas: vulnus et livore et plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. *Isai.* I, 6.

Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico: retrorsum non abii. Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus etc. *Isai.* L, 5.

Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, e non aperuit os suum. *Isai.* LIII, 7.

Propter scelus populi mei percussi eum. *Isai.* LIII, 8.

Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: et non erit eis populus, qui eum negaturus est, etc. *Dan.* IX, 26.

Et tradent eum gentibus ad illudendum, et flagellandum, etc. *Matth.* XX, 19.

Pilatus volens populo satisfacere, . . . tradidit Jesum flagellis caesum. *Marc.* XV, 15.

Locus autem Scripturae, quam legebat erat hic (*Isai.* LIII, 7): Tamquam ovis ad occisionem ductus est; et sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum. *Actor.* VIII, 23.

Ex Ss. Patribus

Prae debilitate nimia in terram cecidit, et suo se sanguine volutavit. *Rub. Ab. art. II de Pass. Dom.*

Electi Domine, quid tanta amaritudine, quid tanta confusione dignum commiseras? prorsus nihil. Ego homo perditus totius confusionis tuae causa fui. *Bern. ser. de Pass.*

Inter ipsos (*milites percutientes*) ille beatior, illeque praestantior credebatur, qui in contumeliis irrogandis, infligendisque verberibus crudelior extitisset. *Laur. Just. de ag.* cap. X.

Quantum sanguinem credimus vinculis inhaesisse, cum Dominus flagellatus est, et sanguis ejus in aera saltaret? *Bern. ser. de Pass.*

Ecce anima christiana, haec est virtus salvationis tuae, hoc est pretium redemptionis tuae captiva eras, et hoc modo es redempta. *Angel. cap. V de Redemp.*

O Charitas, quam magnum est vinculum tuum, quo Deus ligari potuerit! Nullum vinculum Filium Dei ad columnam tenere potuisset, si caritatis vinculum defuisset. In hoc vero columna caritatis nexu vinctus, prae amoris ebrietate nudum se exhibere vix erubuit. *Laur. Just. de lig. vitae* cap. IV.

Agnosce quam sint gravia vulnera animae tuae, pro quibus necesse fuit Christum vulnerari. *Ber. cap. III Med.*

Tanta erat pudoris Christi vis, ut nec oculos audens levare, strepitum saevientium militum audiebat, et ignorabat flagella, quae degustabat. *Ansel. in Psal. XXXIV de Pass.*

Perpende, qui talem pro nobis dedit pecuniam (scilicet Sanguinem suum et vitam, immo totum Deum) aequalem a nobis sit exacturus usuram. Corpus meum, ait, dedi percutientibus etc. Agnosce homo quantum valeas, et quantum debeas, et dum tantam redemptionis tuae perspicis dignitatem, ipse tibi indicito peccandi pudorem. Ecce pro impio pietas flagellatur, pro stulto sapientia illuditur, pro mendace veritas necatur, damnatur justitia pro iniquo, misericordia affligitur pro misero, repletur sinceritas aceto; inebriatur felle dulcedo, addicitur innocentia pro reo, moritur vita pro mortuo. *Aug. ser. II de temp.*

Meditemur quam erubescibile fuit in regia civitate, in die solemni, in tot millium praesentia, in adversariorum conspectu, sic nudari, ligari, et caetera quae subsequuntur sufferre. *Dyon. Cart. in cap. XIX Joan.*

Heu! memento temporis, totalis corporis ejus superficies ita sanguine superfundebatur, ac si purpura circumdatus, et in stuporem, et deformitatem transformatus, omnibus apparuit quasi lepra percussum. *Anselm. Dialog. de Pass.*

Caro enim tenerrima non modo vulnerabatur, sed discerpabatur etiam, lacerabatur, sulcabatur, ut ossa quoque nuda apparerent. *Lansperg. de Pass. Dom.*

Ecce Dominus aptatur ad verbera, ecce jam caeditur, rupit sanctam cutem violentia flagellorum, repetitis ictibus crudelia verbera scapularum terga conscindunt. Proh dolor! Jacet extensus ante hominum Deus, et supplicium patitur rei, in quo nullum peccati vestigium potuit inueniri. *Aug. ser. de Pass. in cap. XXVII Matth.*

Christus dorsum suum posuit ad flagella, et maxillas ad palmas, et faciem non avertit a sputaminum iaculis; et sic toto adhuc corpore est laceratus. Etenim illud sacratissimum corpus, pectusque flagella secuerunt, id ipsemet conqueritur Salvator: *supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolungaverunt iniquitatem suam* (*Psal.* CXVIII). Et sicut dum aratur, terra quae latebat, detegitur: sic de Christo vaticinatus fuerat Propheta: *Tabescet caro ejus, et ossa quae tecta fuerant, nudabantur* (*Job.* XXXV). Tot plagis vulneratus est, ut in corpore nihil appareret praeeter vulnus; ut asseverat patiens Salvator per Job: *Concidit me vulnere super vulnus* (*Job* XVI). Sed et expende virtutes praecipuas a Christo in flagellatione exhibitas. Amorem nostri eximium, ob quem in se suscepit vulnera nostra. Et tu audiens passiones, et contumelias Domini Salvatoris delicias quaeris? Humilitatem ex vilitate supplicii, quod erat solum mancipiorum. Metire tuam

humilitatem, an usque ad novissimum descendat! Invictam fortitudinem et patientiam. Quomodo tu stas in adversis? Mi Jesu propter guttas Sanguinis quas in flagellatione fudisti, da mihi lacrymas salutiferae contritionis.

29. Oratio in nomine Christi

Ex Sacris Scripturis

Et ait (*David*): Dominus petra mea, et robur meum, et Salvator meus, etc. . . . In tribulatione mea invocabo Dominum, et ad Deum meum clamabo: et exaudiet de templo suo vocem meam, et clamor meus veniet ad aures ejus. *II Reg.* XXII, 2, . . 7.

Tunc accessit ad eum (*Jesum*) mater filiorum Zebedei cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo. Qui dixit ei. Quid vis? Ait illi: Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram, in regno tuo. *Matth.* XX, 20 et seq.

Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filio. *Joan.* XIV, 13.

Non vos me elegistis: sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis: et fructus vester maneat: ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. *Joan.* XV, 16.

Et in illo die me non rogabitis quidquam. Amen, amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. *Joan.* XVI, 23.

Et haec fiducia, quam habemus ad eum (*Deum*): quia quodcumque petierimus secundum voluntatem eius audit nos. *Joan.* V, 14.

Qui cum audissent, unanimiter levaverunt vocem ad Deum, et dixerunt: Domine, tu es qui fecisti coelum et terram, mare, et omnia, quae in eis sunt, etc. . . . Et cum orassent, motus est locus, in quo erant congregati: et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et loquebantur verbum Dei cum fiducia. *Actor.*IV,24, . . 31.

Et lapidabant Stefanum (*Judaei*) invocantem et dicentem: Domine Jesu, suscipe spiritum meum. Positis autem genibus, clamavit voce magna, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. *Actor.* VII, 58, 59.

Ex Ss. Patribus

Unigenitus Dei Filius Jesus Christus idem est propitiatio, et propitiator, medicus, et medicina, Sacerdos, et Sagrificium. *Innoc. III in Psal. CXXIX.*

Bona et desiderabilis umbra sub alis Jesu, ubi totum est fugientibus refugium, et gratum fessis refrigerium. *Bern. hom. II sup. Minus est.*

Pensate petitiones vestras, videte si in nomine Jesu petitis, idest si gaudia salutis aeternae postulatis; in domo enim Jesu, Jesum non quaeritis; sed in aeternitatis templo importune pro temporalibus oratis. Ecce alius in oratione petit villam, alius postulat vestem, alius dare sibi alimentum deprecatur. *Greg. hom. XXXII in Matth.*

Non petitur in nomine Salvatoris, quidquid petitur contra rationem salutis. *Aug. tract. CLXVI in Joan.*

Christus mediator Dei et hominum, Patris Dei et homini Filius, aequalis Patri per divinitatis unitatem; et particeps nostri per humanitatis susceptionem, Patrem interpellat pro nobis, per id quod homo erat. *Aug. lib. IV de Trin.*

Dominus noster Jesus Christus Filius Dei orat pro nobis, orat in nobis, oratur a nobis. Orat pro nobis, ut Sacerdos noster; orat in nobis, ut caput nostrum; oratur a nobis, ut Deus noster. *Aug. in Praef. sup. Psal. LXXXVI.*

Jesus Christus Dominus noster nobis discipulis novi Testamenti, novam orationis formam determinavit. *Tert. lib. de Orat. I.*

Cum Christus immolatur, clamat idem Redemptor ad Patrem, corporaliter suas cicatrices ostendens. *Laur. Just. ser. de Corp. Chr.*

Si solus est, qui legit, aut orat, Jesus vult esse secundus: si duo simul legunt, aut cantant, Jesus vult esse tertius, nec vana erit petitio istorum in nomine Jesu congregatorum. *Kemp. in nov. st.*

Stans, aut sedens, orans, scribens, aut operans, creber in ore semper autem in corde Jesus versetur, et Maria. *Idem ibid.*

Christus est Deus homo, quia natura divina et humana eadem Verbi personalitate suppositantur. Ut Deus nequit orare, quia oratio denotat dependentiam et indigentiam, et non est nisi inferioris ad superiorem, et indigentis ad eum, qui potest ejus egestati subvenire. Christus autem ut Deus a nullo dependet, neque subjici potest egestati; itaque non praecise ut Deus, sed dumtaxat in carne assumpta, et ut homo factus est victima, et Sacerdos, qui et pro nobis interpellat; et quia Sacerdotis munus est orare, et interpellare, Christus interpellat pro nobis; et orare in nomine Christi idem est ac Christum orare pro nobis. Dixi Christum esse Sacerdotem, et duplex est Sacerdotis praecipuum munus. Unum est Sacrificium offerre, aliud est orare pro populo. Duplex illud Sacerdotis munus obivit Christus: nam et obtulit Sagrificium, simul

Sacerdos et hostia. Secundum, in coelo orat supremus Pontifex Christus, *Accedens per semetipsum ad Deum semper vivens ad interpellandum pro nobis* (*Hebr.* VII). Ideo oratio in nomine Christi, maximam habet efficaciam, valoremque. Validissima fuit ora-Christi in Cruce facta, ubi *exauditus est pro sua reverentia* (*Hebr.* V). Potentissima est adhuc interpellatio Christi in coelo, ostendendo Patri latus et vulnera. Hic est finis noster, ad quem omnia, et singula debemus dirigere, atque semper petere et confidenter in nomine Jesu. Argumentum hoc est, quod nostram firmat fiduciam secundum promissionem Christi. Forte non sic orasti! Grandis hic error est; non fiducia sed praesumptio est secus orare. At quoties non solum non petiisti in nomine Jesu, sed quod verbis petiisti, factis opposuisti! Explora quid sentis, quid tua dicit conscientia? O miser quoties petiisti non accepisti ea quod male petiisti.

30. Thesaurus amicorum

Ex Sacris Scripturis

Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum. *Psal.* CXXXVIII, 17.

Qui negligit damnum propter amicum, justus est. *Prov.* XII, 26.

Omni tempore diligit, qui amicus est, et frater in angustiis comprobatur. *Prov.* XVII, 17.

Frater, qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma: et judicia, quasi vectes urbium. *Prov.* XVIII, 19.

Unguento et variis odoribus delectatur cor: et bonis amici consiliis anima dulcoratur. *Prov.* XXVII, 9.

Amicum tuum, et amicum patris tui, ne dimiseris. *Prov.* XXVII, 10.

Infinitus thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei propter disciplinae dona commendati. *Sap.* VII, 14.

Amicus fidelis, protectio fortis: qui autem invenit illum, invenit thesaurum. *Eccli.* VI, 14.

Amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio aurei et argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis, medicamentum vitae, et immortalitatis: et qui metuunt Dominum, invenient illum. *Eccli.* VI, 15, 16.

Beatus qui invenit amicum verum. *Eccli.* XXV, 12.

Amicum salutare non confundar, a facie illius non me abscondam: et si mala mihi evenerint per illum sustinebo. *Eccli.* XXII, 31.

Non obliviscaris amici tui in animo tuo, et non immemor sis illius in operibus tuis. *Eccli.* XXXVII, 6.

Melius est ergo duos esse simul, quam unum; habent enim emolumentum societatis suae: si unus ceciderit, ab altero fulcietus. Vae soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se. *Eccles.* IV, 9.

Amicus fidelis, medicamentum vitae, et immortalitatis: et qui metuunt Dominum, invenient illum. *Eccli.* VI, 16.

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula. *Luc.* XVI, 9.

Vos autem dixi amicos, quia omnia, quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. *Joan.* XV, 15.

Ex Ss. Patribus

Solatium hujus vitae, ut habeas cui pectus tuum aperias, cui arcana communicas,cui secreta tui pectoris committas, ut collects tibi fidelem virum, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur, facilis vox et communis totus sum tuus, sed paucioris est effectus. *Ambr. lib. III de offic.*

Virtus est amicitia non quaestus, quia non pecunia paratur, sed gratia, nec concertatione benevolentiae. Non est vera amicitia ubi est fallax adulatio. *Idem ibid.*

Amicitia et prosperas res dulciores facit, et adversas communione temperat, et leviores reddit, quia dum in tribulatione amicus frangitur, et minus eadem patitur. *Idem ibid.*

Qui sancto viro adhaeret, ex ejus assiduitate visionis, usu locutionis, exemplo operis accipit, ut accendatur in amorem veritatis; peccatorum suorum tenebras fugiet, in desiderio lucis exardescet. *Greg. hom. V in Ezech.*

Non sunt fideles in amicitia, quas munus non gratia copulat: nam cito deserunt, nisi semper acceperint. Dilectio enim quae munere glutinatur, eorum suspensio dissolvitur. *Isid. de sum. bon.* lib. III.

Nescio utrum Christianae amicitiae putande sint, in quibus magis valet vulgare proverbium: Obsequium amicos, veritas odium parit. Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulentia oscula odientis. *Aug. in ep. ad Hier.*

Amicitia parem aut facit aut accipit. Ubi inaequalitas et alterius eminentia, alterius subiectio, ibi non tam amicitia, quam adulatio est. *Hier. sup. Mich. Proph.*

Obsecro te, ne amicum qui diu quaeritur, vix invenitur. diffi-

cile servatur, pariter cum oculis, mente amittas. *Hier. in ep. ad Ruffin.*

Objurget amicus amicum, non jactatiae studio, sed affectu caritatis, neque admonitio aspera sit, nec objurgatio contumeliosa. *Ambr. de offic. mona.* lib. III.

Saepe propter honorem quorundam mutantur et mores: et quos ante conglutinatos caritate habuerunt, postquam ad culmen honoris veniunt, amicos habere despiciunt. *Isid. de sum. bon.* lib. III.

Amicitia potes esse bonorum cum bonis: bonorum cum malis vel e converso malorum cum malis. Amicitia quae est bonorum cum bonis est amicitia vera, quia non potest esse vera amicitia nisi cum bonis. Si igitur aliqui volunt per amicitiam jungi, oportet ut caveant ne inter eos sit aliquis ventus superbiae, vel pulvis avaritiae, vel humor luxuriae, quia inter superbos, avaros, et luxuriosos vera amicitia esse non potest. Non enim potest esse alicui amicus, qui sibi est inimicus. *Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit* (*Eccl.* XIV)? Qui verum amicum intuetur, tanquam exemplar aliquod sui intuetur, quocirca et absentes adsunt, et egentes abundant, et imbecilles valent; et quod dictu est difficillius, mortui vivunt. Veri namque amici et si sint absentes corpore, tamen sunt praesentes mente, et si unus meritis est egenus, in alio est abundans et plenus, et si unus ad resistendum diabolo est debilis, in alio est fortis; et si unus est mortuus, in alio, in his quae spectant ad ordinationem domus, et animae est vivus. Secundo amicitia est bonum cum malis vel e converso. Et ista bonis aliquando est periculosa, quamvis malis aliquando inveniatur fructuosa. Boni namque ex malorum familiaritate corrumpuntur in vitia, inquinantur in conscientia, et offuscantur in fama. Quia si vinum admiscetur aceto, vinum non corrumpit acetum, sed acetum vinum. Qui admisceat farinam cum luto, tunc farina non coinquinat lutum, sed lutum farinam. Si aurum argento misceatur, argentum ad auri claritatem esurgit, aurum vero pallescit. Quando igitur boni miscentur cum malis, quamvis mali aliquando meliores fiunt, boni tamen saepe in vitia corrumpuntur: et quando boni miscentur cum malis videantur lucere, tamen boni in fama videntur pallescere. Tertia amicitia est malorum cum malis: et ista est nimis periculosa. Mali enim sunt igni concupiscentiae inflammati, et ideo invicem amplius inflammantur *Numquid potest quis abscondere ignem in sinu suo, ut non comburantur vestimenta ejus?* (*Prov.* VI). Sunt luto avaritiae infecti, et ideo amplius inficiuntur: *Vae ei qui multiplicat non sua? usquequo*

et aggravat contra se densum lutum? (*Abac.* II) Sunt pice superbiae inquinati, et ideo amplius mutuo inquinantur. *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea* (*Eccl.* XIII). Quanti tales amicos habere voluerunt, et ipsi tales esse non volunt. Tu primum exhibe te bonum, et quaere alterum similem tibi. At verus amicus nunquam vel raro et difficile reperietur. Nulla est excusatio culpae si amici causa peccaveris: nam cum conciliatrix amictiae virtutis opinio fuerit, difficile est amicitiam colere, si a virtute defeceris.

51. Commoda et deliciae

Ex sacris Scripturis

Adhuc carnes erant in dentibus eorum . . . et ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis. Vocatusque est ille locus: sepulcra concupiscentiae: ibi enim sepelierunt populum, qui desideraverat (*scilicet carnem*). *Num.* XI, 33.

Et comederunt, et saturati sunt, et impinguati sunt (*Israelitae*) et abundaverunt deliciis in bonitate tua magna. Provocaverunt autem te (*Deus*) ad iracundiam, etc. *II Esd.* IX, 25.

Et nunc audi haec delicata, et habitans confidenter, quae dicis in corde tuo. Ego sum, et non est preter me amplius: non sedebo vidua, et ignorabo sterilitatem. *Isai.* XLVII, 8.

Ecce haec fuit iniquitas Sodomae sororis tuae, superbia saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius, etc. *Ezech.* XVI, 49.

Juxta pascua sua adimpleti sunt (*filii Israel*), et saturati sunt: et levaverunt cor suum et obliti sunt mei, *inquit Dominus. Oseae* XIII, 6.

Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormenta, et luctum. . . Ideo in una die venient plagae ejus, mors, et fames et igne comburetur: quia fortis est Deus, qui judicavit illam. *Apoc.* XVIII, 7 . . 9.

Et alii sunt, qui in spinis seminantur; hi sunt, qui verbum audiunt: et aerumnae saeculi, et deceptio divitiarum, et circa reliqua concupiscentiae introeuntes, etc. *Marc.* IV, 18.

Dico autem: Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis. *Galat.* V, 16.

Erudiens nos, ut abnegantes impietatem, et saecularia desideria, sobriè, et juste, et pie vivamus in hoc saeculo. *Tit.* II, 12.

Ex Ss. Patribus

Corporales deliciae, cum non habentur, grave in se desiderium

accendunt: cum vero habitae, eduntur comedentem: protinus in fastidium vertunt: at contra spirituales deliciae, cum non habentur, in fastidio sunt: cum habentur, in desiderio. In illis appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat. In istis autem saturitatem appetitus, saturitas, appetitum parit. Augent enim spirituales deliciae desiderium in mentem, dum satiant. *Greg. hom.IV.*

Delectatio caecidit, et praeteriit, vulneravit et transiit: miserum fecit,et abiit: infaelicem reddit, et reliquit.*Ambr.hom.XV in Joan.*

Sicut impossibile est, ut ignis inflammetur in aqua: ita impossibile est compunctionem cordis vigere in deliciis. Contraria enim haec sibi sunt invicem, et peremptoria. Illa enim mater fletus, haec mater est risus: illa cor constringit, ista dissolvit. *Chrys. in lib. de compunc. cordis.*

Vita in deliciis agens, et mors est, et umbra mortis: quantum enim umbra prope est corpori, cujus est umbra, tantum pro certo vita illa inferno appropinguat. *Bern. in Cant. ser. LXXXIV.*

O Regem! o diadema! pudeat sectari gloriam membra, quibus caput suum tam ingloriosum exhibetur. Pudeat sub spinoso capite membrum esse delicatum. *Bern. ser. V in Psalm.*


Cur carnem tuam tam pretiosis rebus impinguas, et adornas, quam post paucos dies vermes devoraturi sunt in sepulcro, et animam tuam bonis operibus non adornas, quae Deo, et Angelis ejus praesentanda est in judicio? Cur ergo animam tuam vilipendis, et ei carnem praeponis? dominam angillari, et angillam dominari magna abusio est. *Bern. Med.* cap. III.

Legumina ventosa sunt, caseus stomachum gravat, lac capiti nocet, potum aquae non sustinet pectus, caules nutrunt malancholiam; choleram porri accendunt, pisces de stagno, aut de lutuosa aqua meae penitus complexioni non congruunt. Puta te, quaeso Christianum esse, non medicum, nec de complexione judicandum, sed de professione. *Bern. in Cant. ser. XXX.*

Difficile imo impossibile est, ut et praesentibus quis, et futuris fruatur bonis, ut de deliciis transeat ad delicias. *Hier. ep. XXXIV ad Jul.*

Commoda et deliciae humanae damnantur, quibus voluntas inordinate adhaeret. Secuti autem commoda et deliciae ad tres principales et radicales reducit Dilectus discipulus; nimirum ad concupiscentiam oculorum, seu avaritiam; concupiscentiam carnis, seu lasciviam; concupiscentiam honoris, seu superbiam. Quae deliciae nuncupantur origo, comes, et seminarium peccati. Si has delicias quaeris tuum obscuras intellectum, immaginationem suf-

flammas, passionem ingeneras, voluntatem sollicitas, ut bonum sensibile etiam contra ordinem rationis et justitiae ames et prosequaris. Quaeris tua commoda et delicias humanas, terrenasque? animam a Deo abstrahis, ut cum bonis creatis delicieris. Sicut pisces et oves capiuntur esca; et sicut Esau illectus esca lentis vendidit primogenita sua, et sicut Eva et Adam pomi pulchritudine illecti contra Dei mandatum illud comederunt, ideoque mortem sibi intulerunt; ita et tu ob terrenes delicias et commoda privas te coelestibus, et amittis aeterna pro caducis et momentaneis. Nescis tu quod effaeminat animos amaenitas nimia? Centum si placeat annos demus deliciis, adde et alios centum. Si libet, adde et decies centum: quae erit ex his ad aeternitatem compensatio? Nonne omne tempus vitae hujus quo deliciis frui videmur, quasi noctis unius somnium ad aeternitatis comparationem videtur? Decepti sic miseri mortales existimant sese nonnullarum adeptione rerum esse beatos! Facile id esse bonum opinentur homines, ad quod eos naturalis ille jam illectus atque inflammatus rapit appetitus, eamque ob rem beatitudinem in commodis et voluptatibus ponunt. Vide si in te, etc.



JUNIUS

1. Mors peccatorum

Ex Sacris Scripturis

Dominus pluvit super Sodomam, et Gomorrham sulphur et ignem a Domino de coelo: et subvertit *quinque civitates, detestabili peccato foetentes. Gen.* XIX, 24.

Descenderuntque vivi in infernum, aperti humo, et perierunt; *Core, Dathan, et Abiron, ac eorum complices, Moysi rebellantes. Num.* XVI, 33.

Percussus est Alcimus proditor . . . et dissolutus est paralysi, nec ultra potuit loqui verbum, et mandare de domo sua. Et mortuus est . . . cum tormento magno. *I Macch.* IX, 55, 56.

Multis autem sacrilegiis in templo a Lysimacho commissis . . . congregata est multitudo adversus, *eum, et ipsum* secus aerarium interfecerunt. *II Mach.* IV, 39, . . 42.

Mors peccatorum pessima. *Psal.* XXXIII, 22.

Peccator videbit, et irascetur, dentibus suis fremet, et tabescet; desiderium peccatorum peribit. *Psal.* CXI, 10.

Quia vocavi, et renuistis: extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglixistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis id quod timebatis, advenerit . . . Tunc (*in morte*) invocabunt me, et non exaudium. *Prov.* I, 24, . . 28.

Mortuo homine impio, nulla erit ultra ulla spes. *Prov.* XI, 7.

Non est in hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis, nec sinitur quiescere ingruente bello, neque salvabit impietas impium. *Eccles.* VIII, 8.

Cum enim morietur homo haereditabit serpentes, et bestias, et vermes. *Eccli.* X, 13.

O mors, quam amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantiis suis: viro quieto, et cujus viae directe sunt in omnibus, et adhuc valenti accipere cibum. *Eccli.* XLI, 1.

Quaeretis me et non invenietis, et in peccato vestro moriemini. *Joan.* VIII, 21.

Herodes sedens pro tribunali, et vestitus vesti regali, concinabatur ad populum. Populus autem acclamabat: Dei voces, et

non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo, et consumptus a vermibus, expiravit. *Actor.* XII, 21.

Et dedi illi tempus, ut poenitentiam ageret: et non vult poenitere a fornicatione sua. Ecce mittam eam in lectum . . . et filios ejus interficiam in morte. *Apoc.* II, 21, 22.

Ex Ss. Patribus

Inter desperationem, et spem fluctuat animus: metuendum est, ne occidat spes, et cum multum speras de misericordia, incidas in judicium. Metuendum est rursus, ne te occidat desperatio, et cum putas jam tibi non ignosci, quia gravia commisisti, non agas poenitentiam, et incurras in judicis sapientiam, quae dicit: et ego vestrae perditioni subridebo. *Aug. tract. XXXIII in Joan.*

Vigilare debet omnis Christianus, ne oum imparatum inveniat Domini adventus. Imparatum autem inveniet dies ille, quem imparatum inveniet suae vitae ultimus dies. *Aug. ep. ad Diosc.*

Amara, et terribilis mors, Domine, abundantibus iniquitate, affluentibus prosperitate, carentibus adversitate, et non tangentibus infirmitate. *Idiot. cap. IX de cons. mort.*

Quaerentes, qui eos redimat, et nemo est qui liberet; requirentes socios et nemo adest, qui comitetur; requirentes advocatos, et patronos, et nemo qui adsit. *Ephr. in Chr. de obdor.*

Percutitur hac animadversione peccator, et moriens obliviscatur sui, qui dum viveret, oblitus est Dei. *Aug. ser. III de SS. Inn.*

Illi deplorandi sunt in morte, quas miseros infernus ex hac vita recipit, non quos coelestis laetificandos includit. *Isid. de sum. bon.* lib. III.

Mors peccatorum desperationis domina, incredulitatis mater, germina corruptionis, inferni parens, diaboli conjux, omnium malorum regina, quae omne genus hominum tali ordine inexplebili impugnat: ut primum susurratricem suam desperationem praemittat talia suadentem. Homo cur tua perdis tempora? Ecce domina mors venit tuam animam in nihilum redicens, carnem tuam putredine, ossa tua vetustate consumens: ut te qui non fuisti antequam nascereris, faciat non esse post mortem. Redde ergo debita ante mortem, moriturus cito, tibi, et aetatibus tuis, da lusibus infantiam, da deliciis adolescentiam, da voluptatibus senectutem, da senectutem mihi, ne sine causa de spe cogites desperatus. *Chrysol. ser. CXVII, lib. de test. an.* 4.

Magnus tremor tunc est frater carissimi, quando anima a corpore videtur separari. In illa enim hora angustiae vox detinetur,

et lingua verbum excutere non timet: revolvit hinc et inde oculos frequentem, videt assistentes amicos vel parentes, filios vel patres. Agnoscit, et loqui non valet: lamentantes audit, et consolari non potest. Venit enim hora quando non est cogitatio filiorum, amicorum, et nullum intervenit negotium, nisi cogitatio delictorum; quo vadat, qualem remissionem accipiat, qualis locus eam suscipiat. Assistunt subito Angeli tartarei: tunc si impreparata erit, quoddammodo conturbabitur, et de strato fugam petere non poterit, sed tunc oculis miseris, et vultu plorabili rogans, deprecans, adorans, et dicens: Miserere mei Amator generis humani, et vos Angeli misereminí: non me nudam, et sine fructu ad judicem deportetis, non me peccatorem a corpore segregetis. Rogo dimitte me per modicum tempus me poenitere, suspirare, lamentare, eleemosynas facere: deprecor, deprecamini pro me, et intercedite, quia male vitam expendi. Haec audientes tales Angeli dicunt: O misera anima, omnes dies tuos in peccato vixisti, et modo vis poenitere? Sol tuus occubuit, Deus jussit, egredere, a corpore separare, et cruciare in aeterno igne secundum opera tua, non est tibi de caetero spes salutis, sed perpetua damnatio. *Aug. ser. XIII de Adv. Dom. in judic.*

Mors peccatorum mala in amissione mundi, a quo non possunt sine dolore separari; quem diligunt: pejor in dissolutione carnis, a qua evelluntur eorum animae a spiritibus malignis: pessima in tormentis inferni, quando corpus et anima perpetuis addicuntur ignibus. *Bern. ser. VLII inter Parvos.*

Ambula ergo viam, securus ambula: quid enim metuis in hac vita? mortem? et mortem times qui ad vitam curris? si bonus es, bene in hac vita curris, mors tibi janua erit, quae te repraesentet, non quae te auferat vita. *Aug. lib. de quar. vir. Char. in fine Psal. XVII.*

Grande discrimen reperitur in morte bonorum, et pravorum Christianorum. Mors corporis est omnibus communis sed mors animae ad peccatores, non vero ad justos pertinet. Te expavescat timor malae mortis et ne differas in posterum conversionem tuam. *Res est quae multos occidit, cum dicunt: Cras, et subito ostium clauditur. Remansit foris cum voce corvina, qui non habuit gemitum columbinum. Cras, cras, corvi vox, geme ut columba, et tunde pectus* (*Aug. ser. XVI de Verb. Dom.*). Qui differunt conversionem usque ad finem vitae, incerti sunt an Deus illis conferat gratias efficaces, quibus suo contemptu toties se praestiterunt indignos. Incerti sunt, an voluntas habeat convertendi

propositum, assueta vitiis, depravata passionibus, et mortis doloribus gravata. Incerti tandem sunt, an habeant tempus conversionis opportunum. Attende ergo ad exitum tuum, ex quo dependet ingressus vel ad coelestem patriam, vel ad gehennae carcerem. Attente considera, quot vidisti vel subitanea, vel praematura morte decedentes, et metue. Quid si hac hora esses migraturus! Gravius punieris, qui monitus malam mortem non devitas: procul dubio, poenas sceleribus debitas incurras, qui post crebras illustrationes vivis in peccatis, et forte impoenitens morieris. At proh dolor! qui his rationibus fragilem suam naturam non animadvertit, non convincitur, sensibus suis non credit, divinae auctoritati non acquiescit, nec iustitiam eius formidat, sed in peccatis persistit, et pravis vacat operibus, ut malam, et iugendam obeat mortem. At memor semper esto mortis, ut vitam possis adipisci aeternam, quam tibi toto corde exopto.

2. Mandata Dei

Ex Sacris Scripturis

Dixit quoque Dominus ad Moysen: Loquere filiis Israel et dices ad eos ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas: quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas, et oculos per res varias fornicantes; sed magis memores praeceptorum Domini, facient ea, sintque sancti Deo suo. *Num.* XV, 37 et seqq.

Eruntque verba haec, quae ego praecipio tibi hodie in corde tuo: et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in eis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua; eruntque et movebuntur inter oculos tuos, scribesque in limine, et ostiis domus tuae. *Deut.* VI, 6 et seq.

Ponite haec verba in cordibus, et in animis vestris, et suspendite ea pro signo in manibus etc. *Deut.* XI, 18.

Mandatum hoc, quod ego praecipio tibi hodie, non supra te est, etc. Sed juxta te est sermo valde, in ore tuo et in corde tuo, ut facias illum. *Deut.* XXX, 11, 14.

Beatus vir, qui in via peccatorum non stetit, . . . sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die, ac nocte. *Psal.* I, 1 et seq.

Judicia Domini vera, desiderabilia super aurum, etenim servus tuus custodit ea. *Psal.* XVIII, 10.

Quae praecepit tibi Deus, illa cogita semper. *Eccli.* III, 22.

In via testimoniorum tuorum (*Domine*) delectatus sum, sicut in omnibus divitiis. . . Viam mandatorum tuorum cucurri. Deduc me in semitam mandatorum tuorum. *Psal.* CXVIII, 14, 32, 35.

Sapiens non odit mandata et justitias, et non illidetur quasi in procella navis. Homo sensatus credit legi Dei, et lex illi fidelis. *Eccli.* XXXIII, 2, 3.

Et agnoscent qui derelicti sunt, quoniam nihil melius est, quam timor Dei : et nihil dulcius quam respicere in mandatis Domini. *Eccli.* XXIII, 37.

Quis enim permansit in mandatis ejus, et derelictus est? *Eccli.* II, 12.

Tollite (*ait Jesus*) jugum meum super vos. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve. *Matth.* XI, 29, 30.

Magister bone, quid boni faciam ut habeam vitam aeternam? dixit ei Jesus : si vis ad vitam ingredi serva mandata. *Matth.* XIX, 16.

Euntes, docete omnes gentes . . . docentes servare omnia quaecumque mandavi vobis. *Matth.* XXVIII, 20.

Haec est enim caritas Dei, ut mandata ejus custodiamus : et mandata ejus gravia non sunt. *I Joan.* V, 3.

Ex Ss. Patribus

Tu qui veram requiem, quae post hanc vitam Christianis promittitur, quaeris, etiam hic eam inter amarissimas vitae hujus molestias suavem jucundamque gustabis, si ejus, qui eam promisit, praecepta dilexeris. *Aug. in lib. de Parad.*

Sunt mandata, quae duris atque carnalibus imponuntur animis ex lege vitae, et disciplinae; et sunt olea dispensationis, quae infirmis et pusillis corde misericordiae apponuntur; et sunt consiliorum solida fortiaque, quae ex intimis sapientiae proponuntur sanis. *Bern. sup. Cant.* IV.

Saepe, imo semper illa nobis Domini est recolenda sententia : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Hier. ep. XIV ad Celent.*

Perge murmurare et dicere jugum est, grave est : non possum tam immania, tam diuturna portare; Apostolus monet : *Quod in praesenti est momentaneum, et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis. Bern. ser. I de Div.*

Quid, quaeso, dicitur impossibile esse, homini amare, amare, inquam, Creatorem beneficum, Patrem amantissimum, deinde etiam, et carnem suam in fratribus suis? *Aug. ser. XLVII de Sanct.*

Durum videtur, quod Dominus imperavit, sed non est durum,

nec grave, quod ille imperat, qui adjuvat, ut fiat, quod imperat. *Aug. ser. XVII de div.*

Sive Deus, sive homo Dei vicarius mandatum quodcumque tradiderit, pari profecto obsequendum est cura, pari reverentia deferendum, ubi tamen Dei contraria praecipit homo. *Bern. de praecep. et disp.*

Nihil aridum humilibus, nihil asperum mitibus, et facile omnia praecepta veniunt in effectum, quando et gratia praecedit auxilium, et obedientia mollit imperium, nec dura ibi necessitate servitur, ubi diligitur, quod jubetur. *Leo Pap. in app. Rom.*

Non ideo putes aliqua contemnanda esse mandata, quia leviora sunt, tum enim maxima, illa, quam minima imperata sunt, et contemptus cujuscumque praecepti praecipientis injura est. In quovis proposito, in quovis gradu, aequale peccatum est, vel prohibita admittere, vel jussa non facere. *Aug. sup. Psal. LXVI.*

Jussa sine culpa non negliguntur, et sine crimine non contemnuntur. *Bern. de praec.*

Merito dedit praeceptum, qui praemisit exemplum. *Cass. sup. Psal. XXXIII.*

Si quis unum mandatum custodiat, et aliud praevaricatur, nil ei prodest. *Aug. in lib. de Parad.*

Licet homo in statu naturae lapsae totam Dei legem, et omnia ejus mandata nequeat solis naturae viribus, potest tamen illa custodire auxiliante gratia, quam Deus nulli denegat: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis* (*Trid. sess. VI, cap. X*). Jubet primo facere quod possumus, idest, ut mediante gratia sufficienti, mandata custodiamus observatu facilia, quod si ea servare non possumus, cum gratia communi remote vel proxime sufficienti, ob graves tentationes, et vehementes passiones, quae occurrunt, jubet ut petamus quod non possumus, idest ut petamus gratiam specialem, mediante qua vincamus tentationes, praeceptaque servemus: postulatam hanc specialem gratiam dat Deus, ut possimus, et praecepta de facto custodiamus. Sed haec lex ante Christum non erat perfecta, venit Christus ut impleret, seu ad perfectiora deduceret, quia non venit solvere legem, sed adimplere (*Matth.* V). Nobis vero adiecit merita sua, ex quibus est gratia ad facilius observanda legem. Vide quid debeas Legislatori. Ipse Christus exemplum suum proponit, ut tu facilius observes Dei mandata. Adhaere ergo Deo, et sustine (*Eccl.* II). Nec querere esse grave cujus potiorem partem Deus ipse supportat. Generosae hic resolutionis est opus.

3. Trinitas Dei

Ex Sacris Scripturis

Faciamus hominem (*ait Deus*) ad imaginem et similitudinem nostram: et praesit piscibus maris, et volatilibus coeli, et bestiis, universaeque terrae, omnique reptili, quod movetur in terra. *Gen.* I, 26.

Cumque (*Abraham*) elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum: quas cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, et adoravit in terram. *Gen.* XVIII, 2.

Et clamabant alter ad alterum (*duo Seraphim*), et dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum; plena est omnis terra gloria ejus. *Isai.* VI, 4.

Accedite ad me, et audite hoc: non a principio in abscondito locutus sum: ex tempore antequam fieret, ibi eram: et nunc Dominus Deus misit me, et Spiritus ejus. *Isai.* XLVIII, 16.

Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua, et ecce aperti sunt ei coeli: et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se. Et ecce vox de coelis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. *Matth.*III, 16, 17.

Non enim vos estis, qui loquimini; sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. *Matth.* X, 20.

Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. *Matth.* XXVIII, 19.

Tres sunt, qui testimonium dant in coelo: Pater Verbum, et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt. *I Joan.* V, 7.

Cum autem venerit Paraclitus, quam ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. *Joan.* XV, 26.

Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum. *Joan.* XIV, 16.

Gratia Domini nostri Iesu Christi, et caritas Dei, et communicatio Sancti Spiritus etc. *II Cor.* XIII. 13.

Ex Ss. Patribus

Est Trinitas creatrix, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, ex qua cecidit creata trinitas, memoria, ratio, et voluntas, et est trinitas, per quam cecidit, videlicet per suggestionem, delectationem, consensum. Et est trinitas, in quam cecidit, videlicet caecitas, immunditia, impotentia. Et trinitas, per quam resurgit, fides, spes, caritas; quae trimembres habent subdivisiones. Est enim fides prae-

ceptorum, signorum, et gloriae. Et est caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. *Bern. ser. de SS. Trin.*

Nihil facit Pater, nisi per Unigenitum Filium, nec sine Spiritu Sancto, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis. *Aug. cont. Arian.* cap. XI.

In anima est Trinitas quae ad immaginem summae Trinitatis condita est. Et licet unius illa naturae, tres tamen in se dignitates habet, idest intellectum, voluntatem et memoriam. Quod in Evangelio designatur, cum dicitur: Diliges Dominum etc. idest ex toto intellectu, ex tota voluntate, et ex tota memoria. Nam sicut ex Patre generatur Filius, et ex Patre Filioque procedit Spiritus Sanctus; ita ex intellectu generatur voluntas, et ex his item ambobus procedit memoria. *Ambr. de dig. cond. hum.* cap. II.

Trinitas Divinarum personarum est summum bonum, quod purgatissimis mentibus cernitur. *Aug. de Trin.* lib. II, cap. II.

Quid prodest tibi alta de Trinitate disputare; si careas humilitate, unde displiceas Trinitati? *Thom. a Kemp. de Imit. Chr*: lib. I, cap. I.

Qui hoc idest Trinitatis mysterium, vel ex parte, vel in speculum et in enigma videt, gaudeat cognoscens Deum, et gratias agat, qui vero non videt, tendat per pietatem ad videndum, non per caecitatem ad calumniandum: quoniam unus est Deus, sed tamen Trinitas. *Aug. lib. IV de Trinit.*

Videmus Solem in coelo currentem, fulgentem, calentem. Similiter ignis tria habet, hoc est motum, lucem et fervorem. Divide ergo, si potes, Ariane, Solem, vel ignem, et tunc demum divide Trinitatem. *Aug. de Verb. Dom.*

Aperte tunc videbimus quomodo, et unum divisibiliter tria sunt, et indivisibiliter tria unum. *Greg. in Moral.*

In summa Trinitate tantum est una, quantum tres simul sunt, et nec plus aliquid sunt duae, quam una res, et in se infinita sunt: ita et singula sunt in singulis, et etiam omnia in singulis, et singula in omnibus, et unum omnia. *Aug. lib. VI de Trin.*

Inquirere de Trinitate, perversa curiositas est: et credere et tenere sicut Sancta Ecclesia tenet, fides et securitas est. Videre autem eam sicuti est, perfecta et summa felicitas est. *Bern. ser. de Paras.*

Tres Divinae Personae realiter distinguntur, quia realiter referuntur. Pater refertur ad Filium, et Filius vicissim refertur ad Patrem: Patrer, et Filius tanquam duo spirantes et unus spirator referuntur ad Spiritum Sanctum: Spiritus quoque Sanctus ad Pa-

trem, et Filium refertur: relatio enim realis nequit esse nisi inter extrema realiter distincta. Verum tres illae Divinae Personae realiter distinctae *numerum sine divisione patiuntur* (*Tert. lib. adv. Prax. II*) tum quia sunt eaedem essentialiter, licet distinguantur personaliter: quomodo etiam in Trinitate verificatur illud axioma philosophicum quae, sunt eadem uni tertio, Personae Divinae sunt eaedem uni essentiae. Non sunt autem eadem in personis: ergo sunt eadem inter se non personaliter, sed essentialiter: quia Divinae Personae ob essentiae unitatem nunquam separantur: sed per circuminsessionem mutuo sibi inexistunt: Pater est in Filio, Filius in Patre: Pater et Filius in Spiritu Sancto, et Spiritus Sanctus in Patre et in Filio. Hinc Trinitas quae in tribus personis subsistit, est sphera admirabilis, cujus centrum ubique, et circumferentia nusquam. At nos discimus in baptismo mysterium Trinitatis: nam in baptismate Pater adoptat nos in Filios, Filius nos suos efficit fratres,Spiritus Sanctus nos sua constituit templa. Vultis experiri Trinitatis non odium, sed amorem? servate diligentem gratiam, et fidentes sperate in bonitate Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: quoties cum signo Crucis haec profertis verba: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, revocate ad memoriam baptismum, et producite actus fidei, spei, et caritatis. Agnosce deinceps in te ipso, venerare in te ipso imaginem Sanctae Trinitatis, honoremque similitudinis divinae ad quam creatus es, nobilitate morum, exercitio virtutum, dignitate meritorum; quando appareas qualis sis, tunc similis ei appareas, qui te mirabiliter ad similitudinem suam in primo Adamo condidit. Adora Patrem, Filium,et Spiritum Sanctum! Redde amorem,illi potentias tuas omnes impende.Quam profunde debes hoc sacrosanctum mysterium adorare!

4. Bonum nomen

Ex Sacris Scripturis

Fuit ergo Dominus cum Josue, et nomen ejus vulgatum est in omni terra. *Josue* VI, 27.

Super sermonibus tuis et super sapientia tua: et non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, et vidi oculis meis, et probavi quod media pars mihi nuntiata non fuerit: major est sapientia, et opera tua, quam rumor quem audivi. Beati viri tui, et beati servi tui, qui stant coram te semper, etc. *III Reg.* X, 7.

Et haec erat (*Judith*) in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum. *Iudith.* VIII. 8.

Melius est nomen bonum, quam divitiae multae: super argentum et aurum, gratia bona. *Prov.* XXII, 1.

Melius est nomen bonum, quam ungenta praetiosa; et dies mortis, die nativitatis. *Eccles.* VII, 2.

In omnibus operibus tuis praecellens esto. Ne dederis maculam in gloria tua. *Eccli.* XXXIII, 23.

Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri praetiosi, et magni. Bone vitae numerus dierum: bonum autem nomen permanebit in aevum. *Eccli.* XLI, 15. 16.

Providentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus. *Rom.* XII, 17.

Oportet autem illum (*Episcopum*) et testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, et in laqueum diaboli. *I Tim.* III, 7.

Ex Ss. Patribus

Tribus modis providemus bona coram hominibus, idest habitu, actione, sermone. Habitu ne sis notabilis, actione ne sis reprensibilis, sermone ne sis contemptibilis; tribus etiam modis coram Deo, cogitatione, affectione, et intentione. Nam et cogitatio debet esse sancta, unde scriptum est: cogitatio sancta servabit te, affectio pura, et intentio recta. *Bern. de trip. jud.*

Cavete omnes suspiciones, et quidquid probabiliter fingi potest seu dici, ne fingatur ante devita. *Aug. de doct. Chri.*

Sic doctor bonam eligat vitam, ut etiam bonam non negligat famam. *Idem ibid.*

Qui confidens conscientiae negligit famam, crudelis est, quia aliorum animas occidit. Duae res sunt, conscientia, et fama, conscientia tibi, fama proximo necessaria est. *Aug. ser. II de vit. con.*

Fama virtutem reddit illustriorem, tametsi non majorem. *Bern. in Cant. XVII.*

Si nomen habes, et factum non habes, quid tibi prodest nomen, ubi res non invenitur? *Aug. in ep. Joan. tract. V.*

Bona vita bonum nomen facit, et qui male se regit, bonum nomen perdit. *Kemp. Ench. Mon.* cap. VI.

Melius est de perpetua vita, quam de fama cogitari: nostra enim post mortem non opuscula, sed opera sunt pensanda, quia si aliquid agimus, nostrum est: si quid habemus, alienum est. *Cass. lib. II, ep.*

Duo tibi sunt necessaria, conscientia scilicet et fama: conscientia propter te, fama propter proximum. Qui conscientiae suae confidens, famam negligit, crudelis est. *Aug. lib. de Com. ser. XIV.*

Opera salutis sine fama boni odoris non satis relucent auditoribus, nec fama sine opere proficit, sine quibus forma veri Sacerdotis non commendatur. *Hier. sup. cap. IV Matth.*

Ubique cognoscitur quisquis fama teste laudatur, dum enim copia plurimum solet habere fastidium , bonum nomen repetitum semper efficitur gloriosum. *Cass. lib. III Epist.*

Fama quam omnes ferme homines ambiunt non debet in te generare superbiam. Multi vacant litteris, virtutibus student, et sepulchra sumptuosius aedificant: ut suum tradant posteritati nomen, et multi etiam crudeliora passi sunt tormenta, et haec quidem superbia est. Verae famae haec est gloriosa proprietas, ut appetitores suos contemnat, appetat contemptores, famam fugiendo consequitur, quam perderet in ipsam appetendo. Quidam laudes hominum, negligunt et in hoc sunt laudabiles: quidam omni tempore venantur famam saeculi,et omni tempore sunt infames: quidam apud alios venerabiles,apud se vilescunt: quidam plus linguae adulatrici, quam conscientiae suae credunt. Et hoc est dicere habere bonum nomen? Bonum est nomen quod in virtutibus fundamentum habet. Bona opinio hominum tutior est pecunia quando in proprio merito opinionem habet. Bonum quod est vere bonum aliquando supprimitur, nequaquam extinguitur: bona fama in tenebris proprium splendorem tenet. Homines sive bene sive male loquantur de nobis, haud eos audiamus ; sed toti in eo simus ut Deo annuente opera nostra sint bona. Fac talem ducere vitam et bene de te sit opinio hominis. Opera salutis, quae facis in tuo ministerio, sine fama boni odoris non satis relucent auditoribus, nec fama sine operibus proficit, sine quibus forma veri sacerdotis non commendatur. Talis fac ut sis, et opera tua omnia placita sint Deo et hominibus.

5. Sanctificatio Festorum

Ex Sacris Scripturis

Complevitque Deus die septimo opus suum , quod fecerat : et requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat. Et benedixit die septimo , et sanctificavit illum , quia in ipso cessaverat ab opere suo, quod creavit Deus, ut faceret. *Gen.* II, 2.

Memento , ut diem sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis , et facies omnia opera tua. Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est ; non facies omne opus in eo tu , et filius tuus , et

filia tua, servus tuus, et ancilla tua, jumentum tuum, et advena qui est intra portas tuas. *Exod.* XX, 8, 9, 10.

Custodite sabbatum meum; sanctum est enim vobis: qui polluerit illud, morte morietur : qui fecerit opus in eo, peribit anima illius de medio populi sui. *Exod.* XXXI, 14.

Sex diebus facietis opus: septimus dies erit vobis sanctus, sabbatum, et requies Domini : qui fecerit opus in eo, occidetur. *Exod.* XXXV, 2.

Observa dies Sabbati, et sanctifices eum, sicut praecepit tibi Dominus Deus tuus, etc. *Deut.* V, 12.

Observa diem Sabbati, ut sanctifices eum . . . Non facies in eo quidquam operis. *Deut.* V, 12, . . 14.

Cum essent filii Israel in solitudine, et invenissent hominem colligentem ligna in die sabbati, obtulerunt eum Moysi, et Aaron, et universae multitudini, qui recluserunt eum in carcerem, nescientes quid super eo facere deberent; dixitque Dominus ad Moysen, morte moriatur homo iste; obruat eum lapidibus omnis turba extra castra. *Num.* XV, 32 et seqq.

Dies festi vestri convertentur in lamentationem et luctum. *Job* II, 6.

Neomeniam et Sabbatum, et festivitates alias non feram: iniqui sunt coetus vestri: calendas vestras, et solemnitates vestras odivit anima mea. *Isa.* I, 13.

Si averteris a Sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, et vocaveris Sabbatum delicatum, et sanctum Domini gloriosum, et glorificaveris eum, dum non facis vias tuas, et non invenitur voluntas tua, ut loquaris sermonem: tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terrae. *Isa.* LVIII, 13.

Custodite animas vestras, et nolite portare pondera in die Sabbati. *Jer.* XVII, 21.

Sanctuaria mea sprevisti, et Sabbata mea polluisti. *Ezech.* XXII, 8.

Sabbatum propter hominem factum est, et non homo propter Sabbatum. Itaque Dominus est Filius hominis etiam Sabbati. *Marc.* II, 27, 28.

Et facto Sabato, coepit in Synagoga docere: et multi audientes: admirabantur in doctrina ejus. *Marc.* VI, 2.

Et venit Nazaret, ubi erat nutritus, et intravit secundum consuetudinem suam, die Sabbati, in Sinagogam, et surrexit legere, etc. *Luc.* IV, 16.

Domini die a labore terreno cessandum est, atque omnimodo orationibus insistendum, ut si quid negligentiae per sex dies agitur, per diem resurrectionis dominicae precibus expietur. *Greg. in regis.*

In die festo nemo otiosus domi remaneat, caeteris ad Ecclesiam pergentibus, neque in venatione se occupet, et diabolico mancipetur officio. *Aug. ser. CCLI.*

Festa non multitudo convenientium facere solet, sed virtus: non sumtuosus vestitus, sed pietatis ornatus: non mensae dapsilitas, sed cura animae, maximum enim festum est conscientia bona. *Gris. hom. V de fid. Annoe.*

Quod valde dolendum est, sunt aliqui maxime potentes hujus mundi, qui cum veniunt ad Ecclesiam, non sunt devoti ad laudes Dei celebrandas, sed cogunt Presbyterum, ut abbreviet Missam, et ad eorum libitu cantet: quatenus unus punctus diei officium, et reliquum diurnum spatium cum nocte simul ad eorum deputetur voluntates. *Aug. ser. CCLI.*

Quid prodest interesse festis hominum, si contingat deesse festis Angelorum? *Greg. hom. XXXIII.*

Si desinas ab omnibus secularibus operibus, et nihil mundanum geras, sed spiritualibus operibus vaces, ad Ecclesiam convenias, lectionibus divinis aurem praebeas, de coelestibus cogites, de futura spe sollicitudinem geras, venturum judicium prae oculis habeas, non respicias ad praesentia et visibilia, sed invisibilia et futura; haec est observatio sabbati Christiani. *Orig. sup. Exod. hom. LXIX.*

An non absurdum tantam habere curam rerum corporalium, ut appropinquante festo multis ante diebus vestem e scrinio depromtam diligenter appares, emas calceamenta, mensa largior, splendidiorque paretur . . . animae vero neglectae, squallide, fame contabescentis nullum habeas respectum. *Chrys. hom. de S. Phil.*

Vacant ad nugas, et cum Deum praeceperit Sabbatum, illi in his quae Deus prohibet exercent Sabbatum. *Aug. in Psal. XCI.*

Usitatum est plerumque festos dies agentibus vestibus egregie nitidis cultos, atque ornatos conspici, ea namque tempori convenire aliquis dixerit. Veruntamen haudquaquam ut externis tantummodo effulgeamus ornamentis dandam a nobis operam esse arbitror; sed ut animae sordes eluamus omni a nobis studio laborandum puto. *Cyril. Alex. hom. XXIX de Panh.*

Christiano spirituale Sabbatum agere, est, a laboriosa rerum temporalium cupiditate quiescere, solis orationum ac lectionum

studiis insudare, saecularium negotiorum penitus de mentis cervice projicere, ad contemplanda coelestia tota cordis intentione vacare, carnis oblectamenta contemnere, de sola spe coelestium spirituali jucunditate gaudere. *Pet. Dam.* lib. IV, cap. XVI.

Nihil est, quod tantopere praecipiat Deus, sui cultum, et adorationem, et hoc praecipue jussit in veteri lege quam ut sanctificemus diem Sabbati. Quod Deus praecepit in veteri testamento, magis confirmavit in novo; sanctificatio scilicet festorum. Et ratio quia nullus est homo qui ad Deum non pertineat, quique Deum ut suum authorem colere, et adorare non teneatur, et ideo post suum honorem, posuit praeceptum sanctificationis festi. Praecepta decalogi quoad cultum Dei non sunt ceremonialia, aut positiva duntaxat, sed naturalia, in cordibus cunctorum hominum indita. Nullus est homo qui quamdam non habeat Dei notitiam, et qui naturaliter Deum colendum non agnoscat. At nos ultra notitiam Dei naturalem, divinitus illustrati sumus per sua praecepta et ideo summam ei debemus adorationem et hanc praecipue, sicut ipse praecepit, in die festi. At proh dolor! Plures sunt qui Deum in die festo, nullatenus adorant, qui diebus dominicis divino cultui dicatis nullum religionis actum praestant. Si gentiles de impietate culpantur negligentes falsos deos; quanto criminosiores sunt christiani, qui verum Deum credentes, non solum ullum religinis honorem deferunt, sed quod est deflendum magis neglecto cultu et sanctificatione festorum, vel laborant vel peccata perpatrant, et multiplicant! Si haec fecisti hactenus, fac ut in posterum praecipue Deum colas in diebus festis.

6. Deum quaerere

Ex Sacris Scripturis

Cumque quaesieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quaesieris, et tota tribulatione animae tuae. *Deut.* IV, 29.

Praebete igitur corda vestra, et animas vestras, ut quaeratis Dominum Deum vestrum. *I Par.* XXII, 19.

Si quaesieris eum, invenies: si autem dereliqueris eum, projiciet te in aeternum. *I Par.* XXVIII, 9.

Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo. Si quaesieritis eum, invenietis: si autem dereliqueritis eum, dereliquet vos. *II Par.* XV, 2.

Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quaerite illum. *Sap.* I, 1.

Quaerite Deum, et vivet anima vestra. *Psal.* LXVIII, 33.

Exultent et laetentur in te omnes, qui quaerunt te. *Psal.*LXIX,5.

Laetetur cor quaerentium Dominum. Quaerite Dominum et confirmamini: quaerite faciem ejus semper. *Psal.* CIV, 3.

Qui autem inquirunt Dominum, animadvertunt omnia. *Prov.* XXVIII, 5.

Quoniam pius et misericor est Deus, et remittet in die tribulationis peccata: et protector est omnibus exquirentibus se in veritate. *Eccli.* II, 13.

Quaerite Dominum dum inveniri potest: invocate eum dum prope est. *Isa.* LV, 6.

Cum quaesieritis me in toto corde vestro. Et inveniar a vobis, ait Dominus. *Jerem.* XXIX, 13, 14.

Quaerite Dominum, omnes mansueti terrae, qui judicium ejus estis operati: quaerite justum, quaerite mansuetum: si quo modo abscondamini in die furoris Domini. *Sophon.* II, 3.

Quaerite me, et vivetis .... Quaerite Dominum, et vivetis. *Amos* V, 4, 6.

Ex Ss. Patribus

Quaerite faciem ejus semper. Si semper quaeritur, quando invenitur? An semper dixit in tota vita, quia hic vivitur? ex quo hic debere nos facere cognovimus, quando et inventus quaerendus est. In Deum invenit fides, sed adhuc eum quaerit spes, charitas autem et invenit eum per fidem, et cum quaerit habere per spem: ubi tunc sic invenitur, ut ultra non quaeratur? Forte cum facie ad faciem eum videbimus sicuti est, adhuc perquirendus erit, et sine fine quaerendus, quia sine fine amandus. *Aug. sup. Psal.* cap. IV.

Amore petitur, amore quaeritur, amore pulsatur, amore revelatur Deus; si quaeratur, ut dignum est, subtrahere, atque abscondere se a suis dilectoribus non potest. *Aug. de mor. Ec.* cap. VII.

Eja, tu Domine Deus meus, doce cor meum, et quando te quaerat, est: et quomodo te inveniat. *Ansel. in prosal.* cap. I.

Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua, et tam nova, sero te amavi, et tu intus eras, et ego foris, et ubi te quaerebam, mecum eras, et ego tecum non eram. *Aug. in Solil.* cap. XXXI.

Quam multi non quaerunt Jesum, nisi ut illis faciat bene secundum tempus! vix quaeritur Jesus propter Jesum. *Aug. tract. XXV in Joan.*

Quaerendus Christus, sed non in platea, ubi est magna vanitas, non in foro, ubi est grandis adversitas, non in taberna ubi

est summa ebrietas, non in saeculari curia, ubi est maxima falsitas, non in scholis mundanorum philosophorum, ubi est infinita perversitas, non cum luxuria, in qua est lata deformitas, non cum superbia, in qua jacet aeterna calamitas, non cum avaritia, in qua est aeterna infelicitas; sed quomodo eum quaeremus? quaerunt eum Pagani, quaerunt eum Judaei. O Christiane! cave non quaeres Christum cum Judaeis, sed cum Paganis Regibus perquirere non desistas, nam Pagani quaerunt Christum adorare, sed Judaei quaerunt supplantare. *Aug. ser. XLIII ad Frat. in Erem.*

Si nolumus frustra quaerere Deum, quaeramus veraciter, quaeramus frequentur, quaeramus perseveranter; in simplicitate cordis quaerite Deum, non aliud tamquam illum, non aliud post illum. *Ber. ser. II ad Fratr.*

Quaeramus inveniendum, quaeramus inventum: ut inveniendus quaeratur, occultus est: ut inventus quaeratur, immensus est. *Aug. sup. Joan.* cap. VI.

Nemo te Domine quaerere valet, nisi qui prius invenerit. Vis ergo inveniri ut quaeraris, quaeri ut inveniaris: potes quaeri et inveniri, non tamen praeveniri. *Bern. de dilig. Deo.*

Quaerite Deum legendo, et invenietis meditando. *Bern. in Scol. Claust.*

Uti cogitatio interpres est amoris, ita sermo cogitationis, et opera amoris. Qui dignitates amant, dignitates quaerunt: qui venationem, venationem quaerit: qui ludum, ludum quaerit: qui lites litem, qui bellum bellum: et qui Deum diligit, semper Deum quaerit. Quaeris ne revera Deum? quaero. Invenisti aliquando? nunquam. Quia si non vendideris omnia, et si animam non habueris sollicitam, et quaerentem, nunquam invenies. Si vis invenire Deum, oportet a vitae hujus negotiis abesse, et vigilantem esse. Igitur si nolis frustra Deum quaere veraciter, frequenter, perseveranter, et ne quaeras pro illo aliud, nec cum illo aliud. Facilius enim est coelum et terram transire, quam ut sic quaerens non invenias, sic petens non accipias, et sic pulsanti non aperiatur. Quaere id quod potes invenire: id disce quod potes scire: id opta quod optari bonis potes. Quapropter non sufficit amissum Deum dolere si diligentiam non adhibes, ut invenias. Ideo quandoque se subtrahit, ut tu quaeras, et delectatur quaerentis studio, et repertus cumulat gaudium. Non ergo desponde animo, si amiseris, sed quaere, ut invenias. Quaere Deum legendo, et invenies meditando. Dic confidenter: Eja, tu Domine Deus meus, doce cor meum, et quando te quaerit, fac te inveniat.

7. Tristitia

Ex sacris Scripturis

Dixitque Rebecca ad Isaac: Taedet me vitae meae, propter filias Heth; si acceperit Jacob uxorem de stirpe hujus terrae, nolo vivere. *Gen.* XXVII, 46.

Miser factus sum (*inquit David*), et curvatus usque in finem: tota die contristatus ingrediebar . . . Afflictus sum, et humiliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei. *Psal.* XXXVII, 7, 9.

Moeror in corde viri humiliabit illum, et sermone bono laetificabitur. *Prov.* XII, 25.

Cor gaudens exhilarat faciem: in moerore animi dejicitur spiritus. *Prov.* XV, 13.

Animus gaudens aetatem floridam facit spiritus: tristis exsiccat ossa. *Prov.* XVII, 22.

Sicut tinea vestimento, et vermis ligno: ita tristitia viri nocet cordi. *Prov.* XXV, 20.

Omnis plaga, tristitia cordis est. *Eccli.* XXV, 17.

Tristitiam non des animae tuae , et non affligas temetipsum in consilio tuo . . . . Tristitiam longe repelle a te. Multos enim occidit tristitia , et non est utilitas in illa. *Eccli.* XXX, 22, 24, 25.

A tristitia enim festinat mors , et cooperit virtutem , a tristitia cordis flectit cervicem. In abductione permanet tristitia . . . . Ne dederis tristitia cor tuum: sed repelle eam a te. *Eccli.* XXXVIII, 19 et seq.

Quae enim secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur ; saeculi autem tristitia mortem operatur. *II Cor.* VII, 10.

Ex Ss. Patribus

Tristitia Spiritum Sanctum moestificat , qui homini datus est hilaris, ut enim acetum vino si misceatur , nihil affert jucundi gustus: sic etiam tristitia Spiritu Sancto immixta paraclaesim ejus reddit inamoenam. *Gris. hom. XXXV ad pop. Antioch.*

Absque illa tristitia, quae vel pro salutari poenitentia, vel pro studio perfectionis, vel pro desiderio suscipitur futurorum, omnis tristitia tamquam saeculi; et quae mortem inferat, aequaliter repellenda est , ac sicut fornicationis spiritus , vel philagriae , vel irae, de nostris cordibus extrudenda. *Cassian. de Instit.* lib. IX, cap. XIII.

Tristitia spiritus orationis explere cum solida cordis hilaritate

non permittit, non sacrarum lectionum sinit remediis incubere; tranquillum quoque, ac mitem fratribus esse non patitur, et ad cuncta operationum, vel religionis officia impatientem, et asperum reddit. *Aug. de Gen. et sup. Psal. LXXVI.*

Animum moerore oppressum, et profligatum nihil perinde oblectare potest, ut Dei memoria. Quemadmodum enim illius mulieris cruento profluvio laborantis morbus, qui nec exinaniri, nec a medicis tractari, ac sedari poterat, temporis puncto depulsus est, sic etiam humana moestitia consolationem propellens, ut cui nihil solatii adhibere queat, ad solam Dei recordationem facescit, et evanescit. *Isid. Pelus. lib. III, ep. CXXIX.*

Memoria quasi venter est animi, laetitia vero atque tristitia quasi cibus dulcis et amarus. *Aug. lib. II Conf.*

Nulla res ita enebriat, ut animi perturbatio, id est, tristitia, quae ducit hominem ad mortem, haec abominanda ebrietas est. *Hier. sup. cap. IV Joan.*

Tristitia christiana ex quadruplici causa causari potest. Scilicet quando quis considerat, ubi fuit, ubi erit, ubi est, et ubi non est. Ubi fuit? in peccato. Ubi erat? in judicio? Ubi est? in miseria. Ubi non est? in gloria. Primo tristari debet Christianus, quia fuit in peccato ex eo quia perdidit Deum et omne meritum suum. *Faciam eis planctum velut draconum, et luctum quasi strutionum* (*Mich.* I). Catulus draconis in insidiis positus caput cum planta conterit, tunc draco planctum magnum emittit. Strutio ova in pulvere relinquens eorum obliviscitur, et aliquando a bestiis conculcantur. Rediens vero strutio, et fracta ova inveniens, luctum facit. Sic peccator debet luctum facere, et debet plangere instar draconis, quia caput suum idest Deum perdidit, et instar strutionis lugere, quia perdidit ova sua idest omnia merita sua et bona opera. Secundo debet habere tristitiam et timorem considerando quid erit in judicio. *A judiciis enim tuis timui*, ait David(*Psal.*CXVIII).Habebit enim judicem iratum in judicio, infernum accensum, peccata accunsantia, daemonia ad supplicium trahentia. Tertio debet habere tristitiam, considerando quod est in miseria. *Heu mihi*, dixit Regius Vates, *quia incolatus meus prolongatus est*. Nec mirum, quia anima in hac vita est velut peregrina, caro autem infirma, sed est velut in propria domo. Caro igitur quia hic est domestica, saepe animae dominatur. Anima vero quia est potens resistit, et saepe carnem ad bonum trahit. In futuro autem erit anima potens, quia in domo propria, caro autem infirma, et peregrina, et ideo tunc anima carni

totaliter dominabitur, et quidquid voluerit spiritus mox consentiet corpus. Quarto debet habere tristitiam considerando quod non est in gloria, ideo suspirabat Propheta dicens: *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum etc.* (*Psal.* XLI). Cervus quando senescit gravatur cornibus, inveterantur pili, caligant oculi, tunc pugnat cum serpente et eum occidit, haustoque veneno ardentissime sitit et in flumen se projiciens totus renovatus exit. Sic viri sancti pugnant cum diabolo, carne et mundo, et ardenter sitiunt ad fontem vitae pervenire, ubi renovantur in cornibus, idest in virtutibus, quia modo habent eas imperfectas, tunc autem perfectas. *Cum venerit*, vocitabat Apostolus, *quod perfectum est . . . . evacuabitur quod ex parte est* (*I Cor.* XIII). Renovantur in pelle, idest in corpore quod efficitur immortale, subtile, clarum, et agile. Renovantur in oculis, *quia nunc vident in aenigmate, tunc autem facie ad faciem* (*Idem ibid.*). Si ergo vis nunquam esse tristis, bene vive; bona vita semper gaudium habet, conscientia rei semper in poena est. Quis est, qui tibi noceat, si bonus fueris? Dura, aggredere, et sustine, nec in adversis tranquillitatem spiritus quae tessera Sanctorum est debes amittere. Vince te ipsum. In omnibus imitare Socratem, qui virtutem sic coluit, ut nunquam vultum ejus laetitiae blanda vanitas exhilararet, nec tristitia ulla contraheret.

8. Christus spinis coronatus

Ex Sacris Scripturis

Gravata est super me manus tua; conversus sum in aerumna mea dum configitur spina. *Psal.* XXXI,

Iniquitates vestrae supergressae sunt caput meum, et sicut onus grave gravatae sunt super me. *Psal.* XXXVII, 4.

Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis. *Psal.* CXVIII, 12.

Egredimini, et videte filiae Sion, et videte Regem in diamete, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, et in die laetitiae cordis ejus. *Cant.* III, 11.

Caput tuum ut Carmelus: et comae capitis tui sicut purpura regis vincta canalibus. *Cant.* VII, 5.

Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus et arundinem in dextera ejus. Et genuflecto ante eum, illudebant ei dicentes: Ave, rex Judeorum. *Matth.* XXVII, 29.

Percutiebant caput ejus arundine. *Marc.* XV, 29.

Velaverunt eum, et percutiebant faciem ejus; et interrogabant

eum dicentes: Prophetiza, quis est, qui te percussit? et alia multa blasphemantes dicebant in eum. *Luc.* XXII, 64, 65.

Milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus: et veste purpurea circumdederunt eum. *Joan.* XIX, 2.

Ex Ss. Patribus

Divinum illud caput, multiplici spinarum densitate perforatum, usque ad cerebri teneritudinem confixum est. *Pet. Dam. ser. de Exalt. Cruc.*

Horret Christus magis asperitatem morum, quam aculeas spinarum. *Bern. ser. XX in Cant.*

Quia Patre coronatur semper corona gloriae, a Maria Virgine coronatus est corona humanitatis nostrae: ab Angelis coronandus corona justitiae in die judicii; nunc ab impia Synagoga coronatur corona spinea, corona doloris, et miseriae. *Ber. ser. de Epiph.*

Sic portans coronam spineam, superbum mundum non atrocitate pugnandi sed patiendi humilitate vincebat. *Aug. tract. CXVI in Joan.*

Hic parumper, anima mea, considerationis tuae gressus fige, et Redemptoris tui intolerabilem dolorem considera: capitis delicati sensibilitatem attende: spinarum punctiones, cerebrum perforantes mirare . . . debuit plane mori tanto dolore transfixus. *Laur. Justin. de agon.* cap. IV.

Ille coronatus est spinis, ut nos coronemur corona de lapide pretioso: ille purpureo indumento pro illusione indui non negavit, ut nos vestibus gloriae duplici stola vestiamur. *Dion. Carth. in Joan. XLX.*

Ideo arundinem assumpsit in dextera Jesus, ut quod adversus nos erat chirographum deleret: atque novum amoris opus, quod in se operabatur conscriberet. *Anscl. tract. de Pass.*

Corona spinea capiti ejus arctissime posita fuit, quae ad medium frontis descendebat. *Revel. S. Brigit.* lib. IV, cap. LXX.

Haec corona non fuit de spinis, sed de juncis marinis qui habent acutiores aculeos, quam verae spinae. *Ansel. Dial. de Pass.*

Elegantissima Christi facies omni decore, et specie destituta est etc., nec non recentis hujus sanguinis (qui cerebro permixtus est) profluvio irrigata. *Taul. de Pass. Dom.* cap. X.

Debuit plane mori tanto dolore transfixus, se tamen reservavit ad vitam, ut his etiam graviora perferret. *Laur. Just. de triumph. Ch. ap.* cap. XII.

Finguntur spinae cuti pretiosissimae usque ad carnem et cerebrum penetrantes. Perfoditur, et jaculatur totum venerandum ca-

put, et facies illa serenissima sanguine rubricatur; ita ut non amplius facies Domini Jesu, sed excoriati hominis videretur. Nec satis ea fuerunt eis, sed insuper contumeliosa verba ingeminantes etc. *Bonav. Medit. Pass.*

Fecit Dominus sicut canis venaticus, qui feram insequens caput intra spinarum aculeos mittit, non timens exulcerationem, ut feram capiat. Ecclesiam quasi feram intra spinas latitantem extraxit; sed punctione spinarum usque ad sanguinis effusionem sustinuit, in cujus signum spineam coronam portavit in capite. *Hugo Cardin. in cap. II Cant.*

Vide ut in ipso desponsationis suae die viridem ferat coronam, rubentibus ornatam rosis: idest roseo suo tinctam sanguine; hoc ipsum significans pium se esse, ac mansuetum regem, verumque principem amoris. *Taul. de Pass. Dom.*

Hoc supplicii genus adinvenientes, absque ullo mandato, et ordine Pilati, sed ut ait Chrysost. (*hom. LXXXVIII in Joan.*) *pecunia a Judaeis allecti omnia audebant.* Quare Christum spinis coronaverunt *ad Judaeorum gratiam*, et humanitatis obliti, omnia crudelitatis genera excogitabant, ut majori Dominum dolore, et contumelia afficerent. Ah Domine Deus, quam profunde culmina spinarum sanctissimum caput tuum intrarunt; quam duriter tenuem carnis tuae pellem cum ossibus et nervis laeserunt (*Kempis de Pass. Chr.*). Inspice affectus Christi. Compatere amantissimo Regi. Genuflectens adora eum; Ave rex meus! Siccine gloria, et honore coronasti eum Domine? Ita est; in Regno Christi non aliae sunt coronae, quam quae pungunt. Exi, et vide Regem tuum in diademate, quo tu eum coronasti. Tu coronasti te rosis, Jesu tuo solas spinas reliquisti! Tu pupugisti ejus caput cogitationibus, ac judiciis tuis. Genuflectens adora eum, Ave rex meus. Deterge sputa. Excipe aut ejus loco, aut pro eo, si non alapas, alias occurrentes injurias. Compatere Jesu tuo, et audi dicentem tibi: Non agnosco sub spinoso capite membrum delicatum.

9. Gaudium spiritus

Ex Sacris Scripturis

Laetatusque est populus cum vota sponte promitterent: quia corde toto offerebant ea Domino: sed et David Rex laetatus est gaudio magno. Et benedixit Domino coram universa multitudine, et

ait: Benedictus es, Domine Deus Israel patris nostri, ab aeterno in aeternum. *I Paral.* XXIX, 9, 10.

Et clare cecinerunt cantores et Jezraia praepositus: et immolaverunt in die illa victimas, et laetati sunt: Deus enim laetificaverat eos laetitia magna: sed et uxores eorum, et liberi gavisi sunt, et audita est laetitia Jerusalem procul. *II Esdr.* XII, 41, 42.

Erat autem populus jucundus secundum faciem sanctorum. *Judith* XVI, 24.

Reliquum vero vitae suae (*Tobiae*) in gaudio fuit, et cum bono profectu timoris Dei, perrexit in pace. *Tob.* XIV, 4.

Justi epulentur, et exultent in conspectu Dei, et delectantur in laetitia. *Psal.* LXIX, 4.

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae laeteficaverunt animam meam. *Psal.* XCIII, 19.

Et convertam luctum eorum in gaudium, et consolabor eos, et laetificabo a dolore suo. *Jerem.* XXXI, 13.

In ipsa hora exultavit Spiritu Sancto (*Jesus*), et dixit; Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quod abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. *Luc.* X, 21.

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. . . . Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis: ita et per Christum abundat consolatio nostra. . Scientes, quod sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis. *II Cor.* I, 3, 5, et 7.

Ex Ss. Patribus

Animi laetitia interdum corporis dolores mitigat, quod si aegrotationem corporis accedat aegritudo, duplicatur infirmitas. *Hier. sup. Isai.*

Gaudium solummodo verum est quod de creatore concipitur. *Bern. in ep.*

Non est vera suavitas, nisi quae secundum Verbum Dei est, ut quis bonorum meritorum, atque virtutum subsidiis gaudeat se esse munitum. *Ambr. in Psal. CXVIII, ser. IX.*

Valde dulce sanctis viris superna dicere, coelestia loqui, eo quod dulcetur, ac valde dulcius per amorem Dei saturantur. *Greg. lib. IV in I Reg.*

Quam suave mihi subito est factum, carere a suavitate nugarum, et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium est! Ejiciebas enim eas a me, vera tu, o summa suavitas, ejiciebas, et intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni, et san-

guine, omni luce clarior, sed omni secreto interior, omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. *Aug. Conf.* lib. IX, cap. I.

Gaudendum est de iis quae expectemus, et gaudendum de iis quae sustinemus. *Bern. de Verb. apo. ser. II.*

Illud est verum ac summum gaudium, quod non de creatura, sed de creatore concipitur, quod cum acceperis, nemo tollet a te, cui aliunde comparata omnis jucunditas moeror est; omnis suavitas dolor est; omne dulce amarum est; omne decorum foedum est; omne postremo quod delectari potest, molestum est. *Bern. ser. IV.*

Hoc est quod nos, et laetificat omnibus laboribus, et periculis vitae hujus: amor noster in Deum, et pium studium, et certa spes, et fervor spiritus. *Aug. sup. Joan.*

Paupertatem times, sed bonos pauperes Christus appellat. Labore terreris, nemo athleta sine sudoribus coronatur: de cibo cogitas, sed fides famem non timet. Deus ipse omnium rector ac dominus cum omni Angelorum militia certamen tuum expectat: tibi contra diabolum dimicanti parat aeternitatis coronam. *Hier. in ep. ad Rust. Mon.*

Non plangam cum Jacob et David filios in lege morituros, sed cum Christo in Evangelio suscipiam resurgentes, Judaeorum luctus, Christianorum gaudium. Unde Moyses moriens plangitur. Jesus absque funere et lachrymis in monte non sepelitur. Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum laetitia. *Hier. ad Heliod.*

Facilius erit consolatio, si inter flagella quae patimur, quae fecimus ad memoriam delicta revocamus, atque haec jam non flagella, sed dona esse conspicimus, si quae carnis delectatione peccamus, carnis dolore purgamus. *Greg. in regn.*

Verum gaudium non possidetur, nisi pax et justitia teneatur. Prima enim est, et quasi radix justitia: secunda pax: tertia gaudium. De justitia nascitur pax, de pace gaudium generatur. *Caesar. admonit. secund.*

Si desideratis gaudio potiri, sumite arma, inite bellum, generose pugnate. Belligerantes praeliando duplicem sibi comparant gaudium aeternum unum in coelis; quia non transit ad summum gaudium, nisi qui magno strepitu prius cum suis vitiis belligeraverit; alterum temporale in semetipsis; itaque si pacis victoria placet, nequaquam displiceat mundi conflictus. Arma ergo certaminis spiritualia arripite, et viriliter contra mundum, et vitia praeliamini, et sic habebitis verum gaudium cordis. Si vis vere gaudere consolationem, unam adhuc carnalem tolle, et alteras omnino spirituales gustabis. Et crede esse statutum a Deo, ut

non gustet quis cum suavitate coelestia, et spiritualia, nisi terrena, et carnalia sibi eripiat. Vide ubi haeres? Si in temporalibus, inde tibi non sapiunt spiritualia. Sapient haec si illa tolles.

10. Gaudium mundi

Ex Sacris Scripturis

Et laetatus est Jonas super haedera laetitia magna: *sed breve fuit gaudium; nam una nocte viruit, et diluculo exaruit. Jonae* IV, 6.

Filii Jambri, cum laeti processissent ad nuptias occisi sunt. Et conversae sunt nuptiae in luctum, et vox musicorum ipsorum in lamentum. *I Mach.* IX, 37.

Dixi ergo in corde meo: Vadam, et affluam deliciis, et fruar bonis. Et vidi, quod hoc quoque esset vanitas. *Eccles.* II, 1.

Risum reputavi errorem: et gaudio dixi: Quid frustra deciperis? *Eccles.* II, 2.

Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit. *Eccles.* VII, 3.

Qui laetantur cum malefecerint, et exultant in rebus pessimis. *Prov.* II, 24.

Noli laetari, Israel, noli exultare sicut populi: quia fornicata es a Deo tuo, etc. *Oseae* IX, 1.

Vae . . . . qui separati estis (*gaudium malorum describit Propheta Amos*) in diem malum, et appropinguatis solio iniquitatis. Qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris . . . Qui canitis ad vocem psalterii . . . Bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti: et nihi patiebantur super contritione Joseph (*pauperis*). *Amos* VI, 3 et seq.

Misiri estote, et lugete, et plorate; risus vester in luctum convertatur, et gaudium in moerorem. *Jac.* IV, 9.

Ex Ss. Patribus

Inepta laetitia ducis, ut quid animi gaudium intus abscondis? Ingredere in publicum laetus, dic aliquid foris, unde vel tu vel proximi rideant, fac eos laetos tua laetitia. *Aug. de con. vit.*

Dignum est itaque, ut in se semper homo moerorem inveniat, qui derelicto creatore gaudium in se quaerat. *Greg. Moral.* lib. XII, cap. III.

Cogitemus quantis amaritudinibus admixtum sit, si quid dulce, ac jucundum in via hujus vitae, occursu suo nobis alludit. Dulcedo hujus saeculi ad tempus paucos indulceat, sed in magnam amaritudinem postea convertitur. *Aug. in Psal. CXXIII.*

Mundi jucunditas moeror, omnis suavitas dolor est, omne dulce amarum est, omne decorum foedum. *Bern. ep. ad Sanct.*

Dulcedo mundi ad extremum fel, et amaritudine suos amatores replet: cum ea, quae sensui suavia sunt in vita conspicis, vide ne capiaris iisdem, nam in illis laqueus, et esca mortis latitat, neque enim nudum piscator hamum in aquam mittit; captivos post se trahit sensus pestifera, et inimica dulcedo. *Ephr. de rev. viv. rat.* cap. IX.

Jure restat, ut quod prius in mundo incolumis habuimus gaudia, tot dé ipso postmodum cogamur sentire tormenta. *Greg. Moral.* lib. XII, cap. III.

Gaudium solummodo verum est quod de creatore concipitur. *Bern. de fal. prae. vitae.*

Mundus iste periculosior est blandus, quam molestus, et magis cavendus, cum se allicit diligi, quam cum admonet, cogitque contemni. *Aug. ad Diosc.*

Ecce turbat mundus et amatur: quid si tranquillus esset? formoso quomodo haeres, qui sic amplecteris foedum? Flores ejus quomodo colligeres, quia spinis non revocas manum. *Aug. sup. Psal. CVIII.*

Vincula hujus mundi asperitatem habent veram, jucunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timitam quietem, rem plenam miseriae, spem beatitudinis inanem. *Idem ibid.*

Cui Christus incipit dulcescere, necesse est amarescere mundum. *Bern. sup. Cant.*

Qui cum mundo paciscuntur, prosperitate florent, abundanter absque ulla adversitate fortunae bona possident, ut plurimum gaudio mundi excaecantur, et adversus Deum belligerant. At e contra qui adversitate gravantur, cum Deo ineunt pacem, gaudium gratiae Dei ditantur, ut ipsemet asseverat Salvator. *Ut in me pacem habeatis, in mundo pressuram habebitis* (*Joan.* XVI). Christus Dominus pacificos beatos proclamat (*Matth.* V) non illos qui habent gaudium mundi, sed illos qui habent pacem cum Deo, qui concupiscentiae, et carnis domant appetitus. Sed gaudia hujus mundi sunt fallacia, quia mundus mendax non attendit quod promittit. Nam in divitiis promittit satietatem, et dat magnam famem.

Avarus non implebitur pecunia (*Eccli.* V). In deliciis promittit delectationem, et dat amaritudinem. *Novissima ejus amara quasi absinthium* (*Prov.* V). In honoribus promittit sublimitatem, et dat subitam dejectionem. *Elevasti me , et quasi supra ventum ponens allisisti me valide* (*Job* XXX). Et tu , quaeris gaudium mundi ? Quoties gavisus es ubi non est gaudendum ? Expende , quam vivat in te hoc mundanum gaudium! Mores Christi contrarii sunt moribus mundi, et carnis. Hi post momentaneas delectationes offerunt tormenta et tribulationes: Christus praemittit acerbitates, et post dat veras animi consolationes. Quanta erit tua felicitas, si tandem invenias Christum ubi vera sunt gaudia, quia in eo habes omnia. Ut invenias, renuncianda sunt omnia hujus mundi gaudia.

11. Compassio

Ex sacris Scripturis

Dixitque (*Gedeon*) ad viros Soccoth: Date , obsecro, panes populo, qui mecum est, quia valde defecerunt: ut possimus persequi Zebee et Salmana reges Madian. *Judic.* VIII, 5.

Ita ut omnia , quae habere poterat (*Tobias*) quotidie concaptivis fratribus, qui erant ex ejus genere, impertiret. *Tob.* I, 3.

Auris audiens beatificabat me , et oculus videns testimonium reddebat mihi: eo quod liberassem pauperem vociferantem, et pupillum, cui non esset adjutor. Benedictio perituri super me veniebat, et cor viduae consolatus sum. *Job* XXIX, 11.

Nam cum interficeret Jezabel prophetas Domini, tulit ille (*Abdias*) centum prophetas , et abscondit eos quiquagenos et quinquagenos in spelungis, et pavit eos pane et aqua. *III Reg.* XVIII, 4.

Propterea (*propter destructionem Babylonis*) repleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit me , sicut angustia parturientis. *Isai.* XXI, 4.

Recedite a me (*dicebat Isaias* , *videns spiritualem calamitatem supervenientem in populo suo*) amare flebo: noli incumbere, ut consolemini me, super vastitate filiae populi mei. *Isai.* XXII, 4.

Omnia ergo, quaecumque vultis, ut faciunt vobis homines , et vos facite illis. Haec est a enim lex et Prophetae. *Matth.* VII, 12.

Quoniam tristitia mihi magna est (*dicebat Paulus compatiens fratribus et cognatis suis pereuntibus*), et continuus dolor cordi meo. *Rom.* IX, 2.

Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus

meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitae, quorum adoptio est filiorum, et gloria. *Rom.* IX, 3.

Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? *II Cor.* II, 29.

Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus. *Rom.* XII, 15.

Judicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam *Jacob* II, 3.

Ex Ss. Patribus

Pia est ista tristitia, et si dici potest bona miseria: vitiis alienis tribulari, non implicari: moerere non haerere: dolore contrahi, non attrahi. *Aug. in epist. ad Sela.*

Tunc plena est cordis nostri compassio, cum mala inopiae proximo suscipere non meruimus, ut illum a passione liberemus. Plus est aliquando compati ex corde, quam dare: quia quisquis indigenti perfecte compatitur minus aestimat omne, quod dat: et rem quamlibet plerumque dat, qui non compatitur. *Greg. lib.XX Moral.*

Cum alienae infirmitati compatimur, valentius a nostra roboramur, ut amore futurorum mens ad praesentia adversa se praeparet: et cruciatus corporis quos timebat expectet. *Greg. lib. VII Mor.*

Tria sunt, per quae probatur vera compassio, scilicet occulta beneficia, paupertas, et mors. Beneficium enim si impendatur occulte, humanae laudis extinguit favorem: quando autem pauperis miseretur aliquis, temporalis removet spem retributionis: quum pro proximo nati mortem non renuit, amore mundi non praeponit. Haec sunt enim tria illa, quae solent enervare compassionis membra, humanus scilicet favor, temporalis retributio, et amor mundi. *Hugo de claust. animae* cap. V.

Tanto quisque perfectior est, quanto perfectius sentit dolores alienos. *Greg. lib. XIX Moral.*

Triplex est modus compassionis: est quippe compassio alia ex vitio, alia ex natura, alia ex virtute. Compassio ex vitio est, quando affectus illic reprehensibili dolore tangitur, ubi illicito prius amore tenebatur. Compassio ex natura est quando ex insito sibi pietatis affectu animus alienis condolet, quoties contra pietatis, vel humanitatis mensuram, naturam premi sive affligi videt. Compassio ex virtute est, quando propter Deum alienis doloribus compatimur, quum scilicet justitiam premi, vel innocentiam affligi videmus. Compassio ex vitio, culpabilis est. Compassio ex natura, irreprehensibilis est. Compassio ex virtute, laudabilis est. Prima reprehenditur, tertia laudatur: secunda nec culpam habet, quia

ex natura est: nec praemium, quia ex virtute non est. *Hugo de tribus volunt. in Chri.*

Nonnulli dura cervice et attrita sunt fronte: ut quo magis eis compatimur, tanto magis nostra compassione et patientia abutuntur. *Bern. in ser.*

Religiosa tristitia, aut alienum malum luget, aut proprium, nec de hoc dolet, quod divina justitia agitur: sed de eo moeret, quod humana iniquitate committitur, ubi magis plangendus est faciens maligna, quam patiens. *Leo Pap. tract. illud: Beati qui lug.*

Impossibile est scire afflictiones afflictorum ei, qui experimentum afflictionis non habuit. *Chrys. sup. ep. ad He.*

Sic mens per compassionem doleat, ut etiam larga manus affectum doloris ostendat. *Greg. lib. XIX Moral.*

Magnae actum pietatis dispensatione cognoscimus, ut is, qui factus erat pastor Ecclesiae, in sua culpa disceret, qualiter aliis misereri debuisset, ut in sua infirmitate cognosceret, quam misericorditer alienam infirmitatem toleraret. *Greg. in hom. Paschae.*

Compassio aliquando causatur ab amore naturali, et est quando homo hominem naturaliter diligit, et ideo naturaliter compatitur homo homini afflicto. Immo non videtur esse homo, sed bestia crudelis, qui homini afflicto non condolet, qui tamen iste amor est parvus, ideo parum movet. Aliquando causatur ab amore accidentali et est quando homo diligit alium quadam amicitia temporali. Ex tali amore compatitur amico dolenti, non tantum quia homo, sed quia amicus, et iste amor magis movet quam primus amor. Aliquando causatur ab amore spirituali, et est quando quisquam diligitur in Deo, et propter Deum, et est major quam primus et secundus, et facit duo corda esse unum. Quacumque autem sit compassio debet radicare in corde per desiderium, et affectionem, et debet ostendi in ore per affabilem exhortationem, et debet impendi in opere per miserationis exhibitionem. Ista triplex compassio ostenditur in Scripturis (*Job* XXXI) *Cum effuderis esaurienti animam tuam*, ecce compassio cordis: *et animam afflictam repleveris*, scilicet verbis bonis, et consolatoriis, ecce compassio oris. *Frangi esaurienti panem tuum*:ecce compassio operis.Et re quidem vera cujus pectus tam ferreum, cujus cor tam lapideum, ut gemitus non exprimat, lacrymas non effundat, cum proximi vel amici morbum, paupertatem, miseriam, tribulationem, interitum intuetur? ut patienti non compatiatur, et dolentibus non condoleat? Ipse Jesus cum vidisset Mariam et Judaeos plorantes, infremuit spiritu, turbavit seipsum et lacrymatus est. Compatiaris ergo in-

firmitatibus proximi, sicut Pontifex noster Christus iisdem compatitur. Prout igitur vis, ut faciat tibi quis in tuis miseriis, et tu fac illi similiter. Quod vero ab aliis oderis fieri tibi, vide, ne tu alteri aliquando facias.Quis est tam durus, tam immitis et ferreus, in infirmitatibus proximi ? An et tu haec pro Deo, et proximo tuo ha buisti. Expende, emenda, plange, excitate ad bonos actus , propone.

12. Durities cordis

Ex Sacris Scripturis

Induratumque est cor Pharaonis, et non audivit eos, sicut praeceperat Dominus. *Exod.* VII, 13.

Circumcidite igitur praeputium cordis vestri , et cervicem vestram ne induretis amplius. *Deut.* X, 10.

Qui non audiverunt, sed induraverunt cervicem suam juxta cervicem patrum suorum qui noluerunt obedire Dominum Deo suo. Et abjecierunt legitima ejus, et pactum, etc. *IV Reg.* XVII, 14, 15.

Mittebatque eis Prophetas, ut reverterentur ad Dominum, quos protestantes, illi audire nolebant. *II Paral.* XXIV, 19.

Fecitque (*Sedecias*) malum in oculis Domini Dei sui, nec erubuit faciem Jeremiae Prophetae loquentis ad se ex ore Domini , ... et induravit cervicem suam et cor, ut non reverteretur ad Dominum Deum Israel. Sed et universi principes sacerdotum et populus praevaricati sunt inique, etc. *II Par.* XXXV, 12 et seq.

Hodie, si vocem ejus audiveritis, nolite obdurare corda vestra. *Psal.* XCIV, 8.

Cor durum habebit male in novissimo. *Eccli.* III, 27.

Renuerunt accipere disciplinam: induraverunt facies suas supra petram, et noluerunt reverti. *Jerem.* V, 3.

Haec dicit Dominus ... Ecce inducam super civitatem hanc , et super omnes urbes ejus universa mala, quae locutus sum adversus eam, quoniam induraverunt cirvicem suam, ut non audiverunt sermones meos. *Jerem.* XIX, 15.

Fili hominis, mitto ego te ad filios Israel, ad gentes apostatrices , quae recessurunt a me : ipsi et patres eorum praevaricati sunt pactum meum usque ad diem hanc. Et filii dura facie , et indomabili corde sunt. *Ezech.* II, 3.

Et noluerunt attendere , et averterunt scapulam recedentem, et aures suas aggravaverunt , ne audirent. Et cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem, etc. *Zach.* VII, 11 et seq.

Jerusalem, Jerusalem, quae occidis Prophetas . . . quoties volui

congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti. *Matth.* XXIII, 27.

Dura cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis, etc. *Actor.* VII, 51.

Secundum autem duritiam tuam, et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae, et revelationis justi judicii Dei. *Rom.* II, 5.

Ex Ss. Patribus

Suspirabam ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate, velle meum tenebat inimicus, et inde funes mihi fecerat ex perversa enim voluntate facta est consuetudo, et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas, quibus quasi quibusdam annulis sibimet annexis, tenebat me stricte dura servitus. *Aug. lib. I Confess.*

Saepe nonnulli exire a pravis actibus cupiunt: sed quia eorundem actuum pondere premuntur, in male consuetudinis carcere inclusi a semetipsis exire non possunt. *Greg. lib. XI Moral.*

Tres sunt species obstinatorum. Prima eorum, qui ex correctione non proficiunt. Secunda eorum, qui ex commonitione deteriores fiunt. Tertia eorum, qui emendationem promittunt, sed non faciunt. Ex correctione Manasses factus est melior; Nabal ex commonitione deterior; Pharao ex afflictione durior. *Hug. de abus. XII.*

Cor durum ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum ad beneficia, ad consilia infidum, ad judicia saevum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina, praeteritorum obliviscens, praesentium negligens, futura non providens. Ipsum est, cui praeteritorum, praeter solas injurias, nihi omnino non praeterit, praesentiam nihil non petit, futurorum nulla nisi forte adulciscendum prospectio, seu praeparatio est; et ut in brevi cuncta horribilis mali mala complector, ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reveretur. *Bern. de Consid.* lib. I, cap. II.

Nulla gravior phrenesis judicatur, quam impoenitentia cordis, et peccandi obstinata voluntas: siquidem manus nefarias injicit sibi ipsi, nec carnem, sed mentem lacerat, et corrodit. *Bern. ser. de Conv. ad Cler. cap. IV.*

Obstinatio est summa quaedam religionis subversio, et vere venenum insanabile. *Bern. in Psal. Qui habitat ser. XIII.*

Divino judicio cum obstinatis agitur, ut, qui noluerunt mala vitare, cum possent, non possint vitare cum volunt: saepe enim ad Dominum cum precibus veniunt liberare a peccatis petunt, sed

exaudiri non possunt, quia cum possent noluerunt. *Greg. lib. IV in I Reg. cap. II.*

Consummata est infelicitas quando peccata non solum delectant sed etiam placent, et ob duritiam cordis, desinit esse rimedio locus, ubi quae fuerunt vitia, mores fiunt. Diu enim in vitiis iacere, ipsa evellere difficile est; quia non inquinatus est peccator, sed infectus. Potest adolescentia iniurias ferre, et se adversus morbos contumaciter gerere: ubi vero senectus incubuit, difficile regitur ad impetum morborum. Examina modo qualis est tua durities! time (iterum dico) quod desinit esse remedio locus, ubi, quae fuerunt vitia, mores fiunt. Quot annos expectavit Dominus ut redires ad illum? tot, quot vitae dedit. Quoties venit, per superiores, per inspirationes et gratias, quaerens, et monens ut poenitentiam ageres? Et usque in hanc diem es idem, ac fuisti, nihil teipsum emendans. Quanta Dei tui in te patientia! Quanta in te obstinatio! Nonne potuit tibi dicere Deus, ut quid terram occupas? (*Luc.* XIII). Quid si dicat: Mors succide illum?. . . Examina, time, dole etc.

13. S. Antonius Padovanus

Ex Sacris Scripturis

Magnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis, faciens mirabilia. *Exod.* XV, 11.

Cor sapientis erudiet os eius: et labiis eius addet gratiam. *Prov.* XVI, 25.

Et pertransiit usque ad fines terrae: et accepit spolia multitudinis gentium: et siluit terra in conspectu ejus. *I Mach.* I, 3.

Fecit pacem super terram, et laetatus est Israel laetitia magna. *I Mach.* XIV, 11.

In te cantatio mea semper: tamquam prodigium factus sum multis. *Psal.* LXX, 7.

Sicut sagittae in manu potentis: ita filii excussorum. *Psal.* CXXVI, 5.

Habebo propter hanc claritatem ad turbas, et honorem apud seniores juvenis. Et actuus inveniar in judicio, et in conspectu potentium admirabilis ero, et facies principum mirabuntur me: Tacentem me sustinebunt, et loquentem me respicient, et sermocinante me plura, manus ori suo imponent. Praeterea habebo per hanc immortalitatem, et memoriam aeternam his, qui post me futuri sunt relinquam. *Sap.* VIII, 10, et seq.

Et percutiet terra virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium. *Isa.* XI, 4.

Ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum ejus gloriosum. *Isa.* XI, 10.

Et posuit os meum quasi gladium acutum: in umbra manus suae protexit me, et posuit me sicut sagittam electam: in pharetra sua abscondit me. *Isa.* XLIX, 2.

Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petram, dicit Dominus? *Jerem.* XXIII, 28.

Venite, et audiamus quis sit sermo egrediens a Domino. *Ezech.* XXXIII, 30.

Ego enim dabo vobis os, et sapientiam, cui non poterunt resistere, et contradicere omnes adversarii vestri. *Luc.* XXI, 15.

Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia. *I Cor.* I, 27.

Signa tamen Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis, et prodigiis, et virtutibus. *II Cor.* XII, 12.

Ex Ss. Patribus

Antonium laudans, laudabo virtutem, quoniam virtutes omnes in unum collectas tenebat. *Greg. Naz. in laud. Athan.*

Vir Ecclesiasticus sapiens, et doctus omnem laborem suum habet in ore suo, quia omnia, quae in scripturis sacris discit, quotidie meditat, praedicat, et docet, et anima illius non implebitur, quia non sufficit sibi quod discit, sed magis ac magis semper discere cupit, ac studet. *Salo Vien. in hist. Seraph.*

O lingua benedicta, quae semper Dominum benedixisti, et alios benedicere fecisti, nunc manifeste apparet quanti meriti extitisti apud Deum. *Bon. die traslat. S. Ant.*

Antonius tanto verborum splendore, tanta mysticarum sententiarum attitudine usus est, ut omnes in admirationem adducerentur. *Sedul. in hist. Seraph.*

Animalia, id est Sancti sunt per doctrinam, per praedicationem, et per miraculorum operationem alios illuminantes, et ad seipsos in consideratione fragilitatis, vel infirmitatis revertentes. *Ipse S. Ant. Padov. ser. in Psal. CLXIV.*

Martyrii spes quaedam laurea martyrii est. *Tert. lib. XIV de cor. mil.*

Sacratissimam doctrinam habet, qui docet quod sapit, qui instruit quod sentit, qui docet non solum cognoscere verum, sed apprehendere bonum, et amare justum. *Hilar. lib. IV in cap. III coelest. Hier.*

Antonius tantam a Spiritu Sancto mutuatus est sanctitatem, ut per totam Italiam Sanctus dumtaxat per excellentiam nominaretur. Unde sicut intelligitur Aristoteles per philosophum ; Cicero per oratorem ; Paulus per Apostolum ; ita per Sanctum in Italia audiebat Antonius, celebratissimus sanctitate. Neque duntaxat tempore vitae, sed etiam post mortem hoc titulo honoratus fuit. Mox enim ut efflavit animam, ad testandam ejus sanctitatem Ulysippone novo et stupendo miraculo campanae ex seipsis sonum dederunt. Sanctitas praeterea ultra gratiam justificantem quae hominem efficit Deo gratum et acceptabilem, importat virtutes Morales, Cardinales, et Theologales, quae omnia heroico modo spectari possunt in vita Antonii , quae brevitatis ergo praetermitto. Sed nihil ita Antonii demonstrat sanctitatem , ac visitationes Jesu sui puerili forma crebro apparentis , eumque visitationibus , amplexibus , et osculis dignabatur, totque favoribus sanctitatem augebat. Nam si rosae oleo infusae suum ei odorem, et colorem largiuntur; si ignis penetrans ferrum, impertitur ei igniendi virtutem; si signum Crucis ex contactu Corporis, et Sanguinis Domini sanctificatum est , quam quaeso sanctitatem mutuatus est Antonius ex tot Jesu visitationibus , contactibus, amplexibus, et osculis ? Etenim bonitatis ejus beneficia sese ad omnem locum extendit , et ad omnes, qui devote ejus implorant auxilium: intercessorem igitur imploremus Antonium pro recuperanda Dei amicitia, pro acquirenda, et comparanda gloria.

14. Peccatum veniale

Ex Sacris Scripturis

Si autem peccaverint tibi (*neque enim est homo, qui non peccet*), et iratus fueris, etc. *II Paral.* VI, 36.

Quod si peccaverint tibi (non est enim homo qui non peccet), et iratus etc. *III Reg.* VIII, 46.

Qui potest dicere: Mundum est cor meum, purus sum a peccato? *Prov.* XX, 9.

Septies enim (*in dies*) cadet justus, et resurget. *Prov.* XXIV, 16.

Qui spernit modica, paulatim decidet. *Eccli.* XIX, 1.

Non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet. *Eccle.* VII, 21.

Qui in modico iniquus est et in majori iniquus est. *Luc.* XVI, 10.

Si dixerimus quoniam peccatum non habemus: ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. *I Joan.* 1, 8.

Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. *Joan.* V, 16.

In multis enim offendimus omnes. *Jac.* III, 2.

Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit. *I Cor.* V, 6.

Quae enim secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur. *II Cor.* VII, 10.

Ex Ss. Patribus

Si despiciunt timere dum pensant, debent formidare dum numerant; altos quippe gurgites flaminum parvae, sed innumerae resilent guttae pluviarum et hoc agit sentina patenter exerescens, quod patenter procella saeviens. *Greg. par. III, Past. c. I.*

Cavete fratres, ne quis, parva reputet quamlibet parva scienter delinquere convincatur. Nemo dicat in corde suo, levia sunt ista, non curo corrigere, non est magnum, si in his maneam venialibus, minimisque peccatis. Haec est enim, dilectissimi, impoenitentia, haec blasphemia in Spiritum Sanctum, plasphemia irremisibilis. *Ber. ser. I in Conv. s. Pauli.*

Magnum est malum, quod nihil esse videtur: etenim quae nihil esse videntur, facile condemnuntur, quae vero condemnuntur, augentur, ac multiplicantur: quae autem augentur, redduntur incurabilia. *Gris. in ep. ad Ephes.*

Quibus peccatis licet occidi animam non credamus tamen eam velut quibusdam pustalis et quasi horrida scabie replentia, deformem faciunt, et eam ad amplexus illius caelesti Sponsi vix aut cum grandi confusione venire permittant. *Aug. ser. XLI de Sanct.*

Mirabile quidem, et inauditum dicere audeo: solet mihi nonnunquam non tanto studio magna videri esse peccata vitanda quando parva, et vitia: illa enim ut aversemur, ipsa peccati natura efficit; haec autem hac ipsa re, quia parva sunt, desides reddunt, et dum contemnúntur, non potest ad expulsionem eorum animus generose insurgere, unde cito ex parvis maxima fiunt negligentia nostra. *Gris. hom. LXXXVIII, in Matth.*

Frater noli condemnere venialia, sed illa sedulo devita. Minuta videntur, sed multa sunt; praecavisti magna; iam non facis adulterium, non fornicaris, non furaris, proiecisti molem, vide ne arena obrueris. *Aug. in Psal. XXXIX.*

Quam minutissima sunt grana arenae: si arena amplius in navim mittatur, mergit illam et pereat. *Aug. lib. de dec. chor. cap. XI.*

Mens ideo dicata sic caveat minora vitia, ut maiora; quia a

minimis incipiunt, qui in maxima proruunt. *Ber. de Ord. vit. cap. XII.*

Tu ne leve dixeris, in quo offenditur Christus unde ad iudicium pertrahi habes cum horrendum sit incidere in manus Dei viventis. *Hier. in ep. ad Nov.*

Quisquis novit, quid sit virtus et sapientia Dei, potes existimare quae sunt peccata venialia: et quisquis novit quid sit bonitas, potest existimare quibus certa poena debeatur, et hic, et in futuro saeculo. *Aug. lib. LXXXIII, qq. 26.*

Si hic dum vivimus, poenitentiam facimus, aut Deo volente vel permittente multis tribulationibus affligimur, et si Deo gratias agimus, liberamur. Si autem nec in tribulationibus gratias agimus, nec bonis operibus peccata ipsa redimimus, ipsi tandiu in illo purgatorio igne moras habebimus, quandiu supradicta minuta peccata consumantur. *Aug. ser. XLI de Sanct.*

Qnae sint autem levia, quae gravia peccata, non humano, sed divino pensanda sunt iudicio. *Aug. in Enchir. cap. XXVIII.*

Si quis hominem iustificatum dixerit posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit. *Conc. Trid. Sess. VI Can. XXIII.*

Sine peccato veniale in hac vita neminem dixerim, quantalibet Pelagiani, quia haec dicimus, adversum nos calumnientur, et dirumpantur insania. Absque enim speciali gratiae auxilio posse iustum carere ad tempus omni omnino peccato: sed non per totam vitam, et ne ad longum tempus quidem iuxta mentem Augustini (*Aug. lib. III de Peccat. merit. cap. XIII*) se continere ab omni peccato veniali. Et ratio est, quia concupiscentia, qua rapimur ad illicita, remanet post baptismum, et auxilium gratiae, quod Deus ordinarie confert, non tollit concupiscentiam, ac proinde non impedit motus illicitos rationem praevenientes. Ideoque Christianus, de propria miseria et debilitate instructus, probe sciens veniale sive ex genere suo, sive ex materia, esse lege divina prohibitum, iniuriosus est supremi Domini authoritati, dum peccat venialiter. Quis ergo leve existimabit veniale peccatum? et quis non existimabit cavendum ab eo? Est ne parvum illud peccatum quod augmento gratiarum privat, ardorem caritatis refrigerat, et in via perfectionis retardat? Est ne parum illud peccatum, per quod suprema Dei maiestas offenditur? Est ne parum illud peccatum, pro quo satisfacere non potest homo, et Christus suum sanguinem fudit? Tu ne leve dixeris peccatum quod multiplici poenae

est obnoxium, et multiplici poena mulctatur. Ab hoc malo tibi cave: alias animam tuam putrefaciet, nec tibi sapiunt quae Dei, et coelestia. Ad haec adde quod Christianus virtutis studiosus non solum quasi a facie colubri fugiet mortalia, sed venialia quoque sedulo vitat; et ut fatur Ecclesiasticus: *Qui timet Deum nihil negligit.* (*Eccli.* XXI). Ideo cum venialia Deo displiceant, et tanto periculose existant, nolite illa committere, nolite in illis complacere, nolite in illis longa habitudine inveterari; fugite occasiones illa committendi, et si interdum in illa labimini, studete diligenter illa delere, vel per actus contrictionis, et dilectionis, vel per Sacramentalia reverenter sumpta, vel per Sagramenta;

15. Diabolus

Ex Sacris Scripturis

Consurrexit autem Satan contra Israel: et concitavit David, ut numeraret Israel. *I Paral.* XXI, 1.

Et ostendit mihi Dominus Jesum Sacerdotem magnum, stantem coram Angelo Domini; et Satan stabat a dextris ejus, ut adversaretur ei. *Zach.* III, 1.

Et accedens tentator, dixit ei: Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant, etc. *Matth.* IV, 3.

Venit malus, et rapit quod seminatum est. *Matth.* XIII, 19.

Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt; deinde venit Diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant. *Luc.* VIII, 2.

Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. *Luc.* XXII, 31.

Dixit autem Petrus: Anania? cur tentavit Satan cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, et fraudare de pretio agri? *Act.* V, 3.

Ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis. *II Cor.* XI, 14.

Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli. *Ephes.* VI, 11.

Sobrii estote et vigilate: quia adversarius vester Diabolus, tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret: cui resistite, etc. *I Pet.* V, 8.

Nihil horum timeas, quae passurus es. Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, ut tentemini: et habebitis tribulationem diebus decem. *Apoc.* II, 20.

Et Satanas, qui seducit universum orbem. *Apoc.* XII, 9.

Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de car-

cercere suo, et exibit, et seducet gentes, quae sunt super quatuor angulos terrae. *Apoc.* XX, 7.

Ex Ss. Patribus

Diabolus venit ad chorum, dormitorium occupat, insidiat refectorium, circuit domum, nullum praetemittit artem nocendi, sed utiliter suae calliditatis assignat argutias. In choro devotionem, in dormitorio castitatem, in refectorio parvitatem, in domo lectionem, in officinis silentii virtutem virtutis inimicus extirpat. *Ber. de Nat. Dom. ser. III.*

Esca Diaboli electa est; de malis non curat, quia sui sunt. *Euseb. Caes. ep. ad Dam. Pap.*

Prius complexionem uniuscujusque adversarius perspicit, et tunc tentationis loqueos opponit. Alius namque laetis, alius tristibus, alius timidis, alius claris moribus existit, quo ergo adversarius occultus facile capiat, vicinas complexionibus deceptiones parat; quia laetitiae voluptas, proxima laetis moribus, luxuriam proponit. Et quia tristitia in iram facile labitur, tristibus peccatum discordie porrigit: quia timidi supplicia formidans, paventibus terrores intendat. Et quia elatos extolli laudibus conspicit, eos ad quaecumque voluerit, blandis favoribus trahit. Singulis igitur omnibus vitiis convenientibus insidiatur. *Greg. lib. XXIX Moral. super illud Sal. Div. aest. sup. ter.*

Superbis, et libidinosis plus dominatur Diabolus. *Bern. de ord. vitae.*

Si Diabolus imparatum invenerit militem Christi, si rudem, si non sollicitum, ac toto corde vigilantem, circumvenit inscium, fallit incautum, decipit imperitum. *Cypr. de exh. mar.*

Potest quidem Diabolus animam incitare, cogere autem praeter voluntatem omnino non potest. *Cyr. Hier. Cat. IV.*

Diabolus mali auctor, nequitiae origo, rerum hostis, corruptor saeculi, hominis semper inimicus, ille laqueos tendit, lapsus parat, foveas fodit, aptat ruinas, stimulat corpora, pungit animas, cogitationes suggerit pravas, immittit iras, dat virtutes odio, vitia abdit amori, errores serit, discordias nutrit, pacem turbat, affectus dissipat, humana violat, divina tentat. *Petr. Rav. in illud Matth. Ductus est Jesus.*

Qui Deo se committit, Diabolum non timet. *Aug. hom. XXXVIII ex L.*

Anima nunquam a corpore vinceretur, nisi prius a Diabolo teneretur. Nam nisi quis porci more vixisset, nunquam accepisset in eo diabolus potestatem: aut si accepisset, non ut perderet, sed

ut probaret. Sine permissione Dei diabolum nocere non posse cognoscas: ne potentiam Diaboli magis timeas, quam divinitatis offensam. *Ambr. sup. Luc. cap. IX.*

Diabolus dicitur fur, quia furatur homini aurum sapientiae, argentum eloquentiae, vestimenta virtutum, et linteamina gratiarum. *Ghry. sup. cap. XII Matth.*

Nihil est quod latro tantum odio habet, quantum lumen. Lumen est sapientia divina, quam Diabolus odit, et istud furatur, quoniam aufert sapientiam divinam, et humanam immittit. Latro sicut timet quando aliquis clamat, sic daemon quando aliquis preedicat, quia ad vocem praedicatoris omnia arma ejus corruunt. Facit igitur diabolus sicut fur violentus et malus, qui omnia praetiosa tollit. Praetiosae sunt animae, istas quaerit tollere, et confitenter dicit: *Da mihi enimas caetera tolle tibi* (*Gen.* XIV) Sed Diabolus serpens est lubricus, cujus si capiti, id est, primae suggestioni non resistis, tutus in intima cordis, dum non sentitur, illabitur. Quanto enim plus percussus fuerit, magis refrigescit, et deficit.Nec enim potest nocere quia potestas ejus est sub potestate. Nam si tantum posset nocere Diabolus quantum vellet,aliquis justorum non remaneret.Resiste igitur, et confide, quia sine permissione Dei Diabolum nocere non potest:nec potentiam Diaboli magis timeas quam divinitatem offensam. Vigila in omnem occasionem nocendi. Disce vel ab ipso Diabolo vigilare in id quod tuae est professionis. Noli cum tentatione tractari. Cum diabolus, te apprendit tum sta fortiter in oratione, et Deus te adjuvat. Tunc accedent ad te Angeli, seu vere consolationes spirituales.

16. Chritum sequi

Ex Sacris Scripturis

Venite fili audite me,timorem Domini docebo vos.*Psal.*XXXIII,11.

Venite post me faciam vos fieri piscatores hominum.*Matth.*IV,19.

Qui vult post me venire abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me. *Matth.* XVI, 24.

Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus. *Rom.* VIII, 9.

Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut et ego Christi. Ideo misi ad vos Timoteum, qui est filius meus carissimus, et fidelis in Domino: qui vos commune faciet vias meas, quae sunt in Christo Jesu. *I Cor.* IV, 16, 17.

Imitatores mei estote, sicut et ego Christi. *I Cor.* XI, 1.

Ego per legem, legi mortuus sum, ut Deo vivam, Christo confictus sum cruci. *Gal.* I, 19.

Filioli mei quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis. *Gal.* IV, 19.

Qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis, et concupiscentiis. *Gal.* V, 24.

Ex Ss. Patribus

Sequamur Jesum semper, nec desinamus; quod si semper sequamur, nunquam deficimus, dat enim vires sequentibus se. *Ambr. lib. VII, ep. ad Siric.*

Cum sequeris viam Christi, non tibi saeculi prosperitates promittas, perdure ambulavit, sed magna promisit; sequere, noli tantum attendere, quo iturus es, sed a quo venturus sis, tolerabis dura temporalia, sed ad laetitiam pervenies sempiternam. *Aug. in Psal. XXXVI.*

Qui crucem post Christum portat, debet mundo mori: nam Crucem ferre, et non mori simulatio hipochrysorum est. *Bern. ser. I ad Sor.*

Si Christum continentia sequitur, quid est illo cum terreno cultu, et cum ornamentis? quibus dum hominibus placere gestit, Deum offendit. *Cypr. de discip. et habit. Virg.*

Tibi non sufficit opus contemnere, nisi Christum sequaris: Christum autem sequitur, qui peccata dimittit, et virtutum comes est. *Hier. lib. I adv. Jov.*

Qui a diabolo venit ad Deum, numquam debet amplius per illam viam ambulare, per quam venit ad diabolum; venisti per viam fornicationis? ambula per viam castitatis; venisti per avaritiae viam? ambula per via eleemosynae. Si autem per ipsam viam redieris, iterum sub regno vadis diaboli, et sis proditor Christi. *Greg. hom. XXIV in Matth.*

O quam plures sunt, qui prius demonem sequuntur, quam Christum! *Aug. ser. XXXIII ad Fratr. in Erem.*

Imitatio Christi est humilitas, imitatio diaboli est elatio. *Aug. ser. II excomm.*

Vae portantibus crucem Christi, et non sequentibus Christum. *Bern. in Apol. ad Guil.*

Similitudo morum, conciliatrix est amoris. Sequatur ergo Christi mores, qui vult dignus esse amari. Universa Christi vita est

crux perpetua. Nisi crucem tollas, non sequeris, non eris Christo similis. Vides ergo crucis et mortificationis non tantum utilitatem, sed absolutam necessitatem. Age nunc, *si Christi esse vis, crucifige carnem tuam cum vitiis et concupiscentiis suis.* (*Gal.* V). Noli timere sequi Christum: *Venite ad me omnes*, Christus ipse dixit, *qui laboratis*, *et onerati estis*, *et ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos.* (*Matth.* XI). Vide quam benignus Deus, qui invitat! quam bonus, qui nos exonerat pondere peccatorum, quo usque ad infernum deprimimur, quam amabilis qui nos reficit, cum in via deficimus! Sed quae tandem est refectio: *Tollite iugum meum.* Ergo ita, mi Jesu, tuos reficis, iugum imponendo? Omnino ita: Quia nullum potest esse solidum, et verum in vita solatium, nisi in cruce Jesu, in quo sola nos *gloriari oportet.* Sequere Christum, quia in magistrum tuum se ipse offert: claude mundo pseudomagistro aures, et Jesnm audi et sequere. *Coniungere ergo Deo*, *et sustine* (*Eccles.* II). Laudas tu Jesum quod tantam gratiam tibi concessit illum sequi. Tanta erga te est dignatio, o vilis homo! Vocatus es sequi Christum, ut eum sequens et semper habens in oculis, ut videas, et premas vestigia ejus. Vide dignitatem muneris, indignitatem tuam! Quoties Christus fecit tibi audire per internam ispirationem, sequere me! Quis? quem? Quae dignitas Christum sequi? quo fervore id agendum? quo tempore id agis? etc. Si vis ergo Jesum sequi, debes relinquere, quae sunt aliena a Christo.

17. Vestium abusus

Ex Sacris Scripturis

Non induetur mulier veste virili, nec vir veste foeminea; abominabilis enim apud Deum est, qui facit haec. *Deut.* XXII, 5.

In vestitu ne glorieris. *Eccles.* XII,

Et ornamentum monilium suorum in superbiam posuerunt, e immagines abominationum suorum, et simulacrorum fecerunt ex eo: propter hoc dedi eis illud in immunditiam; et dabo illud in manus alienorum ad diripiendum, et impiis terrae in praedam, et contaminabunt illud. *Ezech.* VII, 20, 21.

In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, et lunulas, et torques, et monilia, et armillas, et mitras, et discriminalia, et periscelidas, et murenulas, et olfactoriloa, et inaures, et annulos, et gemmas in fronte pendentes, et mutatoria, et palliola, et linteamina, et acus, et specula, et sindones, et vittas, et theristra. Et erit pro suave odore foetor, et pro zona funiculus,

et pro crispanti crine calvitium, et pro fascia pectorali cilicium. . . . Et moerebunt, atque lugebunt portae ejus, et desolata in terra sedebit. *Isai.* III, 18, et seq.

Quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. *Matth.* II, 8.

Homo quidam erat dives, et induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide. *Luc.* XVI, 19.

Cavete a Scribis qui volunt in stolis ambulare etc. *Marc.* XII, 38.

Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. *I Tim.* VI, 8.

Ex Ss. Patribus

Quid quaeso tantopere adornas, fovesque, quod paulo post interiturum? *Basil. in Psal. XXIX.*

Non sis superfluus in victu, nec notabilis in vestitu; vestium curiositas deformitatis morum indicium est. *Ber. lib. III de consid.*

Neclecta decoris cura placet: et hoc ipsum, quod non ornamus, ornatus est. *Ambr. lib. I de Virg.*

Vestis sumptuosa probatio est pauci sensus; vestis nimis apparens, cito vicinis taedium parit. *Ber. ep. de cur. rei fom.*

Decor corporis non sit affectatus, sed naturalis, simplex, neglectus magis quam expeditus, non praetiosis et albentibus adjutus vestimentis, sed communibus, ut honestati vel necessitati nil desit, nil accedat nitari. *Ambr. de offic. lib. I.*

Omnis cura sanctorum spreto ornata, nulloque superfluo exterioris sui hominis, qui certe corrumpitur, omni se diligentia praebet, et occupat excolendo, ac decorando interiori illi qui ad immaginem Dei est. *Bern. in Cant.*

Talia debent esse vestimenta servorum Dei, in quibus nihil possit notari novitatis, nihil vanitatis, nihil superfluitatis, nihil quod pertineat ad superbiam, et vanam gloriam. *Bern. ad Sor.*

Quid dicam de his, qui ambiunt ad sacerdotium? quibus cura est, ut vestes bene oleant: ut pes laxa pelle non sordeat: quibus ut crines calamistro rotendur: quibus ut digiti annulis rudiant, et si via humidior fiat, vix in eam pedes vestigia imprimant? *Hier. ad Eustoch.*

Quid est quod Apostolus ait: Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti sumus. Cur enim cum dicit, habentes alimenta, non protinus addidit, et vestes, sed tantummodo cum praemittit, habentes alimenta presto subjungit, et quibus tegamur? Cur hoc nisi ut perspicue doceat, nos debere Deum timere, et mandata e-

jus observare; hoc est omnis homo: ergo si hoc est omnis homo, absque hoc nihil est homo. *Bern. ser. XX sup. Cant.*

Quatuor modis potest esse reprehensio circa vestes. Primo quando sunt nimis pretiosae. Si cultus pretiosarum vestium culpa non esset, sermo Dei non tam vigilanter exprimeret, quod dives qui bysso et purpura induebatur, apud inferos torqueret. Materia vestis primae fuit multum vilis, scilicet pellis cum lana. *Fecit Deus Adae et uxori suae tunicas pelliceas* (*Gen.* III) idest de pellibus animalium mortuorum ; deinde processum est ad lanam puram , deinde ad lanam multiplici colore infectam, deinde ad sericum de quo purpurae fiunt, deinde ad aurum simul et sericum , de quo fiunt panni deaurati. Legitur in historia romanorum quod ille qui primus apud eos purpura est indutus a fulmine percussus interiit. Secundo vestes nimis curiosae. Nemo existimet in fluxu et studio pretiosarum vestium peccatum deesse, quia si hoc peccatum non esset, nullo modo Dominus Joannem de vestimenti sui asperitate laudasset. Nam quando pro sola inani gloria vestimentum praetiosum quaeratur, res ipsa testatur, quia nemo vult sibi pretiosis vestibus indui ubi ab aliis non possit videri. Tertio quando ipsa vestimenta non sunt statui suo convenientia, sicut quando Clericus vult habere vestem militarem, vel monachum vestem secularem, vel vir habitum muliebrem , vel e converso. *Visitabo* , ait Dominus, *super omnes qui induti sunt veste peregrina* (*Soph.*I). Vestis peregrina est, quando non est secundum statum personae. *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste foeminea* (*Lev.* XXII). Quarto quando quis habet diversa mutatoria ita ut a tineis demoliuntur, et Christur in pauperibus nudus relinquitur. *Agite nunc divites etc. . . . vestimenta vestra a tineis comesta sunt* (*Jac.* V). Clamant nudi, clamant famelici: nobis inquiunt , fame et frigore miserabiliter laborantibus, quid conferunt tot habitus, tot vestes , nostrum est quod effunditis , nobis crudeliter subtrahitur quod inaniter expenditis. Ergo in omni vita tua a fastu et splendido apparatu, et pompa saeculi ac vanitate abstine. Nisi habes fulgorem status contemneneris ab omnibus, et stulti est illum requirere vestibus. Fulgor, et regius apparatus vestium est insanabilis plaga stultorum. Habitus noster , quod et dolens dico, qui humilitatis solet esse insigne a Clericis nostri temporis gestatur superbe. Vix in nostris provinciis invenimus, quo vestiri dignemur. Clericus et miles ex eodem panno partiuntur sibi vestem, et chlamydem. Forma etiam vestium, deformitatis mentium

et morum indicium est. Cur similiter pietas et humilitas spiritum, quae profecto spiritualia indumenta sunt, non ornant?

18. Ecce Homo

Ex Sacris Scripturis

Ego autem sum vermis et non homo. *Psal.* XXI, 7.

Videbunt justi, et timebunt, et super eum ridebunt, et dicent: Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum. *Psal.* LI, 8.

Quousque, o Judaei, irruitis in hominem? interficitis vos, tamquam parieti inclinato, et maceriae depulsae? *Psal.* LXI, 4.

Et non erat qui cognosceret me. *Psal.* CXLI, 5.

Exivit Jesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum; et dicit eis (*Pilatus*): Ecce homo. *Joan.* XIX, 5.

Et veniebant ad eum, et dicebant: Ave, Rex Judaeorum, et dabant ei alapas. *Joan.* XIX, 3.

Cum ergo vidissent eum pontifices, et ministri, clamabunt, dicentes: Crucifige, crucifige eum. *Joan.* XIX, 6.

Ex Ss. Patribus

Ecce homo, non clarus imperio, sed plenus opprobrio. Si regi invidetis, o Judaei, jam parcite, quia dejectum conspicitis: flagellatus est, spinis coronatus est, ludibriosa veste amictus est, alapis caesus est; fervet ignominia illius, frigescat invidia vestra: sed non frigescit, inardescit potius, et increscit nequitia. *Aug. tract. XXVI in Joan:*

Nullum ad excitati animi placandam iram validius arbitror fore medicamentum, nil ad excitandam compassionem, et injùriam patientis sit congruum, quemadmodum miserorum miserias anteponere illis. Facile innatam et naturalem compassionem trahit ad se calamitas pauperum; et tribulati cordis deprimens moeror, etc. Hoc egit Pilatus judeorum turba furenti. *Laur. Just. de triumph. Chr. ag.* cap. XV.

Ecce homo, idest videte publice dehonestatum, ne confusum hominem, quem detulistis. Et dixit et fecit hoc Pilatus, ut monstrans Jesus cum tanta confusione, existimaretur numquam amplius conversaturus inter homines; ac per hoc cessarent ab impetitione mortis. *Dionys. Cart. in Psal. LXI.*

Quod detestabili licet mentis operantur affectu, Deo tamen secus non defuit honor, qui salutatur ut rex, coronatur ut victor, quasi Deus et Dominus adoratur. *Ambr. lib.X in Luc. cap.XXII.*

Attende, anima mea, quis est iste, qui ingreditur, habens imaginem quasi Regis, et nihilomus servi despectissimi confusione repletur: coronatus incedit; sed ipsa etiam ejus corona cruciatus est ille, et mille puncturis speciosum caput ejus divulnerat: regali purpura induitur; sed potius in ea despicitur, quam honoretur: sceptrum in manu gestat; sed eo ipso caput ejus reverendum feritur; adorant coram ipso, positis in terra genibus, et regem clamant, et continuo sputis amabiles ejus genas affligunt. *Bern. de Passion.*

Vae mihi misero, cum venerit dies judicii, et dicetur de me: ecce homo, et opera ejus. *Aug. Medit.* cap. XXXIX.

Quaesivi utrum saltem unum bonum invenirem inter tantam multitudinem, qui intercessionem suam quasi obstaculum poneret inter me et eos, ne transirem ad percutiendum eos, et irae meae precibus resisteret, et non inveni unum talem virum. *Hug. Card. sup. Ezech, XII.*

Bonus judex nihil ex arbitrio suo facit, et domesticae proposito voluntatis. Tua, Pilate, voce constringeris; tua damnaris sententia, pro potestate ergo, non pro aequitate crucifigendum Dominum tradidisti. *Ambr. ser. XX in Psal. CXXXIII.*

Vera monstrant, quod non ex ira, sed ex odio (prout Jesus dixerat) persequebantur eum: odium enim insatiabile est. Et propterea viso Jesu flaggellatio et dehonestato non mitigatur eorum animus, sed ad turpiora et crudeliora tendit, clamando: Crucifige. *Tauler.*

Sciens Pilatus Christum flagellatum, cruentatum, Judaeis eum ostendit clamans alta voce: *Ecce Homo.* Vocat eum hominem, quia ut homo prae tormentis, sputamentis, et plagis non erat agnoscendus. Ecce homo, et tot vulneribus attritus, quod vestram explere deberet inhumanitatem. *Ecce Homo innocens, qui scelus non fecit, nec dolus in ore ejus inventus est.* (*I Pet.* II.) Ecce Homo, qui admiranda prorsus patientia tot suppliciorum pertulit genera. Ecce Homo, quem vestra malitia, vestra iniquitate persequimini. Ecce Homo, qui est rex vester, sed tumulo potius, quam solio indiget, cum in eo mors pro vita pugnet. Pilatus Christum tam inhumane verberatum, tam crudelis plagis percussum exhibuit, ut miserando ejus intuitu Judaeorum mitigaret furorem, ut satiata iniquitas de innocentis injuriis ulterius non saeviret; sed pertinax malitia propriis crescebat augmentis. Ecce Homo, considera et tu, ad innocentiam ejus attende. Ecce Homo: in tanta patientia virtutem ejus recognosce. Ecce Homo: noli amplius in tanta perse-

verare perversitate. Ecce Homo qui est verus Dei filius, qui aliquando de tuis sceleribus sumet vendictam. Noli confundere, accede et tu ad hoc spectaculum. Vide si illa est facies, quae in mente Thabor refulsit. In externis est opprobrium hominum. In internis speciosus forma. Cogita tibi ab Æterno Patre dici: Ecce homo; qui hactenus jacebas paralyticus, et hominem non habebas; hic hominem vides, qui omnes tuas infirmitates curabat. Huic tu illas humiliter expone. In hoc homine confide; caeterum in nullo. Ecce homo, quem unum, et semper aspicere debes in omnibus operibus tuis.

19. Contritio

Ex Sacris Scripturis

Cumque quaesieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum; si tamen toto corde quaesieris et tota tribulatione animae tuae. *Deut.* IV, 29.

Haec dicit Dominus exercituum, Deus Israel. Bonas facite vias vestras et studia vestra, et habitabo vobiscum in loco isto. Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes. Templum Domini, templum Domini, templum Domini est. *Jerem.* VII, 3.

Nunc ergo dicit Dominus: Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu, et scindite corda vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum; quia benignus et misericors est, patiens, et multae misericordiae, et praestabilis super malitia. *Joel* II, 12, 13.

Exinde coepit Jesus praedicare et dicere: agite poenitentiam. Appropinquavit enim regnum coelorum. *Matth.* IV, 19.

Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis. *Matth.* XIII, 3.

Et venit in omnem regionem Jordanis (*Joannes*), praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum. *Luc.* III, 3,

Poenitemini igitur, et convertimini, ut deleantur delicta vestra. *Actor.* III, 19.

His qui sunt Damasci primum et Hierosolymis, et in omnem regionem Judaeae et Gentibus annuntiatum, ut poenitentiam agerent, et convertentur ad Deum, digna poenitentiae opera facientes. *Actor.* XXVI, 20.

Ex Ss. Patribus

Alia est compunctio sive contritio, quae per amorem nascitur,

alia quae per timorem; quia aliud est supplicia fugere, aliud praemia desiderare. *Greg. lib. VIII Moral.*

Cum peccaveris, ingemisce, non quod poenam daturus sis (nihil enim hoc est) sed quod Dominum Deum tuum offenderis tam benignum, tam te amantem, tam denique tuae saluti appensum, ut Filium quoque suum tua causa tradiderit. *Gris. in ep. II ad Cor.*

Haec humiliati cordis est vera compunctio, magna agere, et humilia loqui, justa operare ac timere. *Gris. hom. XLVI ad pop. Antioch.*

Nihil pejus est, quam culpam cognoscere, nec deflere. *Ber. de inter. domo* cap. V.

Peccantes non dolere magis Deum indignari facit, et irasci, quam peccare. *Gris. hom. XLVI ad pop. Antioch.*

Est quidem necessarius dolor de peccatis, sed si non sit continuus, sane interpoletur lectione, recordatione divinae benignitatis, ne forte tristitia induatur cor, et desperatione plus pereat. *Bern. in Cant. ser. II.*

Sola compunctio est, quae facit animam horrescere pravum, desiderare cilitium, amare lacrymas, fugere risum. *Gris. in lib. de compunc. cordis.*

Non sufficit mores in melius commutare, et a factis malis recedere, nisi de his, quae facta sunt, satisflat Deo per poenitentiae dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium. *Aug. hom. L.*

Animus sicut delectatus est in peccatis, sic tribulari debet in poenitentia. *Aug. lib. quaest. vet. et nov. Test.*

Ut corporis membra laesa utique non possunt sanitatis recipere medicinam; sic et peccatores non possunt peccata sua redimere, nisi dolorem senserit animus qui peccaverit. *Aug. lib. quaest. vet. et nov. Test.* cap. CLXII.

Idcirco dolendum est de peccato continue, quod declarat ipsa dilectionis virtus, id est poenitere; quod idem est ac poenam tenere. *Aug. lib. ver. et fal. poen.*

Compunctio et humilitas mentis cum lacrymis veniens de recordatione peccati, et timore judicii. *Isid. lib. II de sum. Bon.* cap. XII.

Equum est ut amemus qui sese peccando extulit adversus Deum et per contriti cordis humilitatem Deo satisfaciat, et sic criminosa cordis delectatio dolorosa cordis amaritudine puniatur. Et ex justitia tenetur peccator cordis tolerare dolorem, non solum ob pecca-

ta quae commisit; sed etiam ob virtutes, quas amisit, hinc requiritur animi dolor justitiae consentaneus, qui est necessarius ad remissionem peccatorum. Ideo absque contritione perfecta, et confessione in voto non remittuntur peccata extra poenitentiae sacramentum, neque etiam in poenitentiae sacramento, nisi adsit contritio, saltem attritio cum principio amoris Dei. Quamvis autem non teneatur homo continue elicere dolorem sive internum sive neque externum; saepe tamen, sicut nos Apostolus (*I Thess.* V) docet sine intermissione orare, hoc est horis ad orandum statutis: ita homo debet habere dolorem de peccatis suis, praecipue tempore confessionis: At post tot peccata quam modicus amor et dolor pro tot peccatis quae commisisti! Vide! ut accendas amorem et doleas motivo tantae bonitatis Dei. Ob memoriam peccatorum tu mille lacrymas funde, ut tandem Deo miserante poenitentiam adsequaris. Non parum sed multum debes flere; sed et multum diligendus est Deus, saltem appretiative, ut creaturis omnibus praeferatur. Hoc erit doloris argumentum. Itane amas? Pondera, quanta fecisti mala, et nondum per poenitentiam lacrymasti! Quis in Deum affectus! Noli sperare remissionem, nisi lacrymas dederis per dilectionem.

20. Communio digna

Ex Ss. Patribus

Ambulavit Elias in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb. *III Reg.* XIX, 8.

Edent pauperes, et saturabuntur: et laudabunt Dominum, qui requirunt eum: vivent corda eorum in saeculum saeculi. *Psal.* XXI. 26.

Calix meus inebrians quam praeclarus est? *Psal.* XXII, 5.

Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus; escam dedit timentibus se. *Psal.* CX, 4.

Paratum panem de Coelo praestitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem. *Sap.* XVI, 20.

Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem in me manet, et ego in illo. *Joan.* VI, 5, 6.

Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam: et ego resuscitabo eum in novissimo die. *Joan.* VI, 55.

Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me, et ipse vivet propter me. *Joan.* VI, 57, 58.

Et omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt. Et omnes eamdem potum spiritualem biberunt: (bibebant autem de spiritali consequente eos, petra: petra autem erat Christus). . . . Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? *I Cor.* X, 3, . . 16.

Ex Ss. Patribus

Tria inter alia bona multiplicantur per hoc Sacramentum, primum est decor castitatis, secundum caritatis, tertium sapor suavitatis. *Ber. ser. LIII.*

Concorporei et consanguinei efficimur Dei, quotiescumque ejus sanguinem bibimus, corpusque in hoc sacramento comedimus. *Cyrill. Catech. cap. IV.*

Manducabis me, nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaberis in me. *Aug. lib. VII, Conf. cap. XXXIII.*

Per hoc sacramentum augetur gratia, et perficitur spiritualis vita ad hoc, quod homo in se ipso perfectus existat, spiritualiter delectatur, et quodammodo inebriatur, dulcedine bonitatis divinae. *Thom. III p. q. LXXIX, art. 1.*

Efficimur (*per hoc Sacramentum*) Christiferi, idest Christum in corporibus nostris ferentes, cum corpus ejus et sanguinem in membra nostra recipimus, sic secundum Beatum Petrum divinae consortes naturae. *Cyrill. Catech. cap. V.*

Qui manducat de spirituali convivio, impletur Spiritu Sancto, dilatatur sensibus, nutritur in veritate, pinguescit in fide, et acquirit sibi vitam aeternam. *Gris. hom. XXII in Matth.*

Si quis liquefactae cerae aliam ceram infunderit, alteram cum altera per totum commisceat necesse est, sic qui carnem et sanguinem Domini recipit, cum ipso ita conjungitur, ut Christus in ipso, et ipse in Christo inveniatur. *Cyrill. lib. IV in Joan. cap. XVII.*

Haec mensa animae vis est, nervi mentis, fiduciae vinculum, fundamentum, spes, salus, lux, vita nostra *Gris. in Mor.*

Panis iste pharmacum immortalitatis est, mortis antidotum, vitamque in Deo concilians per Jesum Christum, medicamentum purgans vitia, et omnia pellens mala. *Ignat. Mart. in ep. ad Eph.*

Tamquam leones ignem spirantes ab illa mensa recedamus, facti Diabolo terribiles. *Gris. hom. VI ad pop. Antioch.*

Felix fructus ubertatis, ex quo virginitas germinatur. Nam in

hoc nostri germinis vino castitas corrumpitur, sed in illo virgines procreantur. *Pasch. lib. de Corp. et Sang. Dom.* cap. XXI.

Qui hujus sanguinis sunt participes, ipsam regiam Christi stolam induti, imo ipsum induti sunt regem. *Thom. III p., quaes. LXXX, art. VIII.*

Ubique suorum regnum Christus, sed maxime in Eucharistiae solio. *Chry. hom. XLV ad pop. Ant.*

Eis qui semetipsis student regere, ut sint digni mensae regalis curiae, delicias praebebit vitalis alimoniae Eucharistiam porrigendo. *Rup. Ab. in cap. XL Gen.*

Dei Filius qui in incarnatione hypostatice, et indissolubiliter unitur humanitati, nobiscum inire unionem indissolubilem exoptat, quae aeternaliter perseveret. A nobis illa inseparabilitas dependet, si volumus est semper permansura, incipiens in tempore per gratiam, duratura in aeternum per gloriam. Et quid non facit Salvator, ut constituat hanc indissolubilem unionem? Suam nobis largitur et in hoc sacramento per dignam communionem Divinitatem, gratiam, humanitatem, amorem, Corpus et Sanguinem, ut magis magisque nos sibi adstringeret.Hinc Christianus,qui Christi propositum et desiderium adimplere desiderat, debet tentare, ut illam unionem indissolubilem reddat per dignam communionem,et ob hinc gloriarur Paulus Christum vivere in ipso,quasi sint una et eadem persena. *Vivo ego jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Gal.*II). Grandis equidem Pauli favor, sed non minor eorum gratia, qui digne Eucharistiam sument. Multum sane est, et utinam hoc dicere valeamus cum Apostolo. Sed utinam, qui accedunt ad divinam mensam emularentur Machabaeorum pietatem, qui post fugatos de Hierusalem hostes, post ejectos de templo cunctos, qui pollutum fuerat spurcitiis,multis purificationibus mundaverunt,ut essent divino cultui apte dispositi. Vel imitanda est Jacobi religio sui volens offerre sacrificium Deo gratissimum; domesticos suos adstrinxit, ut idola abijcerent,ut sese ab immunditiis mundarent, ut vestimenta mutarent. Simili dispositione accedere deberes ad sacram Synaxim,tollere scilicet de corde idola, et lumen postulare ad cognoscendum, an supersit via alicujus idoli: et cum Regio Vate dicere: *Vide si via iniquitatis in me est* (*Psal.*CXXXVIII).Cor tuum per veram poenitentiam munda, et ut Hilarius Arelatensis ait: *satisfactione repetita* (*Hom.V de Pasch.*), muta tantem vestimenta, et defer vestem divinarum virtutum, praecipue Fidei, contritionis, amoris, et desiderii, ut divinos valeas comedere cibos. Assequere praeterea, si potes, quanta sit dignitas, uniri humanitati Christi,

et veluti ea mediante ipsi personae Verbi, et toti Trinitati, quam concomitanter in Eucharistia sumis. Considera, ad quid te obliget haec dignitas: ut qui uniris Deo, avelleris a luto creatarum rerum: ut dicta, facta, cogitata tua sint talia, quae te dignum reddunt membrum Christi. Æstima, lauda, ama, anhela, et quoties accedis, aliquid veteris hominis depone. Talis accede ad sacram mensam, qualis ab ea recedere desideras. Cupis accedere ut Deus? accede ut Deus per gratiam, et eris in Coelo Deus per gloriam. Amen.

21. S. Aloysius Gonzaga

Ex Sacris Scripturis

Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. *Gen.* XXVII, 27.

Cogitationes meae dissipatae sunt, torquentes cor meum. *Job* XVII, 11.

Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide praetioso. *Psal.* XX, 3.

Custodi innocentiam, et vide aequitatem etc. *Psal.* XXXVI, 37.

Me autem propter innocentiam suscepisti, et confirmasti me in conspectu tuo. *Psal.* XL. 12.

Omnis gloria ejus filiae regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus. *Psal.* XLIV, 13.

Tamquam prodigium factus sum multis : et tu adiutor fortis. *Psal.* LXX, 7.

Et omnem, qui invocat nomem meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum, et feci eum. *Isa.* XLIII, 7.

Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum et in conspectu Altissimi deprecabitur. *Eccli.* XXXIX, 6.

Consumatus in brevi explevit tempora multa. *Sap.* IV, 12.

Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in turculari? *Isa.* LXII, 2.

Bellabunt adversum te, et non praevalebunt; quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te. *Jer.* I, 19.

Et levavi oculos meos, et vidi: et ecce vir unus vestitus lineis, et renis ejus accincti auro obrizo. *Dan.* X, 5.

Suscitavit Dominus spiritum sanctum pueri junioris, cujus nomen Daniel. *Dan.* XIII, 45.

Fortis ut mors dilectio: dura sicut infernus emulatio. *Cant.* VIII. 6.

Mensura hominis, quae est Angeli. *Apoc.* XXI, 17.

Et dixit (*Jesus*): Amen dico vobis nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum. *Matth.* XVIII, 3.

Viderunt faciem ejus, tamquam faciem Angeli. *Act.* VI, 15.

Ex Ss. Patribus

Gaude innocentia, et exulta ? gaude, inquam, quia ubique illesa es, ubique secura. Si tentaris, proficis; si humiliaris, erigeris; si pugnas, vincis; si occideris, coronaris. Tu in servitute libera es, in periculo tuta, in custodia laeta. *Joan. Chrys. ser. de Joseph.*

Nihi sancta et singularis illa Majestas aliud ab homine desiderat quam solam innocentiam : quam si quis Deo obtulerit , satis pie, satis religiose ditavit. *Lact. lib. VI inst. div.*

Apparuit alia generatio, alius vivendi modus, totius naturae nostrae commutatio. *Greg. Nyss.*

Felix praeconium, quod nulla totius viri sorde maculatur. *Hier. in ep.*

Non mediocris titulus virtutis est , inter pravas vivere bonum, et inter malignantes innocentiae retinere candorem. Versari in spinis, et minime laedi, divinae potentiae est, non virtutis tuae. *Ber. ser. XLVIII in Cant.*

Tria martyrum genera: voluntate non nece, ut Joannes; voluntate et nece , ut Stephanus ; nece non voluntate , ut Innocentes. *Thom. dist. IV.*

Mihi autem adhaerere Deo bonum est. Bonum plane , si omni ex parte adhaeseris. Quis est qui perfecto adhaeret Deo, nisi qui in Deo manens tamquam dilectus a Deo, Deum nihilominus in se traxit, vicissim diligendo. *Ber. ser. VII in Cant.*

Ut non solum per dilectionem, sed reipsa in illam carnem convertamur ; per cibum id efficitur , quam nobis largitus est. Cum enim suum in nos amorem indicare vellet , per corpus suum se nobis commiscuit , et in unum nobiscum redegit, ut corpus suum capite uniretur : hoc enim amantium maxime est. *Hieron. hom. XLV in Joan.*

Amat profecto caste, quae ipsum, quem amat, quaerit, non aliud quid praeter eum. Amat sancte , quia non in concupiscentia carnis, sed in puritate spiritus. Amat ardenter, quia ita proprio inebriatur amore, ut majestatem non cogitet, sed ab eo postulet osculari. *Ber. ser. VII in Cant.*

Nunquam stimulos carnis passus est, nec ullam impuram cogitationem habuit. *S. Rot. Rom.*

Hucusque contemplatus es Aloysii innocentiam, castitatem, poenitentiamque, conjunctam cum magno Dei amore. Consequi ergo hujus Sancti virtutem opus est tibi. Ad quid enim Ecclesia celebrat solemnia sanctorum? Certe non vult imitari superbiam Assueri, qui ob solam ostentationem, et vanitatem ostentavit divitias sui regni: sed sicut triumphus Romanorum, ut milites belligeri ad obtinendum eumdem stimularentur. Ad exemplum ergo Aloysii fac fructus dignos poenitentiae, ab omni inordinato affectu remove cor tuum, ac habeas eandem castitatem et puritatem, et praecipue inflamma cor tuum, sicut et ipse erga Dominum. Amantium hoc est, ut ne momento quidem abesse velint ab amato, sed adesse continuo cogitatione, et affectu. Si ergo vis amare Aloysium, ama in veritate Deum tuum sicut ipse amavit. Amas ne vere Deum tuum sicuti par est et debes? Si vere cor tuum aestuet caritate facile ex hoc intelligi potes. Si sis divisus, et unitus: divisus a peccato et mundo, unitus Deo. Iniquitas enim dividit, charitas unit. Bona opera fac, quia nunquam est Dei amor otiosus. Si pro Deo patienter mala toleras; verus enim amor nonnisi passionibus probatur. Quae ut aequo ac promptu ilarique animo facias, inspice in Aloysio quomodo haec omnia adimplevit, et fac sicut exemplar.

22. Templum Dei

Ex Sacris Scripturis

Cumque evigilasset Jacob de somno, ait: Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam. Pavensque, quam terribilis est, inquit, locus iste! non est hic aliud, nisi domus Dei et porta coeli. *Gen.* XXVIII, 16, 17.

Pavete ad sanctuarium meum. Ego Dominus. *Lev.* XXVI, 2.

Ut aperias oculos tuos (*mi Deus, ait Salomon*) super domum istam diebus ac noctibus, super locum, in quo pollicitus es ut invocaretur nomen tuum; et exaudires orationem, quam servus tuus orat in eo et exaudias preces famuli tui, et populi tui Israel. Quicumque oraverit in loco isto, exaudi de habitaculo tuo, idest de coelis, et propitiare. *II Paral.* VI, 20. 21.

Cumque adoraret (*Sennacherib*) in templo Nesroch deum suum, Adramelech, et Sarasar filii ejus percusserunt eum gladio, fugeruntque in terram Armeniorum, et regnavit Asarhaddon filius ejus pro eo. *IV Reg.* XIX, 37.

Quanta malignatus est inimicus in sancta. *Psal.* LXXIII, 3.

Numquid ergo spelunca latronum facta est domus ista, in qua

invocatum est nomen meum in oculis vestris? ego, ego sum: ego vidi dicit Dominus. *Jer.* VII, 11.

Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa. *Jer.* XI, 15.

Ultio Domini, ultio templi sui. *Jer.* LI, 11.

Et intravit Jesus in templum Dei, et ejiciebat, omnes vendentes, et ementes in templo: et mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit. Et dicit eis: Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum. *Matth.* XXI, 12, 13.

Et cum fecisset (*Jesus*) quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo; oves quoque et boves, et nummulariorum effudit aes, et mensas subvertit, etc. *Joan.* II, 15.

Si quis domum Dei violaverit, disperdet illum Deus. *I Cor.* III,17.

Ex Ss. Patribus

Pietatis argumentum est assidue ad sancta loca commeare, ac crebris intercessionibus Deum placare; vult enim Deus homines ad Templorum portas continue appellare. *Dam. lib. II Paral.*

Quid facis homo? mulieris speciem curiosus in Ecclesia perscrutaris, nec horrescis? tanta templum Dei afficies contumelia? prostribulum ne tibi videtur Ecclesia, et foro ignobilior? nam in foro erubescis, etiam times, ne quis te videat mulierem sectari; in Ecclesia vero Dei, cum ipse Deus te alloquatur, et ab istis deterreat, eo ipso tempore maxime peccato vacas, quo tibi magna voce intonatur, ut ab his fugias, nec horrescis, nec stupes? *Gris. hom. VII in Matth.*

Quando iratus fuero, et aliquid mali meo animo cogitavero, et me nocturnum phantasma deturbat, Basilicas Martyrum intrare non audeo, ita totus et animo, et corpore contremisco. *Hier. lib. III cont. Vigil.*

Magnus tumultus, magna confusio, tanta turba, tantus risus (*adest in Ecclesia*), quantus in balneis, quantus in foro. *Gris. hom. XXVI in I ad Cor.*

Flagellis nos flagellat Deus propter sacrorum templorum irreverentiam. *Diez. Congion. II fer. Dom. IV.*

In sacristia ipsa silentium servetur accurate; unaquaeque sacristia habeat *Silentii* nomen appensum magnis litteris, quod servetur ubique, omissis verbis omnibus, quae necessario eo in loco proferenda non sint; quod re ipsa omnino praestitus. *Acta Eccles. Medi.*

Ambula modeste (*in Ecclesia*) et caute: intraturus es aulam

regiam, et divinam: quare sic dispone, et dirige gressus tuos, ut habitus tuus, oculus tuus, mores tui, ingressus, et progressus tuus, omnia sint composita. *Chry. hom. I in ep. ad Hebr.*

Audiant haec Psalmi verba (*in templo ejus omnis dicent gloriam*), et confusi submutescant ii, qui in templo prolixissima intexunt colloquia. *Basil. ep. XLI.*

Centum sexaginta horas habente hebdomada, unam, et solam horam sibi segregavit Deus, et hanc in opera saecularia, et in redicula, et in conventicula insumitis? *Chrys. hom. XXXVI in cap. X Matth.*

Domus priscis temporibus Ecclesiae erant, nunc ipsa etiam Ecclesia in domum redacta est: nihil autem in privata domo carnale loquebantur, nihil nunc in Ecclesia spirituale memorantur. Cumque Deus loquatur, non modo ipsum cum silentio non auditis, verum etiam contraria inferentes inculcatis. Quas ob res acerbe fleo, et nunquam flendi finem facio. *Chrys. hom. XXXIII in Matth.*

Olim sancitum fuit propter Ecclesiae honorem, ut Christiani cum innocentia templum adirent, magnaque in eo cum innocentia remanerent. Et ob hanc causam ipsae Ecclesiarum portae sacris reliquiis, et martyrum exuviis honestabantur ut iam inde ingredientium animi sancto metu, et religione perfusi, ad modestiam, et pietatem commoverentur. Hinc consuetudinem Ecclesiarum ianuis astitisse ostiarios, qui arcerent indignos, eos etiam quibus poterat esse suspicio, quod reliquos pietati incumbentes essent perturbaturi. Quod si quaeramus ab Hugone Cardinale, cur Christus Dominus, qui hominum salutem erat sua passione operaturus, dum Judaei *tulerunt lapides ut jacerent in eum, abscondit se, et exivit de templo?* (*Joan.* VIII) respondebit: Jesus abscondit se: non quod mori non cuperet, cum ad hoc in mundum venerat, sed ne tanto sacrilegio domus illa pollueretur. Haec Salvatoris cautela condemnat scelerosos Christianos qui Ecclesias prophanant. At proh dolor! Quantum sunt a veteribus Christianis dissimiles Christiani hujus temporis, qui incompositi ad templa accedunt, immodeste in Ecclesia sese gerunt, et absque ulla gravitate ab ea recedunt. Incomposite accedunt absque ulla mentis praeparatione, animi decore, corporis gravitate. Et quod pejus, et dici non potest sine vi lacrymarum, illi qui ex justitia, vel ex professione deberent multo magis praeseferre modestiam reverentiamque isti prae ceteris ecclesiam Dei profanant! In choro, vel in presbyteriis sunt corpore, et alio negotiantur mente, nunc intus manent, nunc foris exeunt: aliud cantant, et aliud cogitant; psalmodiae verba profe-

runt, et psalmodiae sensum non attendunt: sed mente vagi, habitu dissoluti, attoniti oculis, huc et illuc prospicientes, quaecumque geruntur perlustrant et perspiciunt. Hodie proh dolor! in Ecclesiis impudentius se gerunt Christiani quam in theatris, quam in tontrinis, quam in tabernis, aliisque publicis conventibus. Intremus templum compositi ad sacrificium accessuri, vultum submittamus, togam adducamus, in omne argumentum modestiae nos componamus. Si garrire velis, numquid non habes domos ad confabulandum? Parumne foret peccare in Dominum, et scandalum dare populo ejus? Summopere vero cura ut ab aliis colatur templum Dei. Si quis in eo, praesertim cum divina officia celebrantur, audeat deambulare, nugari, loqui, negotiis operam dare; si, cum Eucharistiae Sacramentum in Missa sustollitur, stat, aut quovis modo irreventer versatur, moneas eum. Excita fidem tuam, ut te videntes glorificent Deum.

23. Judicia temeraria

Ex Sacris Scripturis

Respondit Abraham: Cogitavi mecum, dicens: Forsitan non est timor Dei in loco isto: et interficient me propter uxorem meam. *Gen.* XX. 11.

Æquum judicium sit inter vos, sive peregrinus, sive civis peccaverit: quia ego sum Dominus Deus vester. *Lev.* XXIV, 22.

Quod justum est judicate: sive civis sit ille, sive peregrinus. Nulla erit distantia personarum; ita parvum audietis, ut magnum: nec accipietis cujusquam personam; quia Dei judicium est. *Deut.* I, 16, 17.

Mendaces filii hominum in stateris. *Psal.* LXI. 9.

Via stulti recta in oculis ejus: qui autem sapiens est, audit consilia. *Prov.* XII, 15.

Qui justificat impium, et qui condemnat justum abominabilis est uterque apud Deum. *Prov.* XVII, 15.

Et unusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris: et juramentum mendax ne diligatis: omnia enim haec sunt, quae odi, dicit Dominus. *Zacch.* VIII, 17.

Nolite judicare, ut non judicemini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini: et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. *Matth.* VII, 1, 2.

At illi (*discipuli*) ut viderunt eum (*Jesum*) ambulantem supra mare putaverunt phantasma esse, et exclamaverunt *Mar*. VI. 49.

Simon Phariseus, videns mulier peccatricem ad pedes Domini flentem, ait intra se, dicens: Hic si esset Propheta, sciret utique quae, et qualis est. *Luc.* VII, 39.

Is qui manducat, non manducantem, non spernat: et qui non manducat, manducantem non judicet; Deus enim illum assumsit. *Rom.* XIV, 3.

Tu quis es, qui judicas alienum servum? *Rom.* XIV, 4.

Ex Ss. Patribus

Nolite judicare. Hoc loco nihil aliud nobis praecipi existimo, nisi ut ea facta, quae dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Quod enim scriptum est: A fructibus eorum cognoscetis eos, de manifestis dictum est, quae non possunt bono modo fieri. Sed quaedam facta media, quae ignoramus, quo animo fiant, quia in bono et malo fieri possunt, de quibus temerarium est judicare, maxime ut condemnemus. *Aug. de ser. Dom. in mon. sup. Matth.* VII, 1, 2.

Etiamsi perperam actum quid deprehendas, ne judices proximum, magis autem excusa, excusa intentionem, si opus non potes, puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum, quod si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recuset, suade nihilominus ipse tibi, et dicito: vehemens fuit nimis tentatio, quid de me illa fecisset, si in me accepisset similiter potestatem. *Ber. ser. XL in Cant.*

Ne istis quae sunt Deo nota, et nobis incognita periculose nostros proximos judicamus; de ipsis enim Dominus dixit: *Nolite judicare, ut non judicemini*; de illis vero, quae aperta sunt, et publica mala judicare, et redarguere, cum caritate tamen, et amore, et possumus, et debemus, odio habentes non hominem, sed peccatum, non vitiosum, sed vitium detestantes, morbum potius, quam aegrotum. Nam publicus adulter, raptor assidue ebriosus, proditor, superbus, si judicati, vel castigati non fuerint, implebitur in eis illud Sancti Cypriani. Qui peccantem verbis adulantibus palpat, peccati comitem subministrat. *Aug. ser. CII de temp.*

Duo sunt, in quibus temerarium est judicium: cavere debemus, quum incertum est, quo animo quid factum sit, vel incertum est qualis futurus sit: qui nunc vel bonus vel malus apparet. *Aug. cont. Manich. lib. II.*

Statera dolosa non tantum in mensuratione pecuniae, sed et in judiciaria discretione tenetur. Qui enim aliter causam pauperis, aliter potentis, aliter sodalis, aliter audit ignoti, statera utique librat iniqua. Sed et his, qui sua bene gesta meliora, quam pro-

ximorum, et sua errata judicat leviora staterando, nec non et ille qui onera importabilia imponit in humeros hominum, ipse autem digito suo non vult tangere ea: etiam ille, qui bona non publico, et male agit in occulto, pro iniquitate librae dolosae abominabitur a Domino, et qui sinceriter agit in omnibus, qui causam aequa lance discernit, is nimirum justi judicis voluntati et actioni congruit. *Beda lib. II sup. illud Prov. stat. dolos.*

Judicare digne de subditis nequeunt, qui in subditorum causis, non merita, sed odium vel gratiam consequuntur. *Greg. hom. VI.*

Durum omnino est videre, ut qui nescit tenere moderamina vitae suae, judex fiat alienae: et qui minoris meriti sunt in ecclesia, et nullis virtutibus pollent, ipsi de factis alienis judicent. Cum enim Divina judicia nesciuntur, non audaci et humano judicio discutienda sunt, sed formidoloso silentio veneranda. Nullum ergo judicare praesumas, nec te licet optimum cuiquam alteri quamvis pessimo praeferas, quia tuus, et illius qualis futurus sit exitus, ignoras. Non tibi licet judicare de occultis, nec de futuris, nec semper de omnibus manifestis. Nec de occultis quidem sicut de intentionibus cordis judicare nos debemus, quia hoc est solius Dei. *Homo videt ea quae parent, Deus autem intuetur cor* (*I Reg.* XVI). Ideo Apostolus non curabat de judicio humano, nec de judicio proprio confidebat. Timebat autem multum de judicio divino: *Mihi enim pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die, idest ab humano intellectu, sed neque meipsum judico* (*I Cor.* IV). *Qui autem judicat me Dominus est.* Secundo non debemus judicare de futuris, quia hoc similiter solius Dei est. *Annunciate quae ventura sunt in futurum, et sciemus, quia dii estis vos* (*Isa.* XLI). In hoc tu peccas volens de futuris conjicere. Tertio non debes semper judicare de iis quae videntur manifesta, quia debemus, si possumus excusare opus, quod si non possumus, saltem debes excusare intentionem, an illud fecerit ex ignorantia, ex surreptione, vel ex casu; quod si neutrum possumus, saltem debemus illud attenuare, propter gravem tentationem, et dicere: O quam vehemens fuit illa tentatio, quid de me fecisset, si accepisset de me potestatem! Fuit ne usque adhuc tua regula in judicando?

24. S. Joannes Baptista

Ex Sacris Scripturis

Audite insulae, et attendite populi de longe: Dominus ab utero vocavit me de ventre matris meae recordatus est nominis mei. Et posuit os meum, quasi gladium acutum; in umbra manus suae protexit me, et posuit me sicut sagittam electam: in pharetra sua abscondit me. *Isai*. XLIX, 1, 2.

Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pelis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos: esca autem ejus erat locustae, et mel silvestre. *Matth*. III, 4.

Ait autem Angelus ad illum (*Zachariam*): ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua: et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem. Et erit gaudium tibi, et exultatio; et multi in nativitate ejus gaudebunt. *Luc*. I, 13, 14.

Quis, putas, puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo. *Luc*. I, 66.

Puer autem crescebat, et confortabatur spiritu: et erat in desertis usque in diem ostensionis suae ad Israel. *Luc*. I, 80.

Dico enim vobis: Major inter natos mulierum propheta Joanne Baptista nemo est. *Luc*. VII, 28.

Tu puer Propheta Altissimi vocaberis, praebis enim ante faciem Domini, parare vias ejus. *Luc*. I, 76.

Vox (*ego*) clamantis in deserto, parate viam Domini: rectas facite semitas ejus. . . . Et videbit omnis caro salutare Dei. *Luc*. III, 4, . . 6.

Ex Ss. Patribus

Advertite, dilectissimi, quantam S. Joannis reverentiam, quantam devotionis debeamus impendere, qui ut honorabilis sit, a Sancto est Spiritu prophetatus, promissus ab Angelo, laudatus a Domino, et perpetua sanctae mortis gloria consecratus. *Max. Taur. hom. III in Nat. Joan. Bapt*.

Post illum sacrosanctum Domini natalis diem, nullius hominis nativitatem legimus celebrari, nisi solius beati Joannis Baptistae. *Aug. ser. XX de Sanct*.

Joannes ante pervenit ad coelum; quam tangeret terram; ante accepit divinum Spiritum, quam humanum, ante divina munera, quam terrena corporis membra; ante coepit vivere Deo quam sibi. *Aug. in cap. III Malach*.

Solius Domini, et Beato Joannis dies Nativitatis in universo

mundo celebratur, et colitur; hunc enim sterilis peperit, hunc Virgo concepit, in Elisabeth sterilitas vincitur, in B. M. Conceptionis consuetudo mutatur . . . Ideo celebramus natalem Joannis sicut et Christi, quia et ipsa Nativitas plena est Mysterio. Quo misterio ? nisi humilitatis nostrae , sicut nativitas Christi plena est mysterio altitudinis nostrae. *Aug. ser. XXI de Van.*

Solus Joannes in utero existens exultavit in gaudio , et oculis corporis nihil videns spiritu Dominum agnovit. *Cyrill. Hier. Catech.* III.

Joannes schola virtutum, magisterium vitae, sanctitatis forma, norma justitiae, virginitatis speculum, pudicitiae titulus, castitatis exemplum, poenitentiae via. *Gris. hom. XVI in Matth.*

Merito illum praecipuo honore veneramur, qui speciali quadam gratia Redemptorem mundi novissimus prophetavit, ut ostenderet eum primus. Hic enim solus est prophetarum, qui Dominuum nostrum Jesum Christum quam alii in longa tempora futuram praesciverunt, propriis oculis videre meruit, et annunciare presentem. *Max. hom. de S. Joan.*

Joannes, virtutum schola, magisterium vitae, sanctitatis forma, norma justitiae, virginitatis speculum, pudicitiae titulus, castitatis exemplum, poenitentiae via, peccatorum venia, fidei disciplina, legis summa, evangelii sanctio, apostolorum vox, silentium prophetarum, lucerna mundi , praeco judicis, praecursor Christi, praecursor Domini, Dei testis, totius medius Trinitatis. *Chrysol. serm. CXXVII.*

Christus non unam, aut duas, sed multiplices ejus virtutes commendans constantiam laudat , cum ait : Existis videre arundinem vento agitatam ? Vitae asperitatem, cum ait: Existis videre hominem mollibus vestitum ? Propheta cum ait : Ego dico vobis , Propheta , et plusquam Propheta. Angelicam puritatem cum ait : Ecce ego mitto Angelum meum. Praecursoris officium cum ait : Qui praeparabit viam ante me. Et ne quidquam deesset ad plenam , et perfectam laudem, adjungit : Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista. Potuitne amplius addi ? Si vel leviter a Christo commendari, grandis est honor, sic ab eo exaltari , et sublimari , quantae excellentiae est ? *Thom. a Vill. l. I de S. Joan.*

Beatus Joannes, qui ante in Dei spiritu meruit intonare, quam hominis vagiret in fletu: beatus qui ante divina possidere meruit, quam sortiretur humana: beatus qui ante coelum scire, quam terram: beatus qui antequam videret praesentia, futura meruit nuntiare: beatus qui ante Deum capere potuit, quo suo ipse caperetur a corpore: beatus , et singulariter est beatus , qui antequam

saperet quaerere, meritum conquisivit; beatus qui non pervenit ad gratiam per laborem, sed ad labores ipsius gratiae dignatione descendit. ***Chrysolog. ser. XLI.***

Aliorum Sanctorum (exceptis Christo et Deipara) nativitatem Ecclesia non celebrat. Alii nascuntur in peccato, at Joannes ante sanctus, quam natus: alii non sanctificantur nisi post nativitatem, at Joannes sanctificatus a peccato, et dominante gratia Spiritus Sancti superfusus. Alii sunt maligni spiritus mancipium; at Joannes Spiritu Sancto replebitur ex utero matris suae. Alii etsi Patriarchiae et Profetae, nati sunt ut homines, aetate aucti impleti Spiritu Sancto, prophetarunt Christum: Joannes autem Dominum Christum ipsa nativitate sua prophetavit, quem conceptum ex utero prophetavit. Aliorum nativitas est infausta, quia criminosa; Joannis nativitas est fausta, quia innocua. Hinc Joannes fuit magnus in aliorum extimatione, virtutis perfectione, et officii administratione. Existimatio nostrum efflagitat honorem, perfectio imitationem, ministerium administrationem. Honorandus est igitur semper, sed praecipue in die qua Ecclesia ejus celebrat nativitatem. Imitandus est Joannes; et ut ipse fervens fuit, gaudeamus in fervore ejus ad imitationem. Multa in eo imitanda sunt, potissimum caritas et humilitas, ardeamus caritate Dei et proximi, dejiciamus nos ante magnitudinem Dei. Tandem admirandus est Joannes in ministerio: etenim et Christum baptizavit, et Redemptorem digito demonstravit, et Divinum Verbum declaravit, et poenitentiam praedicavit. Praebeamus nos ad legis observationem, ad virtutem, ad salutem, quam mereri valebimus, Joannis intercessione, et gratia Christi.

25. Verbum Dei

Ex Sacris Scripturis

Assumensque (*Moyses*) volumen foederis legit, audiente populo, qui dixerunt: omnia, quae locutus est Dominus, faciemus, et erimus obedientes. *Exod.* XXIV, 7.

Eruntque verba haec, quae ego praecipio tibi hodie in corde tuo: Et narrabis ea filiis tuis et meditaberis, in eis sedens in domo tuo et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. etc. *Deut.* VI, 6.

Afflixit te (*Israel*) penuria, et dedit tibi (*Deus*) cibum manna, quod ignorabas tu et patres tui: ut ostenderet tibi, quod non in

solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei. *Deut.* VIII, 3.

Ponite haec verba in cordibus, et in animis vestris, et suspendite ea pro signo in manibus, et inter oculos vestros collocate. *Deut.* XI, 18.

Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus, ac noctibus, etc. *Josue* I, 8.

Ut scient filii tui, quos dilexisti, Domine: quoniam non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos, qui in te crediderint, conservat. *Sap.* XVI, 26.

Inventi sunt sermones tui, et comedi eos, et factum est mihi verbum tuum in gaudium, et in laetitiam cordis mei: quoniam invocatum est nomen tuum super me, Domine Deus exercituum. *Jerem.* XV, 16.

Filii hominis, venter tuus comedet, et viscera tua complebuntur volumine isto, quod ego do tibi, etc. *Ezech.* III, 3.

Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. *Matth.* IV, 4.

Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. *Luc.* XI, 28.

Et si quis audierit verba mea et non custodierit . . . . sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die. *Joan.* XII, 47, 48.

Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. *Rom.* II, 13.

Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti: et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus, compagum quoque, ac medullarum, et discretor cogitationum, et intentionum cordis. *Hebr.* IV, 12.

Estote autem factores verbi et non auditores tantum, fallentes vosmetispos. *Jacob.* I, 22.

Ex Ss. Patribus

Ignitum est verbum Dei, quem misit, qui secretos mentium divinae ardore cognitionis inflammaret affectus, qui vaporem fidei, et devotionis adoleret, qui cupiditatem virtutis accenderet; bonus ignis qui calefacere novit, nescit exurere nisi sola peccata. Hoc igne super bonum fundamentum posito Apostolorum illud aurum probatur: hoc igne illud morum vel operum examinatur argentum: hoc igne illi lapides praetiosi illuminantur, hoc igne urebatur, et non exurebatur; urit enim sermo divinus, ut corrigat conscientiam peccatoris, non exurit ut perdat. *Ambr. ser. VIII in Psal. CXVIII.*

Magna mihi consolatio est, fratres mei, in verbo illo Domini: Qui ex Deo est, verba Dei audit: quia audire verbum Dei salutis indicium est, et argumentum praedestinationis. *Ber. ser. I Septuag.*

Liberat a lagueo verbum Dei in corde, liberat a via prava verbum Dei in corde; liberat a ruina verbum Dei in corde. Tecum est, cujus verbum a te non recedit. Quid enim mali patitur, quem custodit Deus? *Aug. in Psal. XXXVI.*

Beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud (*Luc.* XI). Vultis noscere, quam beati? primum quidem sonans auribus animae vox divina conturbat, terret, dijudicatque: sed continuo, si bene adverteris, liquefacit, vivificat, calefaciat, illuminat, mundat. Denique et cibus noster est, et gladius, et medicina, et confirmatio, et requies, resurrectio quoque, et consummatio nostra. *Philo Judae lib. II Alleg.*

Simul pluvit Dominus super segetes, et super spinas, sed segeti pluit ad horreum, spinis ad ignem: et tamen una est pluvia: sic verbum Dei, omnes compluit, videat quisque qualem radicem habeat, videat quisque quo trahit pluviam bonam si eam trahit, ut generat spinas, numquid pluvia Dei accusanda est ante quam veniat ad radicem? dulcis est pluvia illa, dulce est verbum Dei, donec veniat ad cor malum. *Aug. ben. Esa. et Jacob.*

Interrogo vos, fratres, dicite mihi, quid vobis plus esse videtur, Verbum Christi, an Corpus Christi? Hoc utique dicere debetis, quod non sit minus Verbum Dei, quam Corpus Christi, et ideo non minus erit, qui Verbum Dei negligenter audierit, quam qui Corpus Christi, in terram cadere negligentia sua permiserit. *Aug. de verb. Apos. ser. XIII.*

Quemadmodum non prodest cibus, nisi cum fuerit masticatus, et in stomachum descenderit, sic non proficit ad salutem Verbum Dei, nisi cum fuerit intellectui, et memorie traditum: cibus, qui in stomacho stat, ille confortat, et sermo, qui in memoria manet ille salvat. *Gris. hom. XLI in Matth.*

Ex triginta duabus parabolis quae reperiuntur in Evangelio, praecipua sane est de seminatore in verbi administratione: tum quia est prima, quam protulit Christus: tum quia ab ipsamet edisserata, aperte dicente semen illud esse verbum Dei quod secus viam conculcatur: inter spinas suffocatur: in bonam terram foecundatur. Hoc verbum Deo adeo est operans, ut Deus mundi conditor universa de nihilo produxerit per verbum suum. Verbi divini operationem aemulans sermo concionatorius bene operantem expostulat et praedicatorem, et auditorem. Praedicatorem quidem: *non facto-*

rem quaerit Deus, non pictorem(Mus.lib,L,hom.XXX).Auditorem etiam: quia *audire veritatem nihil prodest,si homo non supra pe tram aedificat. Qui aedificat supra petram, ipse est qui audit, et facit. Qui autem audit, et non facit, aedificat super arenam... (Aug. in Psalm.LVII)*.Tale est verbum Dei in bonam terram plantatum.Ergo si vis esse discipulus Domini accede ad eum,audi verba ejus.Insidet Deus Magister cordi tuo, aperit os suum,et ubi vocem ejus audieris , noli obdurare cor tuum. Verba Dei tunc melius intelligis cum in eis Deum ipsum quaeris. Æstima doctrinam , quam tantus Magister tradit. Statue te illi conformare potius quam doctrinae mundi, et carnis. Verba ejus enim sunt refectio omnium, quae saginant animam, quae impinquant viscera, cum de divinis Scripturis, et Patribus cibum eloquii perennis accipies. Sed multi sunt qui hanc doctrinam, hunc verbum accipiunt, et nullum fructum reportant. Quidam quae audiunt , nullo modo considerant ; suntque surdi aurium. Nonnulli memoriae non consignant, statim enim obliviscuntur. Alii vero libenter verba Dei suscipiunt , ita ut etiam in fletibus compungantur, ut saepe saepius solet evenire in nostris missionibus,sed post lacrymarum tempus ad iniquitatem redeunt. Hi profecto verba Dei non audiunt , quia haec exercere opere contemnunt. Estote ergo factores verbi non auditores tantum. Auditoribus enim verbi Dei plena sunt templa , sed factoribus vacua. Qui enim legem observat, et verbum ad praxim redigit, inchoata viae fruitur beatitudine quae ducit illum ad beatitudinem patriae. Amen.

26. Confidentia in Deum

Ex Sacris Scripturis

Dominus qui eripuit me de manu leonis et de manu ursi, ipse me liberabit de manu Philistaei hujus (*Goliath*) . . . Tu venis ad me cum gladio, et hasta, et clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini . . . qui dabit te in manu mea. *I Reg.* XVII, 37 . . 45.

In te, Domine, speravi non confundar in aeternum. *Psal.* XXX, 1.

Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in aeternum, qui habitat in Jerusalem. *Psal.* CXXIV, 1.

Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo. *Prov.* III, 5.

Ne paveas repentino terrore, et irruentes tibi potentias impiorum. Dominus enim erit in latere tuo, et custodiet pedem tuum, ne capiaris. *Prov.* III, 25, 26.

Qui confidit in illo (*in Domino*) non minorabitur. *Eccli.* XXXII, 23.

Qui autem sperant in Domino mutuabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilae, current, et non laborabunt, ambulabunt, et non deficient. *Isai.* XL, 31.

Amen quippe dico vobis: si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc illuc, et transibit; et nihil impossibile erit vobis. *Matth.* XVII, 19.

Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem. *Hebr.* X, 35.

Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat; et dabitur ei. Postulet autem in fide nihil haesitans; qui enim haesitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur, et circumfertur. *Jac.* I, 5, 6.

Et haec est fiducia, quam habemus ad eum: quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos. *I Joan.* V, 14.

Ex Ss. Patribus

Sicut execrabilis est qui spem ponit in homine, ita omni laude dignus, qui ex Deo totus pendet; spes enim, quae in Deo collocatur, non sinit se in alio constituere, neque sibi auxilium ferri vult . . . sed vere Dei auxilio oportet acquiescere. *Basil. ep. ad Greg. Naz.*

Quid non det filiis petentibus, cum hoc ipsum dederit, ut filii essent? *Aug. ser. Dom. in mon. cap. IV.*

Adversaria est confidentia, quae periculis vitam suam pro certo commendat: et lubrica spes est, quae inter fomenta peccati salvari ne sperat, incerta victoria est inter hostilia arma pugnare, et impossibilis liberatio est flammis circumdari, et non ardere. *Aug. de sing. Cleri.*

Non confidat praedicator vel auditor verbi Divini de acumine ingenii, de subtilitate scrutinii, de sedulitate studii: sed magis confidat de bonitate Dei, et de pietate oraculi, de humilitate cordis intimi. *Hug. de S. Vict. in didasca.*

Omnino non frustra audimus, sursum corda. Quid ponimus corda nostra in terra, cum videamus, quia evertitur terra? Sperant in te qui noverunt nomen tuum. *Aug. ser. XXIX de Verb. Dom.*

Quis est qui confunditur? Qui dicit, quod sperabam non inveni. Non immerito: sperabam enim de homine. Maledictus autem, qui spem suam ponit in homine. Confunderis, qui fefellit te spes; fefellit spes posita in mendacio; omnis enim homo mendax. Si autem ponas spem in Deo tuo, non confunderis, quia ille, in quo posuisti, fallere te non potest. *Aug. in Psal. XXXVI.*

Si maledictus est omnis qui spem ponit in homine, sicut divi-

na testantur eloquia : ac per hoc qui in semetipso spem ponit, hujus maledicti vinculo innectitur: ideo nonnisi a Deo petere debemus, quidquid speramus nos vel bene operaturos, vel pro bonis operibus adepturos. *Aug. in Ench.* cap. CXIV.

Cave ne tibi subrepat in tua virtute confidere, homo enim es: sed plane in Deo tuo corde confide, et ipse erit virtus tua, in qua pius gratusque confidas. *Aug. ep. CCVIII.*

Quaerite primum regnum Dei, et haec omnia adjicientur vobis (*Matth.* VI). Nempe tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor (*Psal.* IX). Si mihi praemia promittuntur, per te obtinenda sperabo. Si insurgant adversum me praelia, si saeviat mundus, si fremat malignus, si ipsa caro adversus spiritum concupiscat, in te ego sperabo. *Bern. ser. IX in Psal. XC.*

Cave ne Pharisaeos imiteris qui in semetipsis confidentes, et opera sua buccinantes, spem mercedis in homine ponebant. Si ad eorum exemplum in operibus tuis confidas,te ipsum seducis. Quod experientia cognoscentes discipuli, postquam in vanum consumpserunt suas vires, artes, industrias, ad vitandum naufragii periculum, ad Christi confugerunt auxilium, quo solo fuerunt a naufragio liberati. Non dissimiliter Christiani, qui in semetipsis, in naturae viribus in artibus, industria, mentis sagacitate, suisque operibus confidunt naufragandi incurrunt periculum, spemque regni coelestis amittunt. Spera in Deo tuo semper, praesertim in tempore tentationis, afflictionis, defectionis, offensionis, et dilectionis. In tempore tentationis ut resistas, non cadas, sed vincas. Deus namque *clypeus est sperantibus in se* (*Prov.* XXX). Tempore afflictionis, *spes mea in te Domine in die afflictionis meae* (*Jerem.* XVII). *Deus autem non deserit sperantes in se*, sed adversus persecutores protegit. In tempore defectionis, quando necessaria nobis deserunt. Nam *erit egeno spes* (*Judith* XVII). Tempore offensionis: *Respicite*, *et scitote*, *quia nullus speravit in Domino*, *et confusus est* (*Eccles.* II). In tempore divinae dilectionis: sicut enim habitus caritatis praesupponit habitum spei;ita caritatis actus actualem spem praerequirit ; sed nulli potiori jure possunt sperare in Deo, quam illi, qui bona conscientia praediti sunt, et sese in bonis operibus exercent. Sed et magna contra Diabolum arma sunt, in propriis viribus fiduciam non habere, sed Deum rogare qui adversarium possit opprimere. Noli ergo timere, forti animo esto, Dominus tecum est; et sic credendo, sperando, amando, bene operando aeternam tibi in coelo beatitudinem comparas.

27. Orationis efficacitas

Ex Sacris Scripturis

Et rogante pro eis sacerdos propritius erit eis Dominus ... Rogabitque pro eo sacerdos, et pro peccato eius, et dimittetur ei *Lev.* IV. 20. 31.

Respicite, filii, nationes hominum: et scitote, quia nullus speravit in Domino, et confusus est. Quis enim permansit in mandatis ejus, et derelictus est? Aut quis invocavit eum, et despexit eum? etc. *Eccli.* II, 11, 12.

Oratio humiliantis se, nubes penetrabit, . . . et non discedet, donec altissimus aspiciat. *Eccli.* XXXV, 21.

Eritque antequam clamabunt, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam. *Isa.* LXV, 24.

Petite, et dabitur vobis: quaerite et invenietis: pulsate et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: et qui quaerit invenit: et pulsanti aperietur. *Matth.* VII, 78.

Omnia quaecumque petieritis in oratione credentes accipitis. *Matth.* XXI, 22.

Quaecumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis. *Marc.* XI, 21.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. *Joan.* XVI, 23.

Quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei? Aut si piscem petierit, numquid serpentem porrigit ei? Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester, qui in coelis est, dabit bona petentibus se? *Matth.* VII, 9 et seq.

Multum enim valet deprecatio justi assidua. *Jac.* V, 16.

Ex Ss. Patribus

Aptissima arma oratio, thesaurus perpetuus divitiae inexhaustae, portus quietis, occasio tranquillitatis, auctor, parens, fons, et radix bonorum omnium oratio est. *Gris. hom. V de Dei nat.*

Ne deficias in oratione. Deus quod concessurus est, si differt, non aufert: non leviter utitur, qui promisit: non facile de sententia movetur, quod promisit est fixum: fallere non potest, habet unde faciat. *Aug. sup. Psal. LXV.*

Nihil aeque pollet ac deprecatio: haec enim est, quae ex impossibilibus possibilia facit, ex difficilibus facilia. *Gris. hom. IV de fid. Annae.*

Sicut ubi Regina ingreditur aliquam Civitatem, necesse est, ut omnis opulentia pariter consequatur ; sic postquam deprecatio venerit in animam omnes virtutes simul ingrediuntur. *Gris. lib. II de orat. Deo.*

Si fidelis, humilis, et fervens oratio fuerit, Coelum sine dubio penetrabit; unde certum est, quod vacua redire non poterit. *Ber. ser. IV quadrag.*

Nunc autem manent tria haec, verbum, exemplum, oratio; major autem horum oratio , ea namque operi , et voci gratiam , et efficaciam promeretur. *Bern. ep. CI.*

O quam grandis est orationis causa ! quam grande mysterium! Ecce Moyses orabat in monte , et Josue Amalec devincebat. Per orationem Ezechias sanatur, et salutem animae et corpori adipiscitur. Per orationem Saulus efficitur Paulus, et Doctor gentium: Jeremias confortatur in carcere: Daniel inter leones exultat: Job in sterquilinio triumphat: Susanna inter senes defenditur; paradisum de cruce Latro invenit; Stephanus de torrente in coelum suscipitur, et inter lapidantes pro Saulo exauditur. *Aug. ser. XXI ad Fratr. in Erem.*

Nonnulli de natura conquesti sunt, quod erga hominem potius novercam, quam matrem sese ostentarit. Caeteris namque animantibus arma subministravit, quibus sese defendere et conservare possent, homo vero nudum et inermem produxit. Huic querelae varie respondent Auctores, naturam ab hac injuria vindicantes: Chrysostomus (*Hom. II de orando Deo*) quod homini contulerit manus, quibus omnia valeret conficere armorum genera: Gregorius Nyssenus (*Hom. VII in Cant.*) quia Deus naturae auctor homini dedit vocem et orationem, quae omnibus corporalibus praevalet armis, *Aptissima arma oratio est.* Quare Gregorius Nyssenus orationi aptat, quod Sacer sponsus in laudem sponsae praedicat: *Sicut turris David collum tuum, quae edificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium* (*Cant.* IV). Oratio est velut arx munitissima , in qua in tuto est Christianus adversus mundi fallacias, carnis blanditias, daemonis astutias. Oratio est scutum et clypeus, quo munimur in publica calamitate, in privata adversitate, in fortunae jactura, corporis infirmitate, animi moerore, et quavis, qua gravamur, angustia et afflictione. Oratio tamquam scutum inexpugnabile orantes valentius armat et protegit, et tanquam sagitta acute penetrans hostes a longe ferit. Oratio omni gladio acutior, omni sagitta fortior, et omni terrena armatura potentior. Verum intelligibile non videtur, quomodo

filii Israel, qui vix habuerunt tempus colligendi, secum sumendi vitae necessaria, tam cito sibi providere arma potuerint; at licet nulla secum detulerint arma materialia, non defuerunt illis arma spiritualia, quibus inimicos aggressi sunt, atque eos debellarunt. *Per quod indicatur*, ait Origenes, *populum Dei non tam manu et armis*, *quam voce et lingua pugnare*, *id est*, *orationem ad Deum fundendo* (*Orig. Hom. II in Exod.*).His spiritualibus armis armatus Israel, Gerezaeos, Amorrhaeos, Hethaeos, Haevaeos, Jebusaeos, Chananaeos, Phaerezaeos, septem nationes sibi infensissimas expugnavit. Sapientis ergo testimonio, *vici turbas non in virtute corporis*, *et armatura potentiae*, *sed verbo et oratione* (*Sap.* XVIII). Oratio namque quae Deum vincit,posita est, per quam ira Dei suspenditur,venia procuratur,poena refugitur,et praemiorum largitas impetratur. Orando perficies , quod non potes suggerere docendo. Quod lumen est coloribus, anima corporibus , penna volucribus : hoc ferme Sacerdoti est Spiritus ecclesiasticus , qui sine oratione non obtinetur, aliisque non communicatur. Sed saepissime rogasti, et non obtinuisti; quia illius orationem Deus non exaudit cujus mores contradicunt iis, quae lingua petuntur.

28. Christi Ascensio

Ex sacris Scripturis

Et ascendit super Cherubim, et volavit : volavit super pennas ventorum. *Psal.* XVII, 10.

Qui est iste Rex gloriae ? Dominus virtutum ipse est Rex gloriae. *Psal.* XXIII, 10.

Date gloriam Deo super Israel , magnificentia ejus , et virtus ejus in nubibus. *Psal.* LXVII, 35.

Ascendisti in altum, cepisti captivitatem. *Psal.* LXVII, 19.

Ascendit enim pandens iter ante eos Rex eorum. *Mich.* II, 13.

Et Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis , assumptus est in Coelum, et sedet a dextris Dei. *Marc.* XVI, 19.

Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in Coelum. *Luc.* XXIV, 51.

Et nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis qui est in coelo. *Joan.* III, 13.

Exivi a Patre, et veni in mundum ; iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem. *Joan.* XII, 28.

Ascendo ad Patrem meum , et Patrem vestrum , Deum meum, et Deum vestrum. *Joan.* XX, 17.

Cum haec dixisset, videntibus illis, elevatus est; et nubes suscepit eum ab oculis eorum. *Act.* I, 9.

Ascendens in altum captivam duxit captivitatem dedit dona hominibus. *Ephes.* IV, 8.

Quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Patris sedens; quae sursum sunt sapite, non quae super terram. *Coloss.* III, 1, 2.

Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes coelos, ut impleret omnia. *Ephes.* IV, 10.

Ex Ss. Patribus

Si fideliter, et devote ascensionem Domini celebramus, ascendamus cum illo, ascendamus corde, ut cum dies permissus advenerit, sequamur et corpore. *Aug. ser. I de Ascens.*

Sic coepit esse divinitate praestantior, qui factus est humanitate longinquior. *Leo ser. II de Ascens.*

Scire debemus, fratres, quod cum Christo non ascendit superbia, non avaritia, non luxuria, nullum vitium nostrum ascendit cum Medico nostro; et ideo si post Medicum desideramus ascendere, debemus vitia, et peccata deponere. *Aug. ser. CLXXV de temp.*

Neque enim ascendere potes, nisi descenderis, quia aeterna lege fixum est; *omnis qui exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur.* O perversitas! o abusio filiorum Adae! quia cum ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum, ipsi et leviter ascendunt, ex difficilius descendunt. Parati ad honorem, et celsitudines graduum Ecclesiasticorum ipsis etiam angelicis humeribus formidandos. *Bern. ser. II de Ascens.*

Salvator Noster ascendit in Coelum, non ergo turbemur in terra, ibi sit mens, et hic erit requies. *Aug. ser. CLV de temp.*

Ascendamus post illum, et per vitia, ac passiones nostras: si utique unusquisque nostrum subdere ea sibi studeat, ac super eos stare consuescat, ex ipsis sibi gradum construit, quo possit superiora conscendere; elevabunt vos, si fuerint intra vos, de vitiis nostris scalam nobis facimus, si vitia ipsa coleamus. *Aug. ser. III de Ascens.*

Unde, fratres, oportet, ut illuc sequamur corde, ubi cum corpore ascendisse credimus; desideria terrena fugiamus, nihil jam nos delectet in infimis, qui Patrem habemus in Coelis. *Greg. hom. XXIX in Evang.*

Hodie novum plane et peregrinum spectaculum mundo ostendit carnem nostram supra solium regium evectam. *Epiph. serm. de Ascens.*

Christi Ascensio nostra provectio est, et quo processit gloria capitis, eo spes vocatur et corporis. *Leo serm. II de Ascens.*

Unde hodierna festivitas, nobis hominibus, et Dei sacramenta manifestavit in una, eademque persona in eo qui elevat divinam potentiam: in eo qui elevatur, humanam agnosce sententiam. *Aug. ser. CLXXV de Temp.*

Ipse, et idem coelos ascendit, carnem quam de Matre suscepit, super astra trasvexit, honorans omnem humanam naturam multo magis maternam. *Aug. serm. de Ascens.*

Ibi habes advocatum, noli timere, ut perdas causam confessionis tuae; si enim in hac vita committit se homo disertae linguae et non timet, committis te Verbo, et periturus es? Clama, advocatum habemus apud Patrem, qui tot ora habet quot vulnera, quibus causae nostrae patrocinatur. *Idem ibid.*

Videntibus Apostolis, rem adeo insolitam, gloriosam et amabilem, comitantibus affectibus admirationis, gaudii, ac desiderii Christum aspiciunt. Comitare tu etiam iisdem affectibus. Sed et comitantur ascendentem sanctae e limbo animae amoris vinculis captivae, et augustum reddunt triumphum. Adjunge te illi comitatui. Aspice, quam dilecta tabernacula Domini virtutuum, et sordebit tibi tellus. Aspirà ad libertatem filiorum Dei, qui vinctus es tuarum cupiditatum catenis. Denique disce Apostolicum virum non debere solum, et sine comitatu coelum ascendere, sed secum praedas animarum orco ereptarum deducere, et ut facilius possis, in Christum confide, et ut confidas haec breviter considera. Trinum munus pro nobis obit in coelo Christus idest, deprecatoris, pontificis, et advocati. Deprecatoris: quod apertis terminis asseverat Apostolus: *Christus Jesus qui mortuus est*, *imo qui resurrexit*, *qui est ad dexteram Dei*, *qui etiam interpellat pro nobis* (*Rom.* VIII). Quod ipsemet affirmat Dominus: *Ego rogabo Patrem*, *etc.* (*Joan.* XIV). Quid est enim rogare, interpellare, nisi petere, intercedere, deprecare, obsecrare? In coelo autem Christus ut homo, et creatura est *semper vivens ad interpellandum pro nobis* (*Hebr.* VII). Munus obit Sacerdotis, nam et in vita obtulit sacrificium cruentum crucis, et adhuc pro nobis deprecatus est Patrem, in coelo autem pro nobis praestat sacerdotis officium; non sacrificando, sed interpellando illud sacrificium offerendo. Tandem advocati pro nobis munere fungitur in coelo Christus: *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum* (*I Joan.* II). Stat innocens Christus ante Patrem, cui ostentat pla-

garum cicatrices ut ejus iracundiam emolliat, nobisque benignum, et misericordem praestet.

29. Sanctus Petrus et Paulus

Ex Sacris Scripturis

Dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae. *Psal.* LXXVII,

Quae data sunt a pastore uno, his amplius, fili mi, ne requiras. *Eccli.* XII, 11.

Fuit magnus secundum nomen .... maximus in salutem electorum Dei. *Eccli.* XLVI, 1, 2.

Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum in fundamento fundatum. *Isai.* XXVIII, 16.

Reges videbunt, et consurgent principes; et adorabunt Dominum Deum tuum, et sanctum Israel, qui elegit te. *Isai.* XLIX,

Ecce constitui te hodie super gentes, et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et edifices, et plantes. *Jer.* I, 10.

Potestas ejus potestas sempiterna, et regnum ejus in generationem et generationem. *Dan.* XVI, 8.

Tu es Petrus, et super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. *Matth.* XVI, 18.

Et tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, etc. *Matth.* XVI, 19.

Ego autem rogavi pro te (*Petre*), ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. *Luc.* XXII,

Ipse est caput corporis Ecclesiae, ... in omnibus ipse primatum tenens. *Coloss.* I, 18.

Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel. *Act.* IX, 15.

Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. *I Tim.* I, 15.

Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Gratia autem Dei sum id, quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum. *I Cor.* XV, 9, 10.

Ex Ss. Patribus

Quis es? Sacerdos magnus, Summus Pontifex, tu princeps Epi-

scoporum, tu princeps Apostolorum, tu primatu Abel, gubernator Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus; tu es, cui claves traditae, cui oves creditae sunt. *Ber. lib. II de Consid.*

Ego Petra, ego fundamentum; tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quae mea potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. *Leo ser. III de S. Petr.*

Ille beatus, qui caeteris discipulis fuit praelatus. *Basil. ser. de jud. Dei.*

De toto mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiae Patribus praeponatur, ut quamvis in populo Dei multi sint Sacerdotes, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus. *Leo ser. III de assump. ad Pont.*

Prius agnos, deinde oves committit ei (*Petro*), quia non solum rectorem sed Pastorem Pastorum eum constituit. *Eus. Ep. Lug.*

Clavis Coeli lingua est Petri; quia singulorum merita censendo Apostolus unicuique Regnum Coelorum aut claudit, aut aperit. *Max. Taur. hom. I de SS. Pet. et Paul.*

Tria invenuntur in Petro, fidei unitas, poenitentiae veritas, amoris soliditas. *Bern. in Sent.*

In uno Petro figuratur unitas Pastorum. *Aug. ser. XL de Temp.*

Deus unus est, Christus unus, Ecclesia una, et cathedra una super Petrum voce Domini fundata. *Cypr. lib. de unit. Eccles.*

Beatus Petrus plusquam homo erat, qui ultra hominem sapiebat: cum enim Dei filium in homine videret, ultra humanos oculos vidit, et intellexit. *Paschas. lib. VIII in Matth.*

Paulus novissimus in ordine, primus in meritis est; quia extremus licet, plus laboravit. *Hier. ep. XIII.*

Quae lingua laudibus Pauli invenietur aequalis, cum omnia, quae sunt in hominibus bona, una anima possideat, et ea cuncta plene atque cumulate, quae non solum hominum sunt, sed, quod amplius est, Angelorum? *Chris. hom. I de laud. Paul.*

Pauli famem, nuditatem, naufragia, deserti habitationes, timores, pericula, insidias, carceres, verbera, vigilias, et alia, quae perpessus est, ne ferenda quidem arbitror. *Chris. lib. III de provid.*

Discurrunt per universum mundum Petrus, et Paulus, duo splendidissimi negotiatores, portantes coram gentibus pretiosa fidei mercimonia; circumferunt enim aromata justitiae, thura divinae venerationis, incensum compunctionis, balsamum castitatis. *Aug. ser. V de SS. Pet. et Paul.*

Interroganti Domino, pro omnibus respondit Petrus: Tu es Christus filius Dei vivi. Ille primus respondit, quia primus designatus erat in Apostolica dignitate , et prima Ecclesiae petra, Christo confirmante: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI). Petrus ob hujusmodi confessionem qua Christum Deum et hominem credit, et praedicavit, beatus proclamatur , et in hac etiam vita remuneratur , quando Christus dixit: Ego dico tibi, tu es Petrus, idest sicut Pater meus tibi manifestavit divinitatem meam, ita et ego notam tibi facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus etc. Quanta Petri gloria, cum ejus magnitudo divino egeat decantatore ! quid amplius ad ejus encomium potest dici, quam quod sicut solus Pater Æternus Filii potest manifestare divinitatem, sic solus Æternus Filius valet Petri decantare laudes ? Binam ergo mercedem accepit Petri confessio; unam in terra, in coelo alteram. In terra factus est Apostolorum princeps , et totius Ecclesiae visibile caput. In coelo potitur gloria suis meritis commensurata. Merces quam habet in terra , est illa cum summis Pontificibus propria, ad quam cuncti non possunt assurgere Christiani:merces quam accepit in coelo, est illa, quam suis confessoribus largitur Christus, juxta uniuscujusque meritum. Oh quam praeclara et excelsa sunt merita Beatissimi Petri Principis Apostolorum ! Paulus sanctis operibus ministerium suum implevit, et virtutum exemplis Evangelio complementum dedit , ne in vacuum praedicaret. Et vos sitis Pauli imitatores , et studete virtutibus, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* (*II Cor.*VI). In vacuum autem illi recipiunt gratiam , qui cum ea non laborant, nec ei suum adhibent studium , sed otiosam reddunt , dum eam in bonis operibus explere non satagunt. Petrus et Paulus viventes praedicarunt, et tum sermone , tum actione nobis demonstrarunt quomodo in coelos ascendere oporteat. Morientes ab officio praedicationis non cessaverunt, adhuc tamen praedicant, tum epistolis quam scripserunt, tum virtutibus, quibus splenderunt, tum martyrio, quo de tyranno saevissimo triumpharunt. Quomodo ipsi confessi sunt Christum, verbis, lacrymis, et sanguinis, ita et nos confitamur Christum, ut mereamur cum ipsis obtinere gloriam et vitam aeternam. Amen.

30. Poenitentia Petri

Ex Sacris Scripturis

Anima , quae juraverit , et protulerit labiis suis , ut vel male quid faceret, vel bene , et id ipsum juramento et sermone firma-

verit, oblitaque postea intellexerit delictum suum, agat poenitentiam pro peccato, etc. *Lev.* V, 4, 5.

Cumque quaesieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quaesieris, et tota tribulatione animae tuae. *Deut.* IV, 29.

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo. *Psal.* VI, 7.

Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi. Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: et tu remisisti impietatem peccati mei. *Psal.* XXXI, 5.

Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur. *Prov.* XXVIII, 13.

Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre qui in coelis est. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est. *Matth.* X, 32, 33.

Et recordatus est Petrus verbi Jesu, quod dixerat: Priusquam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras flevit amare. *Matth.* XXVI, 75.

Et conversus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat: Quia prius quam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras Petrus flevit amare. *Luc.* XXII, 61, 62.

Ex Ss. Patribus

Post negationem Petri, et galli cantum, respexit Salvator Petrum, et intuitu suo eum ad amaras lacrymas provocavit: non enim fieri poterat, ut in negationis tenebris permaneret, quem lux perspexerat mundi. *Hier. in cap. XXVI Matth.*

Flebat autem, non propter poenam, sed quia Christum negaverat, quod molestius erat ei quolibet supplicio. *Ambr. in Luc. XXII.*

Hinc in Petro discimus, nulla nos desperatione affici debere, fragilitatem humanam considerantes, sed confidere potius oportere, credentes robur ab illo nos habituros, qui vires ad virtutem largitur. *Cyrill. Alex. in Joan. XVIII.*

Si lapsus est Petrus, quis alius de se jure praesumat? *Ambr. in Luc. XXII.*

Petrus ex hac nocte traxit in consuetudinem, quod omni nocte a primo gallorum cantu usque ad horam matutinam stabat in oratione, suam uberrime negationem deplangens, ita quod facies ejus ex lacrymis videbatur quasi exusta. *Clem. Rom. lib. II, cap. XXXVII in itin. Petri.*

Quibus modis Deum offendimus, corde, ore, opere, iisdem Deo

nostro reconciliamur, corde quidem per contritionem, ore per confessionem, opere per satisfactionem. *Gris. de poen.*

Felices, o Apostole sancte, lacrymae tuae, quae ad diluendam culpam negationis virtutem sacri habuere baptismatis. *Leo Pp. ser. IX de Pass. Dom.*

Poenitentia vera non annorum numero censetur, sed animi amaritudine. Unde beatus Petrus mox a Domino indulgentiam accepit: quia amarissime flevit trine negationis culpam. *Aug. ser. LX de Temp.*

Negavit primo Petrus, et non flevit: quia non respexit Dominus: negavit secundo, et non flevit: quia adhuc non respexerat Dominus. Negavit tertio: respexit Jesus, et ille amarissime flevit. *Aug. in cap. XXII Luc.*

Videt Petrus se in se: flevit se in se: et conversus est ad eum, qui fecerat se. *Aug. ser. LII de Temp.*


Ex tunc Petrus contraxit consuetudinem, ut a primo gallorum cantu usque ad horam matutinam fleret. *Niceph. lib. II, c. XXXVII.*


Major gradus redditus est ploranti, quam fuerat ablatus deneganti. *Ambr. in Psal. CXXXVIII.*

Nam qui lapsus est antequam fleret, erectus est, ut alios regeret, qui seipsum non rexerat. *Ambr. in cap. IV Luc.*

Verus poenitens fundit lacrymas non solum ob timorem, vel dolorem, sed etiam ob amorem. Tanta est connexio inter poenitentiam et timorem, ut peccator de suis sceleribus poenitere absque timore non videatur. Vitae emendatio poenitentiae veritatem denotat, quae a timore dependet. Poenitentiae veritas detestatio criminum est; poenitentiae fructus remissio delictorum. Ut quis autem aversetur peccata, et peccatorum obtineat remissionem, oportet, ut Deum metuat. Verus poenitens Petrus, guttis frigidis a suo perterrito corde emanantibus, et commissa peccata delevit, et amissam Dei gratiam recuperavit. Lacrymis calidis suam Petrus testatus est poenitentiam; frigidas fundit timor, amaras producit doloris affectio. Amare enim flevit, et doloris longitudinem, quia toto vitae tempore amarissime flevit. Verum tantum cum abundantia, fudit lacrymas, ut ejus oculi ex continuo fletu, apparerent tanquam sanguine perfusi. Timor frigidas fudit lacrymas, amaras dolor, sed calidas amor. Nam lacrymae testes sunt amoris: oculi enim non plangunt, nisi ferveant: et quidem vulnerati cordis lacrymae sunt signa. Cor Petri Christi amore sauciatum calidas emittebat guttas. Ideoque copiosae et diurnae Petri lacrymae ardentissimum ejus testabantur amorem. Negavit iterum atque iterum Petrus, plus tamen flendo acqui-

sivit quam negando perdiderat. Sic est lucrosum poenitentiae commercium : sic pretiosae sunt lacrymae. Sed ad vocem galli cantantis recordatus est Petrus verbi Jesu , et egressus foras flevit amare. O misericordia Dei infinita Adhuc loquente, et verba nagationis proferente Petro , eum respicit. Quasi suarum aerumnarum oblitus, in salutem servi intendit; qui ipse eum vel maxime affligebat. Quoties Domine, cum mihi irasci poteras, es misericordiae recordatus ! Incipiam ergo cum Petro flere, et nunquam desinam.





CONSIGLIO GENERALE
di
PUBBLICA ISTRUZIONE

Napoli 16 Luglio 1850.

Vista la domanda del tipografo Vincenzo Manfredi con che ha chiesto di porre a stampa l' opera intitolata : *Flores Scripturarum et Patrum in Sacerdotalem sylvam redacti, et piis ac theologicis commentationibus explanati ab Antonio Sabino Presbytero Neapolitano, quotidianae meditationis et praedicationis causa congesti.*

Visto il parere del Regio Revisore Signor D. Girolamo d' Alesandro;

Si permette che la suindicata opera si stampi; però non si pubblichi senza un secondo permesso, che non si darà se prima lo stesso Regio Revisore non avrà attestato di aver riconosciuto nel confronto esser la impressione uniforme all' originale approvato.

Il Consultore di Stato
Presidente prov.
CAPOMAZZA

Il Segretario Generale
GIUSEPPE PIETROCOLA

COMMISSIONE ARCIVESCOVILE

Per la revisione de' libri

Nihil obstat
JANUARIUS RUSSO
Censor Theologus

Imprimatur
Pro Deputato
LEOPOLDUS RUGGIERO
a Secretis